UNIVERSITY
OF
TORONTO
LIBRARY

LL
P9765F

PUBLILII SYRI MIMI SENTENTIAE.

DIGESSIT RECENSUIT ILLUSTRAVIT

OTTO FRIEDRICH Dr.

ACCEDUNT CAECILII BALBI, PSEUDOSENECAE, PROVERBIORUM, FALSO INTER PUBLILIANAS RECEPTAE SENTENTIAE ET RECOGNITAE ET NUMERIS ADSTRICTAE.

54740
12/10/02

BEROLINI,
IN AEDIBUS THEOBALDI GRIEBENI.
MDCCCLXXX.

PRAEFATIO.

Publilium, quem recte nunc vocant, cum antea Publius falso nominatus sit, Syrum cum duobus popularibus Manilio astrologo et Staberio Erote grammatico cum ex patria eadem nave Romam advectus esset, primum serviisse, tum propter corporis ingeniique virtutes manumissum mimos scriptitasse tradunt.[1]) Quibus poëtam eundemque histrionem tantam sibi laudem quaesivisse, ut a Caesare tum populo ludos instaurante in urbem vocatus[2]) et certaminis causa in scenam productus mimis agendis ipso iudice atque aestimatore Caesare cum alios tum Decimum illum Laberium superaret atque palmam assequeretur. Laberio vero mortuo cum iam mimi ludus omnium animos cepisset, hic multis et scriptis et inventis eo in artis genere ita floruit, ut non modo scenae mimicae conditor diceretur, sed etiam Laberio suppar iudicatus Romae scenam teneret.[3])

Quando obierit etsi non constat, tamen ad summam eum senectutem pervenisse ex eo conicere licet, quod si Petronio,[4]) qui carmen a Publilio de saeculi luxuria compositum affert, fides habenda est, eius mimi etiam imperatoris Neronis aetate agi non desiti erant. Quid quod Publilius cum apud alios, qui inter

---

[1]) Cf. Plin. NH. 35. 17. 58. vol. V. p. 290. ed. Sillig. Gell. NA. XVII. 14. Macrob. Sat. II. 7. Sen. Controv. III. 18. p. 266. ed. Bip. Sen. de tranq. anim. XI. 8. ep. I. 8, 8. Woelfflin. Phil. XXII. p. 437 sqq. eiusdemque Proleg. ad Publ. p. 1—15.

[2]) Factum id refertur ad a. 709. u. c. (45. a. Chr.) cf. Cic. ad Fam. XII. 18.: quo anno Publilius si minor natu viginti aetatis annis Romam venit a. 664. u. c. (90. a. Chr.) sexagenarius videtur fuisse. cf. Sillig. ad Plin. l. l.

[3]) Hieron. ad Euseb. Chron. ad Ol. 184.: Publilius mimographus natione Syrus scenam tenet. Cf. Teuffel. Gesch. d. Roem. Litt. 212, 3.

[4]) Petron. Sat. 55. p. 63. ed. Buecheler.

Romanos eruditi habebantur, tum apud Senecas et patrem et filium summa valebat gratia et auctoritate. Quod nescio an magis mireris, quod Publilium, etsi mimos scriptitavit, nihil tamen ipse scripti aut in vulgus edidit aut ad posteritatem propagavit.[5]) Scilicet spectabantur in theatro mimi illi, quos ipse docebat mimographus, et breves et acutae sententiae ex illis velut lumina erumpentes tam attente excipiebantur, ut saepe totus spectantium consessus plausu consentiret et consonaret. Itaque pleraeque lepidae et ad communem sermonum usum commodatissimae animis mentibusque mandatae ut poëtae sapientissimi praecepta a disertissimo quoque et promptissimo retinebantur, data occasione iactabantur, in hominum circulis circumferebantur, ut usu venit omnibus omnium aetatum poëtis, quorum carmina non solum veritatis viribus, sed orationis etiam numerorumque venustate animos feriunt et commovent.

Sed quod ita fit plerumque, ut quae ex carminibus memoriter referantur vel recitentur, ea ad certam scripti exempli normam accommodentur ac dirigantur: id e contrario in Publilii sententiis evenisse videmus. Multo enim priusquam huius sententiae litteris designarentur, cum in hominum ore versarentur, fieri non potuit, quin memoriae imbecillitate an animi lubidine coeptae sint mutari ac variari. Cuius quidem rei luculentum exemplum hoc afferri solet, quod Seneca rhetor[6]) versum Publilianum J 7 (236) sic scriptum pronuntiat:

Desunt luxuriae multa, avaritiae omnia

Seneca philosophus[7]) luxuriae nomine mutato sic laudat:

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia

nostri autem, quibus Publilii sententiae editae continentur, libri eundem versum sic exhibent:

Inopiae desunt multa, avaritiae omnia.

Quamquam igitur Senecarum in hoc versu afferendo discrepantia in eam sententiam explicari potest, ut duplicem sententiam fuisse credamus, quae Ribbeckii explicatio est: tamen tertia illa versus compositio, quae in nostris libris cernitur, sententias Publilianas probat novandi copiam promptam ac facilem eo esse

---

[5]) Sen. ep. XV. 2 (94) 28. 43. XVIII. 5 (108) 8. 9. Cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 445. Proleg. p. 11.

[6]) Sen. Controv. III. 18. p. 227. ed. Bip.

[7]) Sen. ep. XVIII. 5 (108) 9.

oblatam, quod nullum scriptarum exemplum lubidini isti obstabat. Quando vero Publilii litteris mandatae sint sententiae difficilis atque ea quaestio est, quae ex eorum, qui adhuc eruti exstant, librorum auctoritate solvi non posse videatur. Itaque non est quod de hac ipsa re inter viros doctissimos atque in hoc litterarum genere maxime versatos eosdemque de Publilio optime meritos Woelfflinum et Ribbeckium non convenire mireris. Ille enim cum Publilii sententias iam primo post Christum saeculo ab homine earum studioso, cui fortasse exempla ipsius poëtae ad scenae actorumque usum composita ad manus essent, descriptas et collectas et in ordinem redactas esse existimet, ut Gellius, qui altero saeculo esset, id corpus usurpare posset:[8]) hic Gellium tali volumine usum esse negat.[9]) Atque ita est: neque enim Gellii, cum Publilii sententias ferri dicat, nec Macrobii oratio ipsa, quem Gellium exscripsisse et iisdem fere atque illum verbis esse usum videmus, ea est, ex qua scriptas Publilii sententias probetur aut Gellio aut etiam Macrobio in promptu fuisse. Nec Gellio, si scriptae in vulgus editae essent, causa fuisset, cur ex tanto sententiarum numero, quantum fuisse nunc scire nobis videmur, paucas quasdam circumforaneas atque ut vereor, ne optimas quidem eligeret. Illud vero constat fuisse aliquando, quod tempus accuratius definire non licet, ac post Gellii demum tempora, qui Publilii sententias erraticas conquireret earumque ex litterarum ordine dispositarum corpus conficeret.

Quod corpus quale fuerit divinare quam probare facilius est. Neque enim hoc manu scriptum ad nostram memoriam pervenit, sed antiqui illius corporis duo inter se diversissima exempla, alterum, quod Senecae nomine dixit Guielmus Meyerus,[10]) alterum, quod codice Frisingensi continetur. Quorum quidem illud sententiarum Publilianarum vix partem dimidiam, quae est versuum ducentorum sexaginta quinque, in littera N deficientem adiectis, quae dixit Woelfflinus, proverbiis centum undequinquaginta complectitur: hoc, quod Frisingense diximus, cum ad prioris sententias et proverbia trecentas octoginta quatuor sententias addat omnium litterarum, totum illud antiquum sententi-

[8]) Woelfflin. Proleg. p. 44. 45.
[9]) Ribbeck. ad Com. Rom. Fragm. Coroll. p. XCVI.
[10]) Cf. Guielm. Meyeri librum, quem inscripsit: Die Sammlungen der Spruchverse des Publilius Syrus Leipz. 1877. p. 8.

arum, de quo quaerimus, referre corpus videtur. Ut vero illud sententiarum Publilianarum iusto minorem, hoc quamvis multo maiorem, tamen non totum continet numerum, quem antiquum sententiarum corpus habuit: sic proverbia quae dicuntur cum prosa oratione perscripta sint, a Publiliano corpore prorsus aliena esse confitendum est. Quid quod in neutro sententiarum exemplo Publilii nomen apparet; unde recte dubitaremus, num Publilii sententias legeremus, nisi notae quaedam prominerent, quibus nullius nisi Publilii sententias hic legi appareret. Tales enim istae sunt, quales Gellius notavit, singulis versibus senariis aut quadratis circumscriptae et quas et Senecae et Gellius protulerunt, eae ipsae in iis inveniuntur. Publilio vero eas recte tribui testantur evidentissime excerpta, quae quatuor abhinc annos Guielmus Meyerus ex bibliotheca capitulari Veronensi eruit. Quibus inventis nova quidem lux Publilio venit: videlicet non solum sexaginta sententiae, in his sedecim novae atque adhuc ignotae, Publilio accesserunt, sed etiam quod in ceteris codicibus frustra quaesitum erat, nomen Publilii hic primum omnibus versibus additum conspicitur, sive nudum Publii, quod pro Publilio hic quoque obtinuit, quindecies, sive ut nationis appellatio adiciatur, Publius Syrus bis, sive addita artis professione Publius mimus semel, sive ut definiatur ex quo Publii scripto sumta haec sententia sit: Ex sententiis publii quinquies. Hinc recte Meyerus librum illum antiquum, quo Publilii sententiae continerentur, inscriptum fuisse conicit[11]) Publilii Syri mimi sententias. Accedit quod quae sententiae in his excerptis afferuntur, eae non unius, ut hoc utar verbo, collectionis esse inveniuntur, sed ad plures referendae videntur. Aliae enim ad eam collectionem redeunt, quam Senecae diximus, aliae ad Frisingensem, quam eandem Palatinam dixit Meyerus, aliae ad Turicensem, una, si recte vidi, ad Caecilium Balbum. Quae cum ita sint, non dubito quin ea quae Meyerus suis ex suo invento vestigiis insistens et de libro illo antiquo, ad quem hae quae exstant sententiarum collectiones redirent, et de earum ratione disputavit, iis qui in Publilio recte constituendo operam collocaverunt, probanda videantur.

Sed ut redeat oratio, unde degressa est, tantum illud dis-

---

[11]) Meyer. Samml. d. Spruchv. d. Publilius Syrus p. 49.

crimen duarum collectionum earum, quas supra commemoravimus, Senecae et Frisingensis sive Palatinae, nulla alia re explicandum videtur, nisi quod Publilii sententiae, ex quo in corpus redactae erant, in scholis legi et tractari coeptae sunt. Quod Woelflinus, quem de Publilii sententiis emendandis egregie meritum esse nemo ignorat, dubitanter posuit potuisse in scholis tractari Publilium, sed ostendi et probari id non posse: id ipsum excerptis illis Veronensibus declaratur et illustratur. Nam cum discipulis inter alia institutionis subsidia sententias quoque ediscendas datas esse non incredibile sit, tum Hieronymus Stridonensis, qui quarto quintoque saeculo post Christum fuit, in epistola ad Laetam 107. legisse se quondam in scholis puerum hunc versum ait:

Aegre reprendas, quod sinas consuescere.

Quem versum cum omnes Publilii esse suspicati essent nec tamen in iis sententiis, quae vere Publilianae habebantur, invenissent: Hieronymum alium quendam voluisse afferre Publilii versum in nostris libris paullisper mutatum et detortum C 1 (85) crediderunt. Atqui hanc ipsam sententiam ab Hieronymo allegatam in iis, quas excerpta Veronensia exhibent, scriptam legimus.[12]) Itaque in scholis cum Publilii sententias tractatas esse constet, ne illud quidem mirum videri debet omnes codices, qui ad hanc aetatem pervenerunt virorumque doctorum industriam exercuerunt, in his maxime Turicensem, eius rei tam luculenta documenta[13]) praebere, ut qui dubitet superesse putem neminem. Nec ulla causa est quin magistros qui has sententias discipulis legendas ediscendasque tradebant, hos non solum verba verbis, structuras structuris, numeros numeris mutare atque invertere, sed etiam novas eiusdem aut similis aut contrarii argumenti sententias fingere iussisse credamus. Neque illud praetereundum videtur, quod postea factum est, ut homines Christiani monachique, qui et litterarum studia illis temporibus fere soli arripuerant et codicibus describendis saepe inviti operam dabant, multa quae paganum aut impium aliquid prae se ferrent, aut immutanda aut rescindenda, multa quae ipsis properantibus longiora viderentur,

---

[12]) Meyer. Excerpt. Veron. p. 50. 63. 10, 4. Woelfflin. Proleg. p. 14.

[13]) Woelfflin. Phil. XXII. p. 451. Proleg. p. 48. Ribbeck. Coroll. p. XCVIII.

praetermissis aut eiectis verbis in brevius contrahenda existimarent. Adde quod illi homines exigua vel nulla artis metricae cognitione imbuti, cum vel verba vel sententias interpretarentur, nullam numerorum rationem habebant. Quo factum est, ut et illa sententiarum Publilianarum collectio Senecae nomine insignita maiorem sententiarum partem deponeret atque abiceret — dimidia enim vel etiam minor in usum scholarum suppetere videbatur — et haec collectio Frisingensis multis sententiis a Publilio alienis importuna magistrorum industria augeretur et oneraretur. Quae incommoda cum tanta in Publilium, quanta nescio an in nullum scriptorem confluxerint, ut qui vel monstrare illa vel levare studuerit, paene vereri debeat, ne laborem difficillimum, ne dicam insuperabilem susceperit: tamen ne celerius desperavisse quam laboravisse viderer, opus hoc arduum aggredi ausus sum, ea scilicet spe erectus, si officio minus satis fecissem, qui magna conatus essem, virorum peritorum mihi veniam non defuturam.

Atque ut ordine rem persequamur, primum de collectionibus, quibus sententiae Publilianae perscriptae ad nostram memoriam transmissae sunt, deinde de vitiis dicamus, quibus laborare videantur. Qua in re tractanda illud praeponamus, novi codices cum nobis in promptu non fuerint, iis subsidiis contentos, quae plurima virorum eruditorum eximia diligentia congessit, Meyeri potissimum vestigia nos sequi, quippe qui et quae superiores ea in re elaboraverunt, diligenter enotaverit subtiliterque perpenderit, et quae nova ipse invenit, caute et circumspecte aestimaverit. Idem quod gravissimum est, varias sententiarum Publilianarum collectiones, quarum numerus in dies magis auctus erat, inita subductaque ratione in certa genera disposuit ac digessit, ut quis cuique sententiae fons esset atque origo posset cognosci.

Sunt autem quatuor collectiones, ex quibus quicquid est sententiarum Publilianarum videtur, confluxisse una, quam S e n e c a e nomine a Meyero notatam supra commemoravimus, altera P a l a t i n a, unde magna pars eius profecta est, quod habet codex F r i s i n g e n s i s, tertia T u r i c e n s i s, quarta V e r o n e n s i s.

Ac principem quidem collectionem cum alii codices efficiunt, quorum minor auctoritas est, tum quatuor illi gravissimi, duo Parisini, Rheinaugiensis, Basiliensis. De quibus Woelfflinus in

Proleg. II. p. 15—23. tam copiose atque accurate disputavit, ut hoc plura aut meliora voluisse definire arrogantiae sit. Huius igitur collectionis versuum numerus sunt ducenti sexaginta quinque litterarum ordine dispositi atque a littera A exorsi, sed in littera N versuque trecentesimo octogesimo sexto deficientes: ut altera versuum pars maior nescio quo casu (cf. p. 8.) intercidisse putanda sit. Quae iactura ut compensaretur, sententiae additae sunt centum undequinquaginta prosa oratione conceptae, quibus Woelfflinus Proverbiis nomen dedit, quas ex libro, quem Senecae aiunt, de moribus confectas et compositas esse nemo non videt.

Venio nunc ad alteram collectionem Palatinam, cuius particulam ex Vaticano codice lat. Palatino 239. edidit Meyerus.[14]) Quae quomodo usurpata sit ab eo, qui codicem Frisingensem descripsit, idem scite explicat: videlicet hunc ex Senecae et Palatina collectionibus ita conscripsisse dicit suam, ut ex Palatina versum suo quemque loco in Senecae collectionem transferret, versus scriptura discrepantes in litterae fine repeteret. In iis autem versibus, qui ex Palatina accederent, adornandis hunc ordinem secutus est, ut praeponeret Proverbia, versus subiceret. Quo factum est, ut ad eos versus, quos Senecae collectio continet, versus accederent trecenti octoginta quinque: ad quos cum ex Gellio NA. XVII. 14. accedant versus Publ. C 46 (106) et J 63 (264), ex π Publ. V 10 (638): totus versuum numerus efficitur sexcentorum quinquaginta trium. Hos igitur versus omnes Woelfflinus Publilio tribuit, quamquam de iis dubitat, qui a litteris A—M exorsi ex Palatina collectione adsciti sunt. Frisingensis codicis scripturas quamvis deterioris notae esse concedendum sit, quam eorum codicum, quibus Senecae collectio nititur, tamen non paucas sententias reperias, quibus depravatis ex ipso Frisingensi medela adhibenda videatur. Cf. Publ. H 11 (213) R 5 (573). Editus est autem primum Marco Velsero auctore a professore quodam Ingolstadiensi, quem Jacobum Gretserum iesuitam fuisse Meyerus suspicatur.

Deinceps dicendum est de collectione Turicensi. Cuius partem maiorem e codice Turicensi descriptam cum edidisset Caspar Orellius a. 1832., Guielmus Meyerus ex codice lat. Monacensi sententias, quae deficiebant a litteris A et B exorsae, supplevit atque in actis academiae Monacensis a. 1872. publici iuris fecit.

---

[14]) Meyer l. l. p. 57—61.

Ex versibus, quos collectio Turicensis exhibet, centum triginta septem novi sunt quinquaginta octo. At hi quam mutati ab illis, quos Publilius finxisse credendus est! In tanto numero pauci versus sani B 12 (55) B 14 (57) C 39 (655) H 28 (667) I 21 (250) I 63 (264) L 6 (297) P 4 (453) R 10 (578) S 46 (680) S 47 (681) V 31 (691); pauciores verbis aut male transpositis B 3 (46) C 20 (104) I 17 (246) M 25 (333) T 5 (686) aut perperam scriptis F 11 (176) N 45 (421) S 7 (590). Multo vero plures et tam immodicis interpretamentis et tot vitiis foedati sunt, ut saepenumero magis augurari quam enucleare possis, quid sibi voluerit librarius. Nec tamen propterea desperati videntur, dummodo exoriatur aliquis felici quadam mentis divinatione praeditus, qualem in hoc ipso genere Mauritium Hauptium cognitum habemus, qui in corruptissimis verbis sententiam perscrutari sanam iustisque numeris concludere potuerit.

Restat quarta collectio Veronensis, quam nuper Guielmus Meyerus in bibliotheca capitulari Veronensi nactus est[15]). In quo codice cum sexaginta Publilii versus inveniantur, ex iis, quas demonstravimus, collectionibus repetuntur quadraginta tres: ut non sit dubitandum, quin omnes, quae exstant, sententiarum Publilianarum collectiones ex uno illo antiquo corpore profectae sint. Sed accesserunt eodem ex codice sedecim sententiae novae*). Quamquam saeculi quarti demum decimi inferiorisque aetatis est, tamen si scripturas spectes, in melioribus habendus videtur. Nec vero versus desunt, qui hunc quoque graviora vitia contraxisse ostendant cf. Publ. C 25 (110) E 18 (164) F 9 (174) H 7 (209) L 12 (303) N 2 (378) S 7 (590) S 50 (684). Nec novae illae sententiae omni vitio carent cf. Publ. A 54. E. 21. F 32. O 15. P 53. 54. Q 73. V 36. Maximam vero offensionem movet Publ. S 49 (683) quod cum in Turicensi a littera S (sine lege) exordiatur, in Veronensi a littera E initium capit. Quod quoniam fieri non potest, etsi posse putat Meyerus (cf. p. 51. 65, 20, 1.) etiam hoc mihi ad corruptelam non minimam videtur spectare.

Venio nunc ad quaestionem lubricam ac perdifficilem de Caecilio Balbo. De quo Meyeri opinio nescio an proxime accedat

[15]) Meyer. l. l. p. 48.

*) Iam Scipionem Maffeium in trattato antichi et moderni Veronae a 1754. p. 119. eorum duodecim edidisse docuit G. Loewius. Cf. Meyer. in ed. p. 6.

ad veritatem, esse eum latinum Graecarum sententiarum interpretem (cf. p. 45). Etiam Publilianarum sententiarum postquam aliquot in eo libro, quem primus edidit Woelfflinus[16]), interpositae deprehensae sunt: fieri non potuit, quin earum plures huc irrepsisse suspicarentur. Inveniuntur autem apud Caecilium Balbum hae sententiae sedecim, quas Publilii esse ceterarum collectionum testimonio probatur: A 2 — Caec. Balb. p. 20. Mon. I. 29 (Sent. 1). A 36 — Caec. Balb p. 26. Mon. XVII. 3. b (Sent. 14). A 44 — Caec. Balb. p. 21. Mon. VIII. 3 (Sent. 17). B 10 (53) — Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 15 (Sent.) 33b). C 27 (112) — Caec. Balb. p. 42. Par. 80 (Sent. 42). D 9 (131) — Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 11 (Sent. 53). D 23 (145) — Caec: Balb. p. 42. Par. 82 (Sent. 52). I 21 (250) — Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 8 (Sent. 90). I 43 (273) — Caec. Balb. p. 21. Mon. VII. 3 (Sent. 97). I 56 (286) — Caec. Balb. p. 23. Mon. XII. 8 (Sent. 99). M 71 — Caec. Balb. p. 42. Par. 63 (Sent. 117). N 39 (415) — Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 13. p. 41. Par. 59 (Sent. 120). P 51 (500) — Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 7 (Sent. 144). Q 3 (502) — Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 10 (Sent. 157). R 12 (580) — Caec. Balb. p. 21. Mon. VII. 4 (Sent. 164). V 23 (651) — Caec. Balb. p. 27. Mon. XXII. 4. p. 38. Par. 12 (Sent. 192). Huc accedunt aliae sententiae, quae cum eiusdem fere argumenti sint, verbis a Publilianis discrepant, D 8 (130) — Caec. Balb. p. 26. Mon. XVII. 5 (Sent. 64b). E 3 (149) — Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 15 (Sent 178). I 6 (235) coll. D 19 (141) — Caec. Balb. p. 24. Mon. XIV. 5 (Sent. 45b). P 15 (464) — Caec. Balb. p. 20. Mon. II. 2 (Sent. 121). Quid quod sententia una Publiliana abiisse in *παρῳδίαν* quam vocant videtur N 8 (384) — Caec. Balb. p. 26. Mon. XVII. 2 (Sent. 132). Quae cum ita sint, etiam plures Publilianas, quam quas attulimus, in Caecilianis latere licet suspicari. Sed ex tanta Caecilianarum copia quis tam acuti sensus est, qui Publilianas dignoscat? Scilicet illam notam, quam Guielmus Meyerus observandam censet, non satis idoneam esse iudico iis sententiis, quae ex Graeco translatae sint, segregatis in reliquis novas quasdam sententias seligendas esse, quarum

[16]) Caecilii Balbi de nugis philosophorum quae supersunt ed. Ed. Woelfflinus. Basil. 1855.

numerus ad summum sit circiter sedecim. Nihil enim in definienda sententia Publiliana incertius est argumento: nam quis in eiusmodi interpretatione exspectabit, ut verbo verbum respondeat? Inveniuntur autem in sententiis Publilianis, quod in hoc genere minime mirum est, tot sententiae Graecam ex variis scriptoribus sapientiam redolentes, ut verear ne his detractis pauca Publilio propria relinquantur[17]). Quamobrem illud quidem concedo, ut in hoc delectu nihil omnino certi commodetur, ad quod delectus habeatur, sed multo tamen hoc praeferendum videtur, ut numerorum, quibus sententiae Caecilianae concluduntur, ratio habeatur. Neque apud Caecilium Balbum desunt, quae numeros tam aperte prodant, ut dubitari non possit, quin iustam versuum speciem prae se ferant. Quacum si verba et sententia ipsa convenerint, non vereor, ne has tribuere Publilio nimiae audaciae sit. Huc refero Publ. E 22 — Caec. Balb. p. 21. Mon. IV. 2 (Sent 60). G 11 — Caec. Balb. p. 42. Par. 81 (Sent. 72). G 12 — Caec. Balb p. 41 Par. 54 (Sent 74). N 61 — Caec. Balb. p. 22. Mon. XII. 5 (Sent. 119[a]). N 62 — Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 20. p. 42. Par. 72 (Sent. 137). P 57 — Caec. Balb. p. 20. Mon. I. 28 (Sent. 146). Q 74 — Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 8 (Sent. 152). V 37 — Caec. Balb. p. 41. Par. 55 (Sent. 188). Sunt alii versus, qui facili coniectura reponendi videantur, Publ. A 55 — Caec. Balb. p. 23. Mon. XII. 6 (Sent. 22) ubi pro e g e n s scribendum est g e m e n s, g e m e n s p a t i t u r interpretamentum est pro i n g e m i t; D 29 — Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 17. p. 42. Par. 67 (Sent. 44) ubi pro e x a b u n d a n t i a reponas e x a b u n d a n t i; I 65 — Caec. Balb. p. 41. Par. 44 (Sent. 92) qui versus et verborum transpositione et sic emendandus est, ut pro n a s c i t u r scribatur v e n i t: I 66 — Caec. Balb. p. 33. Mon. XLI. 2 (Sent. 98) qui versus per interpretationem in breve contractus amplificandus est; M 73 — Caec. Balb. p. 30. Mon. XXXII. 2 (Sent. 111[a]) quo versu pro s o l a t i m a l i e s t reposui m a l u m e s t s o l a m e n. Pari modo Publ. N 60 — Caec. Balb. p. 40. Par. 29 (Sent. 129) P 56 — Caec. Balb. p. 26. Mon. XVIII. (Sent. 141[a]) Q 75 — Caec. Balb. p. 33. Mon. XLI. 4 (Sent. 158). S 51 — Caec. Balb. p. 28. Mon. XXVI. 2 (Sent. 167) ita emendari aut potuerunt aut debuerunt, ut Publilio tribuendi videantur.

---

[17]) Vide Ribbeckii Coroll. p. XCVI. XCVII.

Alii verbis transpositis ad iustos numeros redeunt. Publ. A 56 — Caec. Balb. p. 24. Mon. XV. 3 (Sent. 6) M 74 — Caec. Balb. p. 27. Mon. XXII. 5 (Sent. 111^{b}) S. 52 — Caec. Balb. p. 20. Mon. I. 30 (Sent. 173) T 8 — Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 15 (Sent. 178). Denique alii ex dicendi genere Publiliano diffingendi sunt, ut Publ. D 30 — Caec. Balb. p. 23. Mon. XIV. 1 (Sent 46) D 31 — Caec. Balb. p. 24. Mon. XV. 1 (Sent. 54) D 32 — Caec. Balb. p. 29. Mon. XXVIII. 2 (Sent. 56) quibus locis imperativi g a u d e et e l i g e et p u t a coniunctivis g a u d e a s et e l i g a s et h a b e a s cedere debent, I 64 — Caec. Balb. p. 41. Par. 46 (Sent. 101) ubi pro p r o d e s t o scripsi p r o s i s, M 72 — Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 16. p. 41. Par. 60 (Sent 110) quo versu quod legitur apud Caecilium n e f e c e r i s praeter usum Publilianum scriptum est pro c a v e f a c i a s.

Haec habui quae dicerem de iis sententiis, quas ex Caecilio Balbo repetitas Publilio restituere conatus sum. Quod consilium ne temere concepisse viderer, eam viam ingressus sum, ut quaecunque apud Caecilium Balbum et sententiam Publilio dignam et iustos numeros inire possent, in versus formam redigerem: unde appareret, numquid in iis Publiliani inesset. Quodsi cui forte iusto plures ad Publilium retulisse visus ero, is hoc velim reputet me sic statuere, ut his de rebus nec multa in dubio relinquenda ignorem et aliquid poni, si quidem probabili quadam specie fieri potuerit, quam dari nihil satius duxerim.

Quod ex aliis Romanorum scriptoribus sententias quasdam Publilianas recepi, id Meyeri potissimum consilio et auctoritate feci. Ut vero quid interesset inter Proverbia quae dixit Woelfflinus et Pseudosenecae de moribus sententias intellegeretur utrasque numeris adstringere conatus sum exemplum secutus haud contemnendum Ottonis Ribbeckii. Quid quod non multum abest quin illas ipsas sive Seneca sive alius composuit sententias non modo dicendi subtilitate et brevitate, sed etiam numerorum ictu versuum solutorum eorumque multis interpretamentis depravatorum speciem prae se ferre mihi persuaserim. Cf. Pseudosen. de mor. 10. 12. 13. 17. 18. 19. 22. 32. 34. 44. 56. 58. 77. 81. 106. 107. 114. 132. 137. Nec dissimilis est Proverbiorum vis et natura, nisi quod tot tantisque vitiis depravata sunt, ut si ad sanum pervenire volueris, audacioribus interdum remediis uti debeas. Ceterum neque Pseudosenecae librum de

moribus nec Proverbia ad Publilium pertinere nunc quidem fugit neminem: sed addendum utrumque ad Publilium propterea videbatur, quod cum non paucas ex utroque sententias olim Publilio tributas, tum Proverbia ipsis Publilii codicibus videmus inserta esse. Haec a Publilio aliena ut secarentur Eduardi Woelfflini diligentia providit. Qui et Proverbia suo quidem loco relicta inclinatis litteris expressit et sententias falso inter Publilianas receptas ad calcem editionis suae relegavit. Quas quidem omnes, cum non paucas aut sententia aut numeris laborare intellexissem, hoc mihi sumendum duxi ut et recenserem et si opus esset ad meliorem numerorum rationem revocarem.

Extremus disputationis locus idemque gravissimus est, ut de vitiorum generibus, quae in libris manu scriptis deprehenderim, accuratius dicendum videatur. Primum genus est eorum, quod in verbis male transpositis cernitur eoque latius patet, quod sententias Publilianas per aliquot saecula in scholis lectas et tractatas esse demonstravimus. Quo factum est, ut si oratio enuntiationibus relativis aut temporalibus aut condicionalibus aut eius generis aliis composita esset et amplificata, verborum constructionem discentibus parum facilem atque expeditam ex grammatica ratione solvi, disponi, ordinari oporteret. Cuius rei exempla plura afferre possum: sed satis est corruptelae genus uno alterove versu ostendisse. Nihil in eo genere evidentius quam Publ. F 26 (191) in quo explicando interpretes frustra laboraverunt. Quod enim in libris inventum Woelfflinus recepit:

Facít gratum fortúna quem nemó videt

id nec numeris nec sententia placet. Nec enim apud Publilium in secunda senarii sede spondeus uno verbo inclusus obtinet[18]: nec aut absens idem, quem nemo videat, aut absenti ipsius absentiae condicio gratiam conciliare recte dicitur. Ribbeckii autem coniectura pro gratum scribentis ratum propterea accipienda non videtur, quod Fortunam hominum res et administrare et decernere nullo tempore non apparet. Nec poëta eam enuntiationem, in qua sententiae summam inesse vellet, ita agere Fortunam, ut in agendo non conspiceretur, in fine, sed in exordio versus posuisset. Itaque Nauckium pro gratum reponentem gradum recte vidisse puto. Tum vero etiam magis in hanc

[18]) Cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 194.

coniecturam cadit, quod de Ribbeckiana diximus: nam ut ait Homerus ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. Ex his igitur difficultatibus non aliter emergemus, nisi verborum ordinem ea scholastica, quam supra demonstravimus, grammaticae constructionis ratione perturbatum in hunc modum restituerimus:

Facít Fortuna quém non remorerís gradum.

Sic qui a Grutero constitutus est versus Publ. H. 25 (227):

Heu cónscientia ánimi gravis est sérvitus!

ex codicis F auctoritate, sed verbis transpositis legendus est:

Heú quam gravior sérvitute est ánimi consciéntia!

Similia eius transpositionis exempla videsis Publ. C 26 (111) et S 26 (609).

Alterum corruptelae genus iis Publilii locis cernitur, quibus verbo Publiliano verbum alienum interpretandi causa substitutum videatur. Quod genus cum apud alios scriptores tum apud Publilium solemne est. Unum eligamus exemplum imprimis luculentum. Versus enim Publ. D 10 (132) cum in optimis libris sic scriptus sit:

Deliberandum est quicquid statuendum est semel

sed ut haberet quo *semel* referretur, in F:

Deliberandum est *saepe* quicquid statuendum est semel

denique in C:

Deliberandum est *diu* quicquid statuendum est semel

non modo *quicquid*, quod recte vidit Woelfflinus [19], falso insertum, sed etiam sive *saepe* sive *diu* eius, quod a Publilio scriptum puto, interpretamentum videtur, adverbii *decies*: quo recepto versus sic se habet:

Delíberandum est décies, statuendum ést semel.

Pari modo in Publ. A 3 pro eo, quod ceteri libri habent vel *tuto* vel *tuta*, ex codicis Basiliensis auctoritate *aperta* reposui. Gravius etiam eius generis vitium apud Caecilium Balbum p. 23. Mon. XII. 6 (Sent. 22) invenitur, quod propterea affero, quod illam librariorum vel interpretum rationem apertissime ostendit. Hic enim cum sic scriptum sit: „Avarus *egens* damnum, et si non lucretur, patitur“ primum ita corrigendum videtur: Avarus *gemens* damnum etsi non lucretur patitur;

---

[19]) Cf. Woelfflin. Proleg. p. 50.

tum vero pro gemens patitur reponendum est ingemit: quo reposito hic versus exsistit:

Avárus damnum, ubi nón lucretur, íngemit.

Ut falso substitutum esse arbitror Publ. A 33 melior pro catior, B 29 (72) veniunt vel eveniunt pro cadunt, B 31 (74) cito moritur pro cita mors est, B 41 (84) fallere pro imponere, D 4 (126) cuncta pro cumulum, F 9 (174) is pro pes, H 7 (209) non possit pro non competierit, I 62 invectivae pro insanae, I 65 nascitur pro venit, M 18 (326) maximo periclo pro maximo malo, M 29 (337) sua natura pro sua venena, S 9 (592) locum pro laborem, V 10 (638) gravis galea pro orichalcum, alia pro aliis.

Nec vero solum in verbis interpolatis librorum corruptela cernitur, sed etiam in verborum constructionibus falso mutatis. Cuius depravationis cum plurima exempla inveniantur, genus paucis docuisse satis est. Legitur apud Publ. D 23 (165) ita in libris:

Dífficile est dolóri conveníre cum sapiéntia

quo in versu legitimam diaeresin neglectam nemo non vidit. Itaque Bothius audacius quam felicius versum ita correxit:

Cónvenire cúm dolore dífficile est sapiéntiae.

Sed nisi fallor verborum constructio perperam in libris sic mutata est, ut scriberetur: difficile est — convenire pro eo, quod scripserat Publilius: difficilius convenit: qua admissa emendatione versus ad suos numeros veniat ita compositus:

Dífficilius cúm dolore cónvenit sapiéntiae.

Neque sanus est Publ. I 58 (288):

Inimíco exstincto exítium lacrimae nón habent.

Cum plerique in vocabuli exitium vi et potestate recte haererent significare idem atque exitum negantes, verbo verbum mutaverunt: sed simplicior ea ratio videtur, ut exitium verborum constructione mutata putemus scriptum esse pro infinitivo exire: quo facto hic versus est:

Inimíco exstincto exíre lacrimae nón habent.

Similiter Publ. P. 18 (467) qui ita legitur apud Woelfflinum:

Perdít, non donat, cuí donat nisi ést memor

vel apud Ribbeckium:

Perdít, non donat quí dat nisi sit mémoria

legendus est:

Perdít, non donat quí dat nulla mémoria.

P 25 (474) qui per interpolationem sic scriptus est:

Peccátum amici véluti tuum recté putes

ita scribendus videtur:

Peccátum amici pró tuo recté putes

Publ. P 27 (476) ex codicis F auctoritate Woelfflinus sic constituit:

Praesens est semper a b s e n s qui se ulciscitur

constituendus ita videtur:

Praesens est semper qui c u m a b e s t ulciscitur.

Sequitur ut de tertio corruptelae genere dicamus, quod in codicibus deprehendisse nobis videmur. Non raro enim verba falso addita inveneris. Woelfflinus quidem supra (cf. p. 15) apud Publ. D 10 (132) pronomen q u i c q u i d falso insertum vidit; idem apud Publ. H 5 (207) cum in PRBC sic scriptus esset:

Honesta turpitudo pro causa bona est mori,

in F verbis transpositis:

Honesta turpitudo pro bona causa est mori,

verbum m o r i glossema esse pervidit[20]). His exemplis addam tertium, quod ad rem illustrandam non minus valet. Publilii enim versus H 11 (213):

Heu quam miserum est discere servire, ubi sis doctus dominari!

ita corruptus, ut Woelfflinus vel spurium iudicatum vel conclamatum uncinis includat, Ribbeckius autem novos numeros adhibendos censeat anapaesticos, non aliter emendandus est, nisi ut verbum d i s c e r e pro glossemate iudicetur atque ex codicis F auctoritate, qui cum in PBC u b i sit, habeat u b i n o n, sic emendetur, ut hic versus exsistat tetrameter trochaicus sive quadratus:

Heú quam miserum est sérvire, ubi non sís doctus dominárier!

Sed haec hactenus: quartus locus est, ut de iis vitiis codicum dicam, quae orta errore aurium videntur. Huc illud refero, quod Publ. A 25 s a p i e n s scriptum est pro s a p i a t, D 24 (146)

---

[20]) Cf. Woelfflin. Proleg. p. 61.

deos ridere pro deo se credere, I 13 (242) impune pro iure in te, P 28 (477) quod vota imperant pro quod volt imperans vel verbis transpositis imperans quod volt, R 16 (675) reddit pro redimit. Gravissimum eiusmodi vitium in Publ. R 14 (582) latet. Nam cum in F sic scriptus legeretur:

Remédium fraus est cóntra flumen quaérere

atque pro eo scribendum proposuisset Gruterus:

Remígium frustra est cóntra flumen quaérere

Bentleius:

Remedium frustra est contra fulmen quaerere,

vitium in v. flumen inesse suspicatus ego servata codicis F scriptura pro flumen scribendum censui vulpem in hunc modum:

Remédium fraudem est cóntra vulpem quaérere,

quae si vera emendatio est, vulpem auribus male acceptum in flumen depravatum esse quis est qui neget?

Proximum genus vitiorum est, quod in omissis iis verbis cernitur, quae iuxta posita aut scriptura aut pronuntiatione tam similia fuerunt, ut facile alterum utrum intercideret. Quo genere cum in Publilii codicibus nihil frequentius sit, miror equidem, quod versus quosdam Publilianos qualibet alia ratione, non hac, quam demonstravi, emendare placuit. Rem ut ordine agam, Publ. A 35 quod in F scribitur:

Avidum esse oportet neminem nisi senem

in H:

Avidum esse oportet Neminime senem

ita emendandum videtur:

Avidum ésse oportet néminem numí senem.

Numi propter vocaculum iuxta positum oblitteratum est. Similiter Publ. A 40:

Amor ut lacrima ab oculis oritur in pectus cadit

sic emendandum esse puto, ut pro verbo simplici oritur compositum oboritur, quod in ea dictione proprium est, reponatur, v. oculis ex usu Publiliano geminetur in hunc modum:

Ámor ut lacrima obóritur oculis, óculis in pectús cadit.

Alterum oculis intercidisse suspicor. Magis etiam hoc corruptelae genus illustrari videtur Publ. 15 (244) qui versus in conclamatissimis habetur. Nam ita cum exhibeatur in PR:

In miseria vita contumelia est

ita in B:

In misera vita contumelia est

ita in F:

In misera vita etiam contumelia est,

editores alii aliter eum reponendum duxerunt. Mihi quidem omne vitium in vocabulo vita latere videtur, iuxta quod collocatum alterum similis scripturae temere praetermissum est inventa, ita ut versus sic legendus sit:

In míseri vitam invénta contumélia est.

Nec minus insigne aliud exemplum ex Publ. P. 30 (479) repeto. Is enim cum in F et numeris mutilus et verbis vitiosus ita exhibeatur:

Perdidisse . . . mallem quam accipere turpiter.

Woelfflinus quidem et lacunam inserto post perdidisse adverbio honeste explevit et perfecti infinitivo pro praesentis substituto accepisse iustos tetrametri trochaici numeros sententiamque haud ineptam fecit nec tamen eam, quae ab omni parte probari possit. Nec enim ulla rei familiaris perditae iactura ignominia vacat, sive quod per luxuriam profusa sive parum prudenter collocata aut administrata est. Sed medela ex ipso verbo perdidisse videtur petenda, cuius syllabis extremis verba, quae sequebantur, oblitterata sunt: ad assem, ita ut hanc versus faciem fuisse putem:

Pérdidisse ad ássem mallem quam áccepisse túrpiter

i. e. rem ad extremam usque inopiam dissipasse quam turpiter fecisse mallem. Deinde Publ. Q 36 (536) qui in F sic scriptus legitur:

Quicquid improbis eripitur datur probis

cum et numeris et sententia laboret, huic versui alii aliam medelam adhibuerunt: quam ego ex eo peto, quod vocabulum vis extrema verbi praecedentis improbis syllaba quasi haustum

esse conicio. Quod omissum si revocaveris, versus et numeris et sententia satis faciet sic scriptus:

Quicquíd probis vis éripit, dat ímprobis.

Porro huius corruptelae, de qua quaerimus, exemplum afferamus Publ. Q 63 (563) quem depravatum F ita tradidit:

Quo cavetis, cum animus aliud, verba aliud petunt?

Woelfflinus quidem pro cavetis, in quo vitium lateret, bene scripsit caveas: sed tamen et sententiam sic scriptam latius patere arbitror, quam ut apte ad rem explicari possit, et verbum cavendi iurisconsulti officium ostendit, ut inter Quo et caveas intercidisse putem advocatus, quod vocabulum propter litterarum syllabarumque similitudinem a librariis facile omitti potuerit. Hinc igitur tetrameter trochaicus hic prodeat:

Quo ádvocatus cáveas, cum animus áliud, verba aliud petunt?

Postremum exemplum sit Publ. V 7 (635). Huius versus verba sunt codicis F haec:

Úbi sis cum tuís et absis pátriam desíderes

sententia, ut opinor, non prorsus contemnenda, sed numeris nullo modo ferendis: prima enim syllaba in v. patriam usu Publiliano corripienda est cf. Woelfflin. Proleg. p. 56. Hinc una syllaba breviorem versus exitum esse apparet. Quam librariorum neglegentia deperditam ita recipias, si in vocabulo patriam (patriã) pronomen tua interiisse observaveris, ut iusti sint hi versus numeri:

Úbi sis cum tuís, ubi absis pátria, tua desíderes.

Sed nolo eandem rem per omnes versus persequi: satis erit cum corruptelae genus tum singulos, in quibus illud suspicor insedisse vitium, locos monstravisse cf. Publ. I 19 (248) I 23 (252) S 20 (603).

Restat extremum corruptelae genus longe gravissimum et quod latissime pateat. Illud in eo cernitur, quod cum nullus versus locus vitiis careat, tamen extrema quaeque eius verba maxime videntur aut depravata esse aut mutilata. Hanc quoque rem aliquot exemplis illustravisse satis est. Age videamus Publ. F 6 (171) mutilato exitu: nam talis est in PRBC:

Fortuna unde (ubi B) aliquid fregit quassum,

talis in F et codicibus melioribus Gruteri:

Fortuna unde aliquid fregit cassum.

Quamquam non fugit me, quam frustra esse soleant, qui quae temporum iniuria interierunt, ea divinatione reponere audeant, quod fit plerumque, ut quae interiisse putabantur, praeter opinionem reperta longe alia sint atque divinatione reposita erant: tamen si non certa, sed probabilia sequi me fateor, neminem spero fore, qui reprehendat. Itaque huius, quem dixi, versus exitum sic supplendum esse conicio:

Fortúna unde aliquid frégit quassat ómnia.

Alium Publilii versum exitu mancum videmus N 16 (392) in F ita scriptum:

Nimia concedendo interdum fit stultitia,

quem plerique eiecerunt, pro quo tolerabiliorem hunc proposuit Ribbeckius:

Nimiúm concedere ést interdum stóliditas.

Equidem cum comparo Publ. F 15 (180) et I 48 (278) in exitu deficere suspicor facilitas: quo addito versus tetrametri trochaici numeri expleti recte sic procedunt:

Nímium concedéndo interdum fít stultitia fácilitas.

Postremo subiungam Publ. O 13 (448) versum adhuc frustra tentatum: neque enim ex variis emendationibus unam omnibus placere credo. Ita versus scribitur in codice F:

Omnes cum peccant occulte pacantur citius

quae in versus exitu deficere nemo non videt. Ac Woelfflinus quidem ita proposuit:

Omnés cum occulte péccant, peccant ócius,

ita Ribbeckius:

Omnés cum occulte péccant, peccant tútius:

quae coniecturae per se probabiles propter scripturae differentiam probari non possunt. Quamobrem ego quod magis ad scripturae similitudinem accedere videatur, verborum qui est in F ordine servato reposui:

Ómnes cum peccánt occulte, péccant insignítius.

Venio ad alterum corruptelae genus, quod non in versus

exitu mutilato, sed depravato deprehenditur. Versu quidem Publ. M 17 (325) quem sic scriptum videmus in libris:

Mala est voluntas ad alienum consuescere

editores ab Erasmo omnes vitium in v. voluntas latere opinati voluptas scripserunt. Quod mihi secus videtur: non enim versus initium, sed exitum vitium contraxisse arbitror. Delatus huc sum loco Plautino Stich. I. 3, 55. quo loco haec leguntur:

Nam cúriosus némo est, quin est málevolus

quam sententiam eandem a Publilio sic expressam esse puto, ut scriberet:

Mala ést voluntas álienum rescíscere.

Eadem corruptelae sedes cognoscitur in Publ. N 36 (412) qui in codice F sic se habet:

Non semper aurem facilem habet facilitas

malis numeris, quos correxit Meyerus, cum ita scribendum censeret:

Non sémper aurem fácilem facilitás habet,

ante Meyerum Gruterus, qui sic edidit:

Non sémper aurem fácilem habet felícitas,

quam emendationem recepit Ribbeckius. Sed utriusque scripturae sententia precario explicatur: neque enim magis intellegitur, cur facilitas interdum non facilem habeat aurem, cum homo rebus obnoxius sit, quam cur felicitas non semper audire velit, nisi vero in arroganti aut insolenti homine sit. Neutrum cum placeret, aliud circumspexi remedium idque mihi invenisse videor, cum scriberem:

Non sémper aurem fácilem habet facúnditas

i. e. non semper homo facundus idem affabilis est. In versibus conclamatis est Publ. P 19 (468). Qui cum in F sic scriptus esset:

Probe delicta cum legas deteras,

ut sanam sententiam reducerent, alii aliter verba constituerunt. Ac Gruterus quidem sic scribi iussit:

Probí delicta iúdex lĕgens déterit

quem versum Schwarzius, qui praetor olim a. 1813. iudicio Duderstadiensi praefuit, sic in Germanicum vertere non dubitavit:

Vergehn des Frommen tilgt der Richter schon beim Lesen,

quasi vero delinquere hominis probi, nocentem liberare iudicis esset. Inter severitatem et humanitatem suspensum iudicem fingit Caspar Orellius, cum sic scribendum proponit:

Probí delicta iúdex lugens détegit:

ad quae Bothius nimis sobrie adnotat: „Ista autem quae sibi velint, nemo exputet.“ Woelfflinus quidem sententiam Publilio dignam parum probis numeris inclusit, quos probos fecit Ribbeckius, cum ita scriberet:

Probí delicta néglegens legés teras.

Denique Andreas Spengelius eandem fere sententiam in hoc versu latere ratus versum sic reposuit:

Probí delicta cúm tegas, legés teras.

Quae emendationes omnes a recta decedunt. Nam primum quod ab versus initio scriptum est, probe facilius quam verius in probi mutaverunt; tum quod medio versu est cum legas quid sibi vellet non explicarunt; difficultatis vero plurimum verbum quod in versus exitu est, teras facessivit. Quas difficultates mihi sustulisse videor, cum codicis vestigia secutus scriberem:

Probés delicta, cúm de lege déroges.

Quae quidem sententia leges severas detrahendis poenis frangi et molliri vetat. Ut vero hoc versu Publilio ultimum verbum nocuit: sic idem illi Q 32 (532) detrimento fuit. Gruterus enim cum in codice F scriptum vidisset:

Quae vult videri bella nimium illi negat

turpissima quaeque significari suspicatus versum ita emendavit:

Quae vult videri bella nimis nulli negat.

Sed praeter quam quod Publilio talem sententiam tribuere grave est, ne numeri quidem probari debent: displicet enim quarti pedis anapaestus. Versus autem vitium latet in verbo corrupto negat: ita enim scribendus videtur:

Quae vúlt videri béllla, nimium illí nocet.

Sed haec hactenus: alia eiusdem corruptelae in extremo versus verbo contractae exempla videsis Publ. F 15 (180) M 13 (321) H 11 (213) M 29 (337) N 20 (396) N 25 (401) N 40 (416) P 53. Q 29 (529) Q 47 (547) S 35 (618) V 4 (632).

Scripsi Potisdamiae a. d. XV. Cal. Februar.
a. MDCCCLXXX.

PUBLILII SYRI MIMI SENTENTIAE.

INDEX COLLECTIONUM.

Σ collectio quae a Meyero dicitur Senecae: cuius collectionis hi sunt libri manu scripti:

1. Pa = cod. Parisinus 2676. saec. IX.
2. Pb = cod. Parisinus 7641. saec. X.
3. R = cod. Rheinaugiensis saec. IX.
4. B = cod. Basiliensis saec. X. deficiens in v. L 5 (296).
5. Bamb. = cod. Bambergensis saec. XIII.
6. E = cod. Parisinus 6085. saec. XI.
7. C = cod. Parisinus 8049. saec. XIII.
8. Vat. = cod. Vaticanus saec. XI.
9. B = cod. Bernensis saec. XII.

Π collectio Palatina, cuius sunt hi libri:

1. H = cod. Palatinus saec. X.—XI.
2. F = cod. Frisingensis saec. XI.
3. V = cod. Vindobonensis saec. XI.
4. π (par. Meyeri) = cod. lat. Parisinus 8027. saec. XIV.

Z collectio Turicensis, cuius sunt hi libri:

1. M = cod. Monacensis 6369. saec. XI.
2. T = cod. Turicensis saec. IX.

O collectio Veronensis, quae continetur Cod. Veronensi saec. XIV.

Φ versus Publiliani ex Caecilio Balbo adsciti.

P versus Publiliani ex ceteris Romanorum scriptoribus additi.

Editorum nominum siglis his usus sum, ut significaretur:

1. Be. Bentleius.
2. Bo. Bothius.
3. Er. Erasmus.
4. Fa. Fabricius.
5. Go. Godofredus.
6. Gr. Gruterus.
7. Or. Orellius.
8. Pn. Panthaleon.
9. Ps. Pithoeus.
10. Qu. Quicheratius.
11. Re. Reinholdus.
12. Ri. Ribbeckius.
13. Sca. Scaliger.
14. Spe. Spengelius.
15. HSt. Henricus Stephanus.
16. Wo. Woefflinus.

Versus a Bentleio receptos stellae signo * notavi.

A

Aliénum est omne quícquid optando évenit.
Ab álio exspectes, álteri quod féceris.
Animús vereri quí scit, scit aperta íngredi.
Auxília humilia fírma consensús facit.*
Amor ánimi arbitrio súmitur, non pónitur.*
Aut ámat aut odit múlier, nil est tértium.*
Attrítam in partem strénua est suspício.*
Amés parentem, si aéquus est: alitér feras.*
Adspícere oportet, quícquid possis pérdere.*

---

1. Laudat hunc versum Sen. ep. I. 8, 9. omne om. VC. cod. Amplonianus Senecae. Vicentius. homine Bo. evenit codd. meliores, Erasmus, Gr. Wo. Ri. Spe., venit C., codd. deteriores Senecae. Vicentius: receperunt Be. Or. Bo. Zellius. Re. Publilioque vindicari vult Swedbergus pro vulg. evenit. — 2. Laudatur versus a Sen. ep. XV. 2 (94) 43. cf. Meyer. in libro, quem inscripsit: Die Sammlungen der Spruchverse des Publilius Syrus p. 38. ab altero Bo. expectes LO cf. Meyer. Spruchv. p. 65. 23, 1. Er. Be. Or. Wo. Ri. Spe. expecta Bo. spectes Gr. ex aliquot membranis; speres H cf. Meyer. p. 18. 58. inscript. in Gruteri thesauro p. 928. n. 9. AB. ALIO. SPERES. ALTERO. QUOD. FECERIS. — 3. qui scit vereri V. tuta PRFV Gr. Or. Bo. Wo., tuto correctum in Pa. B*3*. receperunt editor Ingolstadiensis et Ri., tuto aggredi HSt. Er., tutus gradi Spe. — 4 humana V. firma erasis litteris in B, infirma firma coni. Tan. Faber. consessus Pb. confessus Pa B. — 5. animi arbitrio amor Ps., animi qui arbitrio V. — 6. nihil vulgatum tenent Gr. Be. Cr. Bo. Ri. Spe., nil Wo. est om. H. testium F. certum V. — 7. om. Pb. ad tristem partem strenua suspicio L. strennua RVEr. est Senecae editio Basiliensis a. 1515. Fa.: om L*3*. str. s. debetur C. — 8. est B sec. m. supra versum. si aequus est Gr. Or. Bo. Wo. si aequust Ri. si aequos (t) Spe. si aequus Froehlichius. si aliter L. Gr. Be. Or. Bo. Wo. sin aliter C. Froelichius. Ri. Spe. — 9. adspicere L, Er. Gr. v. 53. Or. v 55. Bo. v. 9. Wo. (cf. Proleg. p. 52. adnot.) Spe. despicere ex coni.

Amíci vitia túa nisi auferás facis.*
Aliénum aes homini ingénuo acerba est sérvitus.*
Abséntem laedit, cum ébrio qui lítigat.*
Amáns iratus múlta mentitúr sibi.*
Avárus ipse míseriae causa ést suae.
Amáns quid cupiat scít; quid sapiat nón videt.*
Amáns quod suspicátur, vigilans sómniat.*
Ad cálamitatem quílibet rumór valet.*
Amor éxtorqueri nón pote, elabí pote.*
Ab amánte lacrimis rédimas iracúndiam.*
Apérte mala cum est múlier, tum demum ést bona.*
Avárum facile cápias, ubi non sís item.*
Amáre et sapere víx deo concéditur.*
Avárus nisi cum móritur nil recté facit.*
Astús cinaedum célat, aestus índicat.

cf. Meyer. p. 60. est o. m. C. grave est m. o. Er. — 6. EC. — 7. gravius PR (Wo.) Pb (ni f) R (Ri.) gravior BFC Pa corr. rec. m. Er. Gr. Or. est om. Er. inimicus] in his Pb, inimicus is qui B, inimicus qui ceteri libri. in pectore L. sub pectore Er. Gravis est H cf. Meyer. p. 7. 17. 35. 59. gravis est scrupulus delitescens invisus in pectore T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 552. v. 60. Woelfflin. Proleg. p. 42. — 8. C. consuetudinis B, „voluitne conscientiae?“ Wo. imperium est consuetudines H cf. Meyer. p. 17. 59. — 9. dictum est Gr. Be. Or. Bo. etiam cum dictum est leviter Er. „fortasse iactum ut Publ. I 23 (252)“ Ri. — 10. gravat Casp. Orelli. grave est enim T, g. e. nimis coni. Wo. coll. Publ. M 52 (360) Q 32 (532); ex animo corruptum videtur. quod fronte laeta dederis T, Wo. das Casp. Orellius, laeto animo quod datur scripsi ex coniectura. triste T, tristi Casp. Orellius. Wo. Versus sic scriptus, ut est in codice Turicensi (cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 552. v. 61.) nisi quod pro triste scripsit tristi. Ribbeckio octonarius iambicus, Spengelio prosa videtur. „Sed aut octonarius non est Publilii aut fuit senarius: Grave est, quod laetus dederis, tristem recipere“ Wo. — 11. Caec. Balb. p. 42. Par. 81 (Sent. 72). Versum in Publilianos receperunt Gr. v. 239. ed. Bip. 245. Or. v. 251. Bo. v. 275. cf. Meyer. p. 46. G. delictum q. d. n. p. Bo. Sed et Walterus Burleius et Vinc. Bellovacensis constanter servant peccatum — delicti. Vide quae adnotavi ad Sent. falso inter Publ. recept. v. 123 (147 Wo.) Ri. App. v. 296. Quamquam verba peccare et delinquere ut idem valentia coniunguntur ap. Publ. I 53 (283). — 12. Caec. Balb. p. 41. Par. 54 (Sent. 74).

H 1. difficile C. difficile est Er. — 2. hominem T. est suum PRE, suum est BFC, facit T. cum irascitur L, fenalis incensio T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 553. v. 67. Codicis T versus Woelfflino sic legendus videtur: Hominem extra corpus facit furialis (an venalis = vilis?) incensio; Ri. suspicatur feralis. — 3. timidus FC. amorem tuum B pr. m., moriturum C, item F ante

Hómo qui in homine cálamitoso est mísericors, meminít sui.*
Honésta turpitúdo est pro causá bona.*
Hábet in adversís auxilia, qui ín secundis cómmodat.*
Heú quam miserum est laédi, de quo nón competierit queri!*
Hominem éxperiri múlta paupertás iubet.*
Heú dolor quam míser est, vocem qui ín tormento nón habet!*
Heú quam multa poénitenda vívendo incurrúnt diu!*
Heú quam miserum est sérvire, ubi non sís doctus dominárier!
Habét suum venénum blanda orátio.*
Homo tótiens moritur, quótiens amittít suos.*
Homo sémper ubi deiúret, aliud cógitat.
Honéstus rumor álterum est patrimónium.

---

corr. ut vid. — 4. memor est suprascr. + meminit β. — 5. est Woelfflini coniectura (cf. Proleg. p. 51) probata Ribbeckio et Spengelio, est mori LC. causa bona PRBC. bona causa F. Est h. t. pro bona causa mori Er. cf. Meyer. p. 8. — 6. adversis auxilia PRBEC, adversi consilia F. commendat R. ut infra Publ. H 18 (220). — 7. Excidit in F cf. ad Publ. H 11 (213). ab eo laedi Gr. Be. Wo. ab illo laedi C. laedi ab illo Bo. laedi ab eo B, laedi scripsi ex coniectura. non conpossit quaeri Pa R. non conpossit queri Pb. conpossit quaeri R sec. m. in marg. non possis queri B, Wo. Spe. non possit queri B sec. m. („si recte legi" Wo.) β Vinc. nequeas queri C. non ausis queri Gr. Be. „e codd. quod non minus nunc placet quam olim" Ri. Or. — 8. C. — 9. EC. heu pro dolor B, dolor om. C. tormento L. Er. Be. Or. Bo. Zellius. Wo. Ri. Spe. tormentis Gr. ed. Bip. vocem non habet L, Er. Gr. Be. Or. Wo. Ri. Spe. vocem qui in tormento Bo. Zellius. Antonius. — 10. EC. H. q. multa p. incurruntur vivendo diu B cf. Casp. Orellius v. 166. incurrunt vivendo diu Wo. Ri. Spe. H. q. m. p. incurrunt viventes diu Gr. v. 802 (alteram eiusdem versus formam vid. v. 603. senarium) Or. H. q. poenitenda incurrunt multa viventes diu Bo. Quam p. i. viventi diu unus Palatinus. Erasmus quomodo versum constituerit nescio; Ribbeckio teste sic edidit: heu quam poenitenda incurrunt homines u. d. (cf. ed. Ge. Fabricii v. 166. apud Kremsier. p. 16) in meo exemplari (Argent. XVI. Cal. Novembris. Anno MDXV) Erasmi verba sic se habent: H. q. p. incurrunt vivendo diu. — 11. Hoc loco PB, supra ante Publ. H 8 (210) F omisso Publ. H 7 (209), deest in R (cf. Woelfflin. Proleg. p. 42), abest ab Erasmi editione. est om. P. discere om. C. ubi PBC, ubi non F. nisi Vinc. Bell. sp. d. 5, 43. doctus sis Vinc. „melius" Ri. doctus fueris C. sit β m. 1. — 12. EC. h. virus occultum. blanda miseratio T. — 13. EC. amittat F. quotiens suis iacturam rerum patitur T: fortasse q. i. suorum patitur. — 14. semper ubi deiuret aliud scripsi ex coni. semper aliud furetina P, semper aliud furetinat R, semper aliud fuerit B, semper in se aliud fert F, Ribbeckius ed. I. cum furit in alterum aliud β. h. s. in sese aliud fert, in alterum aliud cogitat Er. aliud cogitat ex PR restituit Wo. in alterum a. c. BF. cf. Meyer. p. 8. — 15. In F infra legitur post Publ. H 23 (225).

Homo né sit sine dolóre, fortunam ínvenit.
Honéste servit, qui succumbit témpori.*
Homo vítae commodátus, non donátus est. 220.
Herédis fletus súb persona rísus est.*
Herédem fieri utílius est quam quaérere.*
Habént locum maledícti crebrae núptiae.

II

Honéste parcas ímprobo, ut parcas probo.
Humánitatis óptima est certátio. 225.
Honós honestum décorat, inhonestúm notat.*
Heú quam est servitúte gravior ánimi consciéntia!
Hominem étiam frugi fléctit saepe occásio.
Hominí consilium túnc deest, cum multa ínvenit.*

Z

Humilís nec alte cádere nec gravitér potest. 667.

Affert Wo. hanc Fabricii sententiam (vid. Or. p. 84. et Zell. p. 59. v. 105. Kremsier p. 37. v. 386): Honesta fama melior pecunia est (leg. melior est pecunia). patrimonium BF. patrum omnium PR. Duplicem versum 307. honesta fama a. e. p. et 313. honestus rumor a. e. p. recepit Bo. (Zell.). — 16. ne sit L, nescit Er. sine dolore L. si dolor Er. (dolore Fa.) fortuna FC („corr. ex fortunā" Ri.) fortunam Er. Gr. Or. Bo. Spe. Fortunam Wo. Ri. — 17. servit βCH (cf. Meyer. p. 18. 60) Er. serviet PRBF. — 18. commendatur R. commendatus C, c. est Non dono datus H, unde Meyerus p. 17. 60. proponit: non dono est datus. Sed magis placet plena verba opponi. — 19. Gell. NA. XVII. 14. 4. v. 7. Macrob. Sat. II. 7. v. 7. heredis fletus C₇ Bamb. heres fictus L. cf. Meyer. p. 8. — 20. ferre L. Gr. Be. Or. Bo. Wo. Ri. scire Er. flere Spe. fieri scripsi ex coni. utilius L. Or. Bo. Wo. Ri. honestius Gr. ex uno cod. Palatino receptum speciosius quam verius commendat. „an tutiust in utilius latet?" Ri. — 21. locum B sec. m. supra scr. maledicte B. „praebent l. male dicto vel dictis desidero" Ri. crebere R. crebaė Pb. ineptiae coni. Buechelerus. — 22. ut parcas Gr. cum haec addit: sanitas huius sententiae debetur coniecturae meae. ut non careas F. de cuius corruptela cf. Publ. N 5 (381). ut caveas Bo. et parcas H cf. Meyer. p. 20. 60. — 24. honor T. notat om. T. — 25. heu Gr. haec F („F hec ut vid., e in ras., m. 1. heç m. 2 F" Ri.) heu quam animi conscientia gravis est servitus Gr. teste Ribbeckio. heu conscientia animi gr. e. s. ut testatur Spengelius, qui versum sic scriptum uncinis inclusit. Wo. coll. Publ. A 11. R 15 (583) C 16 (100) O 8 (443) Ri. heu quam conscientia animi g. e. s. ut ipse in ea Gruteri editione scriptum lego, quae ab Havercampio et Preygero curata est. gravior est servitute F. Nisardus nescio quo auctore versum sic scripsit: Quam conscientia animi gravis servitus! Bo. denique ut ineptum eiecit cf. ad v. 264. — 26. Etiam bisyllabum est cf. Publ. H 13 (215) Nauck. Mél. Gréco-Rom. Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 206. — 27. consilium tum deest FH, tum deest consilium O cf. Meyer. p. 51. 64. 16, 2. deest L, dest Ri. — 28. Hic ex paucis est versibus, quem cod.

Honéstum laedas, cúm pro indigno póstules.

I

Inférior rescit, quícquid peccat súperior.*
Inimícum ulcisci vítam accipere est álteram.
Invítum cum retíneas, exire íncites.*
Ingénuitatem laédas, cum indignúm roges.
In núllo avarus bónus est, in se péssimus.*
Inopí beneficium bís dat, qui dat céleriter.
Inópiae desunt múlta, avaritiae ómnia.*
Instrúcta inopia est ín divitiis cúpiditas.*

Turicensis salvum, ut videtur, tradidit. cf. eiusd. cod. v. 77 [Publ. I 63 (264)]. — 29. honestatem T. laedes T, laedis Haupt. Phil. I. p. 665. intercedis T, petes Casp. Orellius. intervenis Hauptius, cui idem versus atque Publ. I 4 (233) videtur.

I 1. rescit Sca. Gr. ed. Bip. Or. restituit Wo. ex P, Spe. nescit RE cod. Leidensis Bentleii, crescit cod. Caianus Bentleii, orrescit B, horrescit FC codd. duo Bentleii, casat cod. Cottonianus Bentleii, horret Er. discit Be. ascit Bo. reus est Ri. — 2 est accipere Fa. — 3. incites Be. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. incitis P, incitas C, Er. Gr. — 4. in F infra legitur post Publ. I 46 (276). laedas PRB pr. m. F, Wo. Ri. Spe. laedis Pa sec. m. B corr. C, Er. Gr. Or. Bo. dignum B. roges PRBFC, rogas Pa sec. m. Er. — 5. Hic versus laudatur a Seneca ep. XVIII. 5 (108) 8. 9. his verbis: „Non vides, quemadmodum theatra consonent, quotiens aliqua dicta sunt, quae publice adgnoscimus et consensu vera esse testamur?

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

ad hos versus ille sordidissimus plaudit et vitiis suis fieri convicium gaudet.“ cf. Ribbeck. Com. Rom. Fragm. ex incertis incert. fabulis LXVII. p. 126. in nullum Sen. H (cf. Meyer. p. 18. 55. 60) Er. Gr. Be. Or. Bo. Ri. Spe. in nullo LCE. Wo. nulli Vinc. Bell. sp. d. 4, 144. est om. β. qui in se B supra scr. m. 2. in se] inopi Vinc. „fortasse ipsi, nisi potius corruptela orta est ex v. seq. initio“ Wo. — 6. E. bis datur B, praestat H cf. Meyer. 17. 61. plus dat qui celeriter praestat T. Similem sententiam habes apud Caec. Balb. p. 24. Mon. XIV. 5 (Sent. 45b). — 7. Duplex huius versus forma a duobus Senecis memoriae tradita est, altera haec a Seneca rhetore Controv. III. 18. p. 227. ed. Bip.

Desunt luxuriae multa, avaritiae omnia

altera haec a Seneca philosopho ep. XVIII. 5 (108) 9:

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.

Inopiae L, inopi B sec. m. β. desunt l. (i.) multa Sen. Wo. Spe. parva desunt Lβ, Er. desunt pauca H (cf. Meyer. p. 18. 60) Gr. Be. Or. Bo. Ri. ea (quod cuncta interpretatur Wo.) desunt C, multum deest proponit Er. avaritiae L, avaro B m. 2. desunt avaro autem β. — 8. EC. inopia

In sé vult culpam, quí peccatum praéterit.
Iucúndum nil est, nísi quod reficit várietas.*
Ingénuitas non récipit contuméliam.
'Irritare est cálamitatem, cúm te felicém voces.*
Iure ín te peccat, ín quem peccarís prior.*
Ingrátus unus ómnibus miserís nocet.*
In míseri vitam invénta contumélia est.
'Ita amicum habeas, pósse amicum fíeri ut inimicúm putes.*

---

instructa C. — 9. in se vult scripsi ex coni. in se vitat PRBF Vat. β. invitat CH (cf. Meyer. p. 9. 17. 60.) Gr. Or. Bo. invitat c. profecto T. ipse intrat culpam proposuit Bo. inseruit olim coni. Ri. recepit ed. I. Bothii coniecturam. scripsit ed. II. invitat, cum tamen addit: „et latet ipse in scriptura librorum". delictum H cf. Publ. G 11. qui peccantem non ulciscendo praeterit T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. tom. IV. p. 553. v. 74. peccatum Wo. Ri. Spe. — 10. iocundum Wo. nil Wo. (cf. Proleg. p. 56. Ri. ad Publ. A 6.) nihil LC. Er. Gr. Or. Bo. Ri. nisi om. C. — 11. recepit P, item R sed puncto supra e addito, fert T. saepe contumelíam H cf. Meyer. p. 17. 61. — 12. hoc loco PRBE, post I 1? (242) et post I 34 (263) cod. Vat., post I 11 (240) et post I 34 (263) β, post I 34 (263) F. invitare vel irritare LH (cf. Meyer. p. 60) invitare e manuscr. Fa. (non Gr. cf. Meyer. p. 10) „Res secundae securitatem pariunt, securitas est calamitatis initium" Fa. ap. Kremsier. p. 39. v. 405. voces β, Wo. vocaveris BC, vocaberis PRE, dixeris Pn. vocas Ingolst. Gr. Be. Or. Bo. Ri. probante Nauckio Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 195. vocaveris felicem F. — 13. iure in te scripsi ex coni. inpune L. pecas P, pecis R, pecces BF, Gr. Be. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. peccas C, profecto peccas T. in eum qui L. Be. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. in eum om. T. qui prior in eum T, in eum pecces Gr. in quem scripsi ex coni. peccat prior coni. Bentleius, peccat rarior LC, rarius β. cf. Meyer. p. 7. 35. „i. peccat cum quis peccat charior" aut „i. p. c. q. p. rarius" proponit Er. i p. c. q. p. rarior „Fa. ac similiter iam Pn." Wo. — 14. uni T. omnibus miseris Ingolst. miseris omnibus L cf. Meyer. p. 7. omnibus miserior T, Er. missis omnibus C. nocet L, ingratescit T. — 15. in miseri vitam inventa scripsi ex coni. in miseria vita (omisso etiam) PR, in misera vita B, in miseri vita Cβ, in misera vita etiam FH cf. Meyer. p. 9. 17. 18. 56. 61. in misero vita est etiam cont. coni. Bo. in miseri vitam tuta contumelia est Halmius, ed. II. Ri. in miseri vita vita coni. amicus quidam Gruteri, ed. I. Ri. in miseri vitia nulla Er. Gr. ed. Bip. Or. in miseri vita vel vitio nulla proposuit Gr. in not post. p. 207. („in miseri vita inulta" Gr. teste Ribbeckio) in miseria etiam vita Wo. in miseria vita etiam Spe. — 16. Gell. NA. XVII. 14, 4. v. 10. Macrob. Sat. II. 7. v. 12. posse ut facile fieri PRF, fieri B supra scr. m sec. facile om. Gell. et Macrob. cf. Meyer. p. 37. hunc ñ inimicum putes PRB, hunc amicum supra scr. inimicum cod. Vossian Gellii, putes hunc inimicum F, hunc inimicum putes β, Gell. et Macrobius, ut hunc fieri posse inimicum putes Vinc. Bell. sp. d. 5. 88. ut posse inimicum fieri putes Io. Saresb. Policr. VIII. 14. ut inimicum fieri posse scias C, posse ut fieri inimicum putes Er. posse inimicum fieri ut putes Gr. in senar. v. 340. Or. v. 345. ita habeas amicum, posse ut fieri inimicum putes Gr. in troch. vel quasi v. 811. posse ut facile

Invídiam ferre aut fórtis aut felíx potest.*
In amóre semper méndax iracúndia est.
Invídia tacita inimíciora iráscitur.*
Irátum breviter vítes, inimicúm diu.*
Iniúriarum rémedium est oblívio.*
'Iracundiám qui vincit, hóstem superat máximum.*
Iáctum in te tacéndo acumen crímen facias ácrius.*
'In malis speráre bene nisi ínnocens nemó solet.*
In víndicando críminosa est céleritas.*
Inimícum quamvis húmilem docti est métuere.*
In cálamitoso rísus etiam iniúria est.*
Iudéx damnatur, cúm nocens absólvitur.*
Ignósse noli, nísi pudet, cui ignóscitur,
In rébus dubiis plúrimi est audácia.*
Illó nocens se dámnat, quo peccát die.*
Ita dés amico, né sit inimicó locus.*
Irátus etiam fácinus consiliúm putat.*

---

fieri hunc inimicum putes ex cod. Caiano Be. Or. v. 824. Bo. Mart. Hertzius, Wo. Ri. Spe. — 17. TC. an f. an f. F. filex PR. fortis aut felix LH, felix aut fortis T cf. Meyer. p. 35. -- 18. est ir. F, est B sec. m. — 19. in F iterum post I 33 (262): invidia tacita citius inimica irascitur. tacite sed inimice L Gr. Be. Or. Bo. Wo. Ri., tacita cite, sed inimice H cf. Meyer. p. 17. 20. tacite, sed minute Er. munite cod. Gryphisw. Reinholdi, i. tacita citius inimica i. Ed. Lips. v. 370. sed eadem v. 371.: i. tacite, sed inimice i., invidia tacite, manifeste ira nascitur coni. Th. Fritzschius cf. Ribbeck. Coroll. p. CII. tacita inimiciora scripsi ex coni. — 20. C. — 21. Sen. ep. XV. 2 (94) 28. TCH [cf. ad Publ. H 28 (667)] O cf. Meyer. p. 50. 60. magnánimo iniuriaé r. o. est Ps. ex Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 8 (Sent. 90) magnanimo iniuriae est r. o. correxit Bo. v. 420 (355). — 22. EC. max. sup. h. F, sup. h. maximum Gr. h. sup. max. Bo. hostes maximos debellavit T. -- 23. iactum L cf. Salmasius ad Ael. Lampr. Comm. 7. Bo. Wo. Ri. Spe. ictum F, factum Gryphisw. Ps. Be. Or. sed idem proposuit fictum, dictum ut G 9 (202) Buechelerus. tacendo Bβ, tacendum P, tacentem RF. facies R. Abest versus ab Erasmi editione. — 24. ECH. bene sperare C. Nemo Nisi innocens potest H cf. Meyer. p. 17. 18. 61. — 25. vindicando PRE, Er. Or. Bo. Wo. Spe. iudicando BFCβ. Gr. Ri. ed. II. criminosa mora est cel. C. — 26. C. — 27. in calamitosum coni. Halmius, sed cf. Publ. I 47 (277). etiam risus C. — 28. EC. cum L, ubi nocens O cf. Meyer. p. 50. 65. 19, 1. innocens E. — 29. ignosse noli scripsi ex coni. ignoscere hominum L, Gr. i. humile est coni. Ri. humanum Er. i. odio coni. Buechelerus cf. Meyer. p. 7. est om. Er. Or. Bo. Wo. est nisi Lβ. Ri. Spe. est erasum in B. ubi Er. cui om. F, cum coni. Bo. — 30. plurima LC, plurimum vel plurimi non scripsit, sed proponit Er. -- 31. ilo R. innocens C. quod P. diu B. — 32. des scripsi ex coni. crede Pa RBEC, Er. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. credo Pb. credas F. ne L, Er. Gr. Or. Wo. Ri. Spe. ut ne coni. Bo. probante Ri. imico Pb, amico B, sed sup. scr. pr. m. inimico. — 33. EC.

Invídia loquitur, quód videt, non quód subest.
II
Iniúriam aures fácilius, quam oculí ferunt.
Iacet ómnis virtus, fáma nisi laté patet.
Ignís calorem súum etiam in ferró tenet.
In Vénere semper cértant dolor et gaúdium.
In amóre forma plús valet quam auctóritas.
Ingráta sunt benefícia, quis comes ést metus.
Imprúdens peccat, quém peccati póenitet.
Inértia indeptátur, cum fugitúr labor.
Irátus cum ad se rédiit, sibi tum iráscitur.*
In amóre semper caúsa damni quaéritur.
Iucúnda macula est éx inimici sánguine.
In Vénere semper dúlcis est deméntia.
In mísero facile fít potens iniúria.
Intérdum habet stultítiae partem fácilitas.
Inértia est labóris excusátio.
Iniúriam facílius facias quám feras.

---

etiam facinus L, facinus etiam Ri. — 34. Sic versum recte exhibet unus H (cf. Meyer. p. 17. 18. 60) ex emendatione scripsit Nauckius Mél. Gréco-Rom. Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 195. i. id loquitur non quod (quo β) subest PRBβ, i. id quod videt loquitur, non quod subest F cf. Meyer. p. 9. loquitur non quod est, sed quod subest Go. i. l. id quod obest, non quod subest Gr. Or. i. l. id quod abest, non quod subest Bo. loquitur quod subest, non quod videt Wo. i. coquitur quod videt, non quod subest Ri. i. id loquitur quod videt non quod subest Spe. Abest versus ab Erasmi editione. — 35. iniuriarum H cf. Meyer. p. 17. 19. 60. quam oculi facilius L. f. q. oculi A. Luchsius cf. Ribbeck. Coroll. CII. probante Meyero p. 27. — 36. patet H cf. Meyer. p. 60. pateat F. — 37. etiam s. c. F, s. c. etiam H (cf. Meyer. p. 20. 60) Wo. c. s. etiam Ri. idque recepi. — 38. Venere Gr. Venerem FVH cf. Meyer. p. 17. 60. certat L, certant Ψ (cf. Meyer. p. 27) Ri. Spe. Cf. Madvig. Gram. lat. §. 213. — 39. amore Gr. amorem F cf. Publ. I 38 (268). — 40. quis (queis) Gr. quibus FH cf. Meyer. p. 60. Publ. F 29. — 41. Versum om. Bo. peccati coni. Spe. quem facti F, cum facti H cf. Meyer. p. 20. 60. post facti coni. Gr. Or. Wo. coll. Publ. G 3 (196) M 58 (366) Ri. mox facti Halmius. — 42. indeptatur scripsi ex coni. cum indicatur F, tum indicatur Bo. iudicatur H (cf. Meyer. p. 20. 61) Gr. Or. indicatur Wo. Ri. Spe. — 43. Versus exstat apud Caec. Balb. p. 21. Mon. VII. 3 (Sent. 97). Cf. Woelfflin. Sent. falso inter Publ. recept. 181. rediit Be. redit FH cf. Meyer. p. 44. 60. — 45. iocunda Wo. cf. Publ. I 10 (239). inimici Ingolst. imici F. — 46. in venere Spe. — 47. Publ. I 15 (244). — 48. facilitas coni. Wo. Ri. Spe. felicitas FH (cf. Meyer. p. 19. 61) verborum ordine mutato: Stultitiae p. interdum h. felicitas Gr. Or. Bo. — 49. est laboris Ingolst. laboris est HFV cf. Meyer. p. 19. 61. — 50. facias quam feras HF, feras quam facias

Irátus nil non críminis loquitúr loco.
Incértus animus rémedium est sapiéntiae.
In túrpi re peccáre bis delínquere est.
Ingénuus animus nón fert vocis vérbera.
Iniúriam ipse fácias, ubi non víndices.
Is mínimum eget mortális, qui minimúm cupit.
Inimíci ad animum núllae conveniúnt preces.
Inimíco exstincto exíre lacrimae nón habent.
Ibi sémper est victória, ubi concórdia est.
Iter ést quacunque dát prior vestígium.*
'Ibi potest valére populus, úbi leges populí valent.

Z

Insánae vocis núnquam libertás tacet.
'Improbe Neptúnum accusat. qui íterum naufragiúm facit.* 264.

Φ

Ita amíco prosis, út ne quid noceás tibi.
Inópia est turpis, quáe venit de cópia.
Irátus filio ípse te coërceas.

O cf. Meyer. p. 50. 64. 18, 1. — 51. nil Ingolst. nihil FH. non criminis F, cum criminis H cf. Meyer. p. 61. — 52. incertus L, „an ingenuus?" Wo. coll. I 54 (284) invictus proponit Maehly; „inutiliter utrumque" Ri. remedium FHV cf. Meyer. p. 19. 61. dimidium coni. Bo. coll. Plaut. Pseud. I. 5. 37. — 53. in turpem om. re. H. „Palatinae schedae Venereum quid produnt" Gr. bis m. 1 in ras. Cf. Meyer. p. 61. „an vix?" Ri. — 54. Diversus est versus. qui cum sit in T (cf. Meyer. Act. Mon. 1872. tom. IV. p. 553. v. 68) Woelfflino ex hoc mutatus videtur. cf. Publ. I 62. — 55. iniurias ipse facies O cf. Meyer. p. 51. 64. 17, 4. — 56. Affertur hic versus a Sen. ep. XVIII. 5 (108) 11. Caec. Balb. p. 23. Mon. XII. 8 (Sent. 99). is om. Caec. Balb. minimum eget F. Caec. Balb. Spe. minimo e. Sen. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. mortalis om. HFV cf. Meyer. p. 19. 61. — 57. conveniunt L cf. Meyer. p. 61. perveniunt coni. Nauckius, i. ad te animum n. convertunt p. coni. Buechelerus. — 58. exire scripsi ex coni. exitium L. Gr. Or. Wo. exitum H Ψ cf. Meyer. p. 19. 27. 61. „mallem exitum. nisi metrum respueret" Wo. pretium coni. Ri. i. e. non habent lacrimae exitum proponit Meyerus, i. e. risum lacrimae non tegunt Nauckius coll. Publ. H 19 (221). i. e. non habent lacrimae fidem Buechelerus, officium proposuit Spe. — 60. inter est qua cumque H cf. Meyer. p. 61. qua cumque Ri. — 61. potest F, pote Gr. Or. Wo. Ri. is pote Nauckius (cf. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 206) ibi valebit coni. Bo. l. populi valent scripsi ex coni. l. valent L. — 62. invectivae vocis. nunquam T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. p. 553. v. 68. — 63. T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. tom. IV. p. 553. v. 77. Gell. NA. XVII. 14, 4. v. 9. Macrob. Sat. II. 7. v. 9. Deest in LEC. — 64. Caec. Balb. p. 41. Par. 46 (Sent. 101) cod. O Veronensis cf. Meyer. p. 66. 25, 3. Cf. Publ. I 32 (261). — 65. Caec. Balb. p. 41. Par. 44 (Sent. 92). — 66. Caec. Balb. p. 33. Mon. XLI. 2. p. 41. Par. 57 (Sent. 98).

L

Loco ígnominiae est ápud indignum dígnitas.
Laus nóva nisi oritur, étiam vetus amíttitur.*
Laesó doloris rémedium inimici ést dolor.
Levis ést Fortuna: cíto reposcit, quód dedit.
Lex úniversa est, quaé iubet nasci ét mori.*
Lucrum ábsque damno aliéno fieri nón potest.
Lascívia et laus núnquam habent concórdiam.
Legém nocens verétur, fortunam ínnocens.*
Libído, non iudícium est, quod levitás sapit.
Libído cunctos étiam sub vultú domat.

II

Longum ést, quodcunque flágitavit cúpiditas.
Lapsús semel fit cúlpa, si iterum cécideris.
Lex vídet iratum, irátus legem nón videt.
Légem solet oblívisci ira, núnquam lex irám solet.
Locís remotis quí latet, lex ést sibi.
Late élucere insígne ut nil urát potest.

L 1. C. — 2. EC. ubi nova Er. admittitur Er. — 3. doloris BFC, dolori PR. inimici est Bo. est inimici PRBC, est om. F. cf. Meyer. p. 7. — 4. Fortuna levis est Bo. v. 257. Levis est Fortuna Bo. v. 404. quod L, Gr. Wo. Ri. Spe. quae Er. Or. Bo. Sed vide ad Publ. A 28. — 5. universa PRBF, universalis ECβ, universi Er. univorsast Spe. est om F. quae supra scr. β. — 6. Damnavit Ritschelius opusc. II. 666. 672. TEC. absque d. alieno scripsi ex coni. sine d. alterius L, Er. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. po ... Pa ultimis litteris evanidis, potens Pb. — 7. EC. — 8. Fortunam Be. — 9. libido non F, libido indicium PRβ, libidini coni. olim Wo. libido indicium est eius q. l. s. Ps. alii codd. Gruteriani haud improbante Grutero, cum addat: „alio sensu, vivido tamen"; improbante Bothio, cum iudicet: „Legitur hic quoque, sed inepte: L. indicium e. e. q. l. s." Cf. Meyer. p. 9. — 10. cunctos L, etiam cunctor β, cinctos coni. Salmasius ad Solin. p. 46. vultu L, „sanum esse vix credo: num v o t u m corrigendum ad Hor. epist. I. 16, 57 sqq. sententiam?" Ri. dampnat F. — 11. longum est quod flagitat c. FH cf. Meyer. p. 17. 61. longinquum est omne quod c. flagitat coni. Gruterus, Or. Bo. quodcunque flagitavit c. scripsi ex coni. Versum uncinis inclusum spurium iudicavit Spengelius cf. praef. p. 14. — 12. lapsus semel F, l. s. ubi sis O. fit culpa F, sit tua culpa O cf. Meyer. p. 51. 65. 23, 1. qui novis illis verbis additis versum hunc quadratum constituit: Lápsus ubi semél sis, fit tua cúlpa, si iterum cécideris. — 14. l. s. o. iracundia ..... F, l. s. obliviscier iracundia Gr. Or. l. oblivisci solita est i. Bo.. Versum ut imperfectum uncinis inclusit Wo. probante Spengelio, ut plenum recepit Ri., ut mutilum supplere conatus sum. — 15. est sibi Ingolst. sibi est F. — 16. elucere insigne scripsi ex coni. lucere ignis F, Gr. Or. nihil F. l. l. ut urat nihil ignis potest Bo. l. l. ignis nihil ut urat potest vel ut urat nihil ignis p. Bothii recepta emendatione Wo. late ignis lucere, ut nihil urat, non po-

Licéntiam des línguae, cum verúm petas.

Z

Lucrum ést dolorem pósse damno exstínguere. 668.

M

Malígnos fieri máxime ingratí docent.* 309.
Multís minatur, qui úni facit iniúriam.* 310.
Mora ómnis odio est, séd facit sapiéntiam.
Mala caúsa est, quae requírit misericórdiam.
Mori ánte est quam mortem ínvoces felícitas.
Miserum ést tacere cógi, quod cupiás loqui.
Misérrima est fortúna, quae inimicó caret. 315.
Malus ést vocandus, quí sua est causá bonus.*
Malús bonum ubi se símulat, tunc est péssimus.
Metús cum tenuit, rárum habet somnús locum.
Morí necesse est, séd non quotiens vólueris.
Male géritur, quicquid géritur fortunaé fide.*
Mórtuo qui míttit munus, níl dat illi, se ábdicat.

---

test Nauckius probante Ribbeckio. late lucere nil ut nihil urat (vel: ita ut nihil urat nil) potest proposuit Ri. l. l. nihil ut nihil urat potest coniecit Spe. — 18. T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 554. v. 79. „Versus hucusque ignoratus utpote per errorem omissus ab Orellio" Wo. —

M 1. C. malignus Pb, malignum Fa. fieri L, ferre T. maxime ingratos docere saepe T. — 2. comminatur T. uni PRTECβ, vi F. contumeliam facit T. iniuria F. qui facit uni iniuriam Ps. — 3. odiosa C. „an patientiam?" Wo. „Fortasse: quam facit sapientia" Spe. sapientiam facit β. — 4. mala C, Er. mali PRFβ. — 5. mori est felicis L, Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. felicius libri quidam Erasmi et Gryphiswaldensis, felicitas scripsi ex coni. et in versus exitum transposui. antequam L. ante est quam scripsi ex coni. mortem invoces R, invocis P, invocet F, invocens Gryphisw. mors invocetur C. „unde conicias: Mori est felicius, a. m. invoces" Wo. — 6. tacere C cf. Meyer. p. 9. itemque Er. agere PRF. cupies Pn. — 7. in. caret PR, Er. Gr. Be. Bo. Wo. Ri. Spe. caret in. C. inimicos latet F, Or. — 8. sua est causa PRF, Wo. Ri. Spe. sua c. est bonus β, Er. Gr. Bo. est s. c. b. C. sui est c. b. repugnantibus libris nullaque addita causa Be. Or. Sed. cf. Quint. III. 7, 16. si quid praeterea supra spem aut exspectationem, praecipue quod aliena potius causa, quam sua. Sen. de benef. VI. 12, 2 multum enim interest, utrum aliquis beneficium dat nobis sua causa an et sua. ib. VI. 13, 2. 19, 1. 20, 2. — 9. malus L, homo malus H cf. Meyer. p. 17. 60. bonum ubi se PR, Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. ubi bonum se FE, Er. ut se b. C. cum se simulat bonum H. tunc peior est supra scr. vel pessimus Er. — 10. dum Go. tenuit scripsi ex coni. venit L. „regnat vel vexat vel vigilat melius esset" Ri. somnus F. sompnus C. sonus PRβ. — 11. est FC cf. Meyer. p. 9. sit PR. quotiens L. Wo. Ri. Spe. quoties Er. Gr. Or. Bo. — 12. C. quicquid Fβ, „quid in CPR exstet a nullo notatur" Ri. fortunae L, Er. Wo. Spe. Fortunae Gr. Be. Cr. Bo. Ri. — 13. m. munus

Minus ést, quam servus, dóminus qui servós timet.
Mage fídus heres náscitur, quam scríbitur.
Malo ín consilio féminae vincúnt viros.*
Mala ést voluntas álienum rescíscere.
Máximo maló custodit únus, quod multís placet.
Malum ést remedium, ubi áliquid naturaé perit.*
Malaé naturae núnquam doctore índigent.
Miseréri scire síne periclo est vívere.
Male vívunt, qui se sémper victurós putant.
Maledíctum interpretándo facias ácrius.*
Male agít secum aeger, médicum qui heredém facit.*
Minús decipitur, cuí negatur céleriter.*
Mutát se bonitas, cum ínruat se iniúria.
Muliér cum sola cógitat, male cógitat.
Male fácere qui vult, núnquam non causam ínvenit.*

---

qui mittit Gr. nil Er. nihil L. sibi adimit L, adimit sibi Be. Ri. se abdicat scripsi ex coni. — 14. EC. timit P. — 15. mage emend. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. magis LC, Spe. magis heres fidus Ps. Er. — 16. EC. in om β. — 17. voluntas LCβ, voluptas Er. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. ad alienum consuescere L, Gr. Or. Wo. alienis adsuescere Er. ad alienum adsuescere Bo. Ri. coll. Publ. E. 19 (165). ad alienum suescere coni. Hahnius et Spe. alienum resciscere scripsi ex coni. Cf. Meyer. p. 7. 8. — 18. malo scripsi ex coni. cf. praef. p. 16. periculo LEC, periclo Gr. lucro β, magno cum periclo Er. servatur coni. Baechelerus. „Caret legitima caesura septenarius: multo melior Hieronymi senarius (adv. Jovin. I. sub f. difficilest custodire quod plures amant)“ Ri. cf. Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 429. Ribbeck. Coroll. p. XCVIII. — 19. remedium scripsi ex coni. medicina L. — 20. mali natura . . . indiget coni. Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. tom. II. p. 340. III. p. 198. doctore Pb RCβ, doctorem Pa, datore F, doctrina Er. — 21. misereri scire egregie restituit Wo. (cf. Philol. XXII. p. 461) ex RE, Ri. ed. II. Spe. miseri scire P, miseri est nescire Commelini ms. Gallicus, Gr. v. 415. Ri. ed. I. v. 641. miseriam nescire F, Er. Gr. v. 416. Or. v. 423. miserum est sine periculo nescire vivere C. periclo Gr. periculo L. est s. periculo vivere Er. Trochaicum hunc fecerunt Go. et HSt.: míseriam nescíre propriam est síne periclo vívere, Or. v. 828. om. Bo. ad Publ. v. 992. — 22. EC. — 23. male dictum Ri. maledictum male interpretando C. facies C, Er. agrius P. — 24. male secum agit aeger L, Er. Gr. Be. Or. Bo. Wo. Ri. male secum agit medicum aeger Spe. Scripsi: male agit secum aeger cf. Publ. B. 29 (72). Solet Publilius male agere arcte coniungere, ut nil agere Publ. N 1 (377) et rem agere C 30 (115) R 6 (574). — 25. celeriter negatur CT. — 26. cum inritatur PR, cum irritatur FCβ cf. Meyer. p. 8. cum irrogatur cod. Panthaleonis, cum irrites Er. irritata coni. Ps. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. cum inruat se scripsi ex coni. — 28. mal Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 205. nunquam non Gr. 375. Be. Bo. Wo. Ri. Spe. nunquam non c. i. addito alii causam numquam invenit Pb., nusquam non F, Er. Gr. 376.

Malévolus semper súa venena páscitur.*
Multós timere débet, quem multí timent.
Male ímperando súmmum imperium amíttitur.
Muliér quae multis núbit, multis nón placet.*

//

Malévolus animus ábditos dentés habet.
Medicína calamitátis est aequánimitas.
Mulíebris lacrima cóndimentum est málitiae.*
Metúm respicere nón solet, quicquíd iuvat.
Malo étiam parcas, si úna est periturús bonus.
Magnúm secum affert crímen indignátio.
Malus étsi non pote, pósse obesse cógitat.
Mage quíd calamitas váleat, qui nescít, valet.
Mora cógitatiónis diligéntia est.
Multa ígnoscendo fít potens poténtior.
Multís placere quaé cupit, culpám cupit.
Minimum éripit Fortúna, cum minimúm dedit.*
Meretríx est instruméntum contuméliae.
Malús bonum ad se númquam consiliúm refert.
Manifésta causa sécum habet senténtiam.
Multórum calamitáte vir moritúr bonus.
Metus ímprobos compéscit, non cleméntia.

---

nusquam nisi β, nunquam Pa R, nonnunquam Vinc. Bell. sp. d. 4, 106., plus quam non vult invenit C. — 29. sua natura vescitur Pa RF, Er. Gr. Be. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. nascitura Pb. natura sua β, sua venena pascitur scripsi ex coni. vescetur F, vestitus C. — 31. EC. — 32. nubit F, nubet PR, nubit multis, multis non placet Er. — 33. malivolus Wo. Ri. Spe. — 35. c. malitiae est Gr. Be. Or. est c. malitiae Bo. — 36. metam coni. Maehly, metus Meyerus, „an malum?" Ri. cui quid — coni. Halmius. „malim solent, si quid iuvat" Ri. — 38. magnum crimen secum adfert F, Gr. Or. Wo. m. secum affert cr. reposuit Nauckius probante Ri. cf. Bo. ad Publ. v 418. magna est cum crimen adfert i. coni. Bo. — 39. etiam si obesse non potest F, etsi o. non potest Ri. Spe. etsi o. n. pote Gr. etsi non pote scripsi ex coni. tamen cogitat F, Gr. Or. Bo. tam c. Bo. posse obesse cogitat scripsi ex coni. — 40. magis valet qui nescit F, Ri. mage v. q. n. Gr. cf. Publ. M 15 (323) Or. Wo. quod valet calamitas F, Ri. quod calamitas v. Wo. (cf. Proleg. p. 54) calamitas quid valet Gr. Or. quantum valeat calamitas proposuit Ri. m. is. valet qui scit quid valeat c. coni. Ed. Beckerus apud Spe. Publ. v. 346. — 42. multa F, multo Spe. „Probarem discendo (vel gnoscendo) multa vel multum gnoscendo" Ri. — 43. culpam capit F, Gr. c. cupit ed. Bip. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. — 44. cum F, Gr. Spe. cui coni. Be. Or. Bo. Wo. Ri. — 45. est instr. Gr. instr. est F. — 48. calamitate F, Gr. Or. Bo. Spe. ca-

Munéribus est, non lácrimis meretrix místericors.
Metuéndum est semper, ésse cum in tutó velis.
Mórs, felix infánti, acerba iúveni, sera venís seni!
Malam úbi velis rem unam, ómnem honestatem ímprobes.
Malum ést consilium, quód mutari nón potest.
Malítia unius cíto fit maledictum ómnium.
Mortem úbi contemnas, víceris omnés metus.
Misera ést voluptas, úbi pericli mémoria est.*
Male víncit iam quem poénitet victóriae.
Misericors civis pátriae est consolátio.
Malítia ut peior véniat, se simulát bonam.
Malus ánimus in secréto peius cógitat.
Mutáre quod non póssis, ut natum ést, feras.
Multa ánte temptes, quám virum inveniás bonum.
Misérrimum est aliéno arbitrio vívere.
Mansuéta tutióra sunt, sed sérviunt.
Mala mórs necessitátis centumélia est.
Minús supines, sí scias, quod néscias.

---

lamitati coni. Ri. Wo. — 50. muneribus est, non lacrimis m. m. Meyerus p. 28. muneribus, non lacrimis meretrix est m. F, Gr. Or. uncinis incluserunt Wo. et Spe. (cf. praef. p. 14). muneribus meretrix tangitur, non lacrimis coni. Bo. muneribus meretrix, non fit (sive fit non) lacrimis misericors coni. Ri. — 51. metuendum semper esse scias, quem tutum v. F. uncinis inclusit Wo. sine numeris edidit, sed corrigi voluit: metuendum semper scito ei q. t. v. vel metuendumst esse, qui esse se t. velit Ri. m. semper est ei, quod t. v. Gr. Or. Bo. sed cf. Publ. F 9 (174). metuendumst semper, esse si tutus velis coni. Spe. metuendum est semper, esse cum tutus velis coni. Meyer. p. 31. — 52. m. infanti felix, iuveni acerba, sera nimis seni F, Gr. Or. Bo. Wo. nimis sera seni Buechelerus probante Ri. inclusit uncinis Spe. — 53. m. rem cum v. h. i. F. — 54. Gell. NA. XVII. 15. v. 1. omissus ap. Macrob. Sat. II. 7. cf. Meyer. p. 36. C. consilium est Petau. Gellii. — 56. m. viceris omnes F, omnes v. metus Ingolst. Gr. Or. Wo. v. omnes metus Bo. Ri. Spe. cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 199. — 57. periculi F, pericli Ingolst. — 58. C cf. Meyer. p. 56. m. v. audaciam quem T. vincit quem F cf. Meyer. p. 28. v. is quem Gr. coll. 82. Or. Bo. v. quem post Wo. coll. 111. 196 probante Ribbeckio, quem mox Halmius. poenitet F, poenitet victoria T. „m. vicerit quem p. v". vel: „m. vicit, clam q. p. v". proposuit Ri. — 62. mutare („voluit mutari" Ri.) q. n. potis est Gr. in edit. a. 1610, in ceteris editionibus versus desideratur: Woelfflin. Phil. XIII. p. 67. cf. Publ. F 11 (176). — 63. temptes restituit Wo. ex cod. F cf. Phil. XI. p. 190. receperunt Ri. et Spe. tempus Gr. Or. multa ante in tempus i. e. „ad tempus, quo tempore tibi opus est viro bono" Bo. — 64. alterius arbitrio F, arb. alterius Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. Scripsi alieno arbitrio cf. Publ. B 7 (50) E 4 (150) coll. Nep. Hann. XII. 5. quam (vitam) ne alieno arbitrio dimitteret etqs. — 67. minus saepe pecces F, Gr. Or. Bo. minus supines scripsi ex coni.

Malús qui ubique in poéna est, praesidium ést bonis.

Z

Multís superbus, húmilis tacite fért deum. 669.

O

Monére, non puníre stultitiám decet.
Múlto turpiús damnatur, cuí delictum ignóscitur.

Φ

Malum álienum cave gaúdium faciás tuum.
Malum ést solamen ádversantis dígnitas.
Malus aúctor etiam rém bonam turpém facit.

P

Mors mísera non est, áditus ad mortem ést miser.

Σ

Nil ágere semper ínfelici est óptimum. 377.
Nil péccant oculi, cum ánimus oculis ímperat.*
Nil próprium ducas, quícquid mutarí potest.
Non cíto ruina operítur, qui rimám timet. 380.

---

quod F, Or. Bo. Wo. Spe. quid Gr. Ri. — 68. m. quicunque F, Gr. Or Bo. Wo. Ri. m. ubi nemo inpune est coni. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 197. adnot. 2. m. ubicunque proposuit Ri. m. qui ubique scripsi ex coni. — 69. mutus est si psallat superbus. humilis dominum laudat etiam cum videtur habere silentium T ap. Meyer. Act. Mon. 1872. tom. IV. p. 554. v. 85. mútust, psallát, superbus: húmilis laudat, cúm tacet Ri. ed. I. 70. O cf. Meyer. p. 63. 9, 4. — 71. in delicto O cf. Meyer. p. 65. 22, 2. coll. Caec. Balb. p. 42. Par. 63. — 72. m. a. tuum ne feceris gaudium Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 16. p. 41. Par. 60 (Sent. 110). — 73. solati mali e. a. d. Caec. Balb. p. 30. Mon. XXXII. 2 (Sent. 111a). — 74. auctor m. b. r. t. f. Caec. Balb. p. 27. Mon. XXII. 5 (Sent. 111b). — 75. Quint. VIII. 5. 5: illud notabile ex diversis M. m. n. e. a. a. m. e. m. cf. Meyer. p. 38. miser est al.

N 1. nil Ingolst. nihil LO, Er. Bo. Spe. nichil β. infelici C, Er. Gr. Or. Wo. infelicis PRF Gryphisw. infelicist Ri. felicis β. opt. est C. — 2. nil Er. nihil LECO, Spe. nichil β. peccant ECOβ Gryphisw. peccent Er. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. animus oculis PREO, Er. oculis animus FC cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 458. illis animus coni. Maehly. imperat RC, non imperat O cf. Meyer. p. 50. 63. 7, 2. imperet Er. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. — 3. nil Er. nihil LC, nichil β. ducas PR. dicas FCβ. quicquid PR, quod CFβ. potest CFRβ, possit P, quod mutari possiet Er. probante Ribbeckio, quod mutarier potest Ps. quod demutari potest Buechelerus mus. Rhen. XXVII. 135. cf. Meyer. p. 8. — 4. operitur scripsi ex coni. perit vir Pa RFβ, Er. peritur Pb, opprimitur (omisso ruina) T. perit C, perit homo Gryphisw. perit is Gr. Or. n. cito perit r. Bo. n. c. r. opteritur (teritur? premitur?) Wo. probante Spe. et Ri. qui tamen ipse edi-

Núllus est tam tútus quaestus, quám quod habeas, párcere.
Néscias quid óptes aut quid fúgias: ita ludít dies.*
Nunquám periclum síne periclo víncitur.*
Núlla tam bona ést fortuna, dé qua nil possís queri.*
Núsquam melius mórimur homines, quam úbi libenter víximus.*
Negándi causa aváro nunquam nón fuit.*

Natúram abscondit, cum ímprobus recté facit.
Non túrpis est cicátrix, quam virtús parit.
Nunquám diu, ubi fit ígnis, defiát vapor.
Necésse est minima máximorum esse ínitia.
Non córrigit, sed laédit, qui invitúm regit.
Nímium concedéndo interdum fít stultitia fácilitas.

---

dit oppremitur. rimam Pb, Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. primam Pa R, ruinam TFC Gryphisw., Er. „Fortasse sic legendum, ut sit trochaicus: „Nón citŏ perít ruina, qui ruinam praetimet" Er. — 5. tam tutus („possis etiam tam certus") coni. Wo. cf. Phil. XXII. p. 458. probantibus Ri. et Spe. tantus LCβ cf. Woelfflin. Prol. p. 54. parcere Ingolst. carcere R, arcere PFC, carere β supra scr. Cf. Meyer. p. 8. † nullus tautus quaestus, quam, quod habeas. parcere Or. nullis numeris, n. est alius tanti quaestus, quam quod habeas parcere coni. Bo. „ne κακοφώνως legeretur"; om. Gr. — 6. C. nescis Er. au quid R. — 7. Gell. NA. XVII. 14. v. 12. Macrob. Sat. II. 7. periclum ... periclo Gellii codd. et Macrobii m. pr. periculum ... periculo LCETβ Macrobii Par. m. 2. est vincitur Reg. Lugd. Gellii. — 8. fortuna est F. nil F, Er. nihil PR, non β. queri Er. quaeri PRF, conq̄ri β. — 9. nunquam .... quam cum C, nunquam ... vivimus coni. Bo his additis: „non locus agitur, sed tempus, quo cuiquam moriendum sit, in iuventute cf. Publ. M 5 (315)". — 10. avaro nunquam deficit PRFEβ, Er. Gr. Or. Bo. Wo. Spe. sed F infra post v. 422 iterum: N. c. avarum nunquam facit. Avaro neg. causa C cf. Meyer. p. 55 coll. p. 15. 16. 18. avarum nunquam deficit Ri. avaro nunquum defuit coni. Nauckius. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869 tom. III. p. 198. avaro nunquam non fuit scripsi ex coni. — 11. cum improbus r. f. Bo. Wo. Ri. Spe. improbus cum r. f. F, cum r. improbus f. Gr. Or. — 12. t. est cicatrix Wo. probantibus Ri. et Spe. est t. cicatrix F, est cicatrix turpis Gr. Or. Bo. — 13. n. ubi diu fuit F, Gr. Or. Wo. Ri. n. diu ignis ubi fuit Bo. n. ubi diu fit Spe. cecidit F, defuit Ingolst. defit Bo. deficit C, Spe. defecit Halmius, occidit proposuit Wo. Phil. XXII. p. 457. concidit H. Bruppacherus Turicensis. — 14. esse maximorum vitia F φ (cod. lat. Monac. 17210 s. XIII) Bart. (cf. Meyer. p. 5) esse om. κ (cod. Monac. 7977 s. XIII. cf. Meyer. p. 29) esse initia scripsit ex coni. Woelfflinus (cf. Phil. XXII. p. 457: in editione scripsit maximorum minima esse initia) confirmata codice κ probantibus Ri. et Spe. Esse necesse est vítia minima maximorum maxima Gr. Or. om. Bo. — 15. regit F, laedit (nisi fallor per errorem) Or. docet Bo. his additis: „Ineptissime libri (?) et ἀμέτρως: qui invitum laedit". — 16. nimia c. i.

Nil mágis amat cupíditas, quam quod nón licet.
Nisi víndices delícta, improbitatém iuves.*
Nullí facilius quám malo inveniás parem.
Nil nón acerbum príus est, quam matúruit.
Nocére posse et nólle laus amplíssima est.
Non víncitur, sed víncit, qui cedít suis.
Necéssitas dat légem, non ipsa áccipit.
Néscio quid cógitat aliud, cúm bonum imitatúr malus.
Nulla hómini maior poéna est, quam mendícitas.
Non nóvit virtus cálamitati cédere.
Necéssitas ab hómine quod vult ímpetrat.
Necéssitati quódlibet telum útile est.
Nocére casus nón solet constántiae.
Non póte non sapere, quí se stultum intéllegit.
Necéssitas egéntem mendacém facit.
Non fácile solus sérves, quod multís placet.
Necéssitas quod póscit, nisi des, éripit.
Nocéns precatur, ínnocens iráscitur.*
Nec víta nec fortúna propria est hóminibus.
Non sémper aurem fácilem habet facúnditas.
Nunquám non miser est, quí quod timeat cógitat.

F. Wo. Ri. Spe. stultitia fit versu uncinis incluso Wo. cf. Phil. XXII p. 457. nimium concedere est interdum stoliditas proposuit Ri. nimia concedendo interdum fit stultitia stultior Meyer. p. 31. Versus eiectus est a Gr. Or. Bo. — 17. nil Ingolst. nihil F. quam id quod Bo. — 18. adiuves F. — 19. invenies F. Gr. Or. Bo. Ri. invenias Wo. Spe. cf. Publ. M 63 (371). — 20. nil Ingolst. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. nihil F. priusquam F. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. est om. F, addidi ex coni. maturum fit F („non sit" Wo.) m. siet Ingolst. (cf. Woelfflin. Prol. p. 58) m. fuit Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. maturuit scripsi ex coni. — 21. amplissima est Ingolst. est amplissima F. laudem sibi praeparat ampliorem T. — 22. cedit suis Gr. suis cedit F. — 24. cogitat F. Gr. Or. agitat Bo. Wo. Ri. nescioquid Spe. aliud inserui ex coni. — 25. n. est m. homini p. T. n. hominum m. p. est F, homini Wo. hominum Gr. Or. quam infelicitas F. Gr. Or. Wo. Spe. quam necessitatis inopia T. quam necessitas Haupt. Phil. I. p. 665. probante Ri. mendicitas scripsi ex coniectura. — 27. quae v. F cf. Publ. A 28. — 29. Cf. Publ. N 26 (402). — 30. pote Ingolst. potest F. — 31. egentem F. egenum malit Bo. mendacem F, mendicum coni. Buechelerus. — 32. solus serves F, Gr. Or. Wo. Ri. Spe. serves solus Bo. — 33. nisi des coni. Wo. (cf. Prol. p. 50) probantibus Ri. et Spe. nisi dederis F. ni dederis Ingolst. nisi das Gr. Or. Bo. — 35. propriast coni. Spe. et Buechelerus. recepit Ri. perpetua est hominibus F, h. perpes est Gr. Or. Bo. Wo. n. v. hominibus n. f. perpes est Froehlichius. — 36. habet facilitas F, facilitas habet Meyerus coll. Publ. I 48 (278) probante Wo. habet felicitas Gr. Or. Bo. Ri. Spe. — 37. timeat

Nisi quí scit facere insídias nescit métuere.*
Negát sibi ipse, quí quod difficile ést petit.*
Nimium áltercando véritas avértitur.*
Nullo ín loco male aúdit misericórdia.
Necéssitas quod célat, frustra quaéritur.
Necéssitas quam pértinax regnúm tenet!
Nemo ímmature móritur, qui moritúr miser.*
Nocéntem qui defféndit, sibi crimén parit.
Nil nón aut lenit aút domat diutúrnitas.
Nil túrpe ducas pró salutis rémedio.
Nolí contemnere íma quae summós levant.
Nil áliud scit necéssitas quam víncere.
Nemó timendo ad súmmum pervenít locum.
Nisi pér te sapias, frústra sapientem aúdias.*
Necéssitati sápiens nihil unquám negat.
Non fácile de innocénte crimen fíngitur.
Nimiúm boni est in mórte cum nil sít mali.
Ní gradus servétur, nulli tútus est summús locus.
Nil ést miserius, quam úbi pudet, quod féceris.
Nec mórtem effugere quísquam nec amorém potest.
Necéssitatem férre, non flere áddecet.
Nunquám facilius cúlpa, quam in turbá latet.

Φ

Nocére nescit, quí se velle pródidit.

Ingolst. timet F. — 38. ni F cf. Woelfflin. Proleg. p. 56. cf. Publ. Q 27. (527). — 39. ipse Ingolst. Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 13. p. 41. Par. 59 (Sent 120) ipsi C, om. F. — 40. Gell. NA. XVII. 14, 4 v. 13. Macrob. Sat. II. 7. v. 10. altercando F Gell. Macr. adversando O cf. Meyer. p. 51. evertitur F, Spe. amittitur Gell. Macr. Er. Gr. Bo. Wo. Ri. emittitur Palat. Macr. avertitur scripsi ex coni. — 41. nullo Ingolst. nullũ F. cf. Publ. I 5 (234). — 44. cf. Publ. O 3 (438). — 45. sibi crimen F, editores, crimen sibi Ingolst. sibimet crimen parat T. — 46. nil Ingolst. nihil F. Spe. cf. Ov. Trist. IV. 6. — 47. nil Ingolst. nihil FT, Spe. turpe F, turpius T, tempora ex eo, quod in codice F legisse sibi videbatur, dictionis compendio tpe dubius scripsit Ingolst. dicas fit pro salutis remedio T. — 48. ea quae s. l. vulgo, ima quae scripsi ex coni. — 49. nil Ingolst. nihil F. quam Ingolst. qui F. cf. Publ. N 23 (399) N 27 (403) N 28 (404) N 33 (409) N 52 (428). — 51. „an ni?" Woelffl. Prol. p. 56. — 52. nil malit Wo. cf. Proleg. p. 56. — 54. nimium Ingolst. nimirum F. boni est in morte Bo. Wo. Ri. est in morte boni F. Gr. Or. cum nil siet m. Ingolst. cum nihil sit m. Spe. cui nil sit m. Wo. Ri. si. nil inest m. Gr. Or. Bo. — 55. serventur coni Wo. — 56. nil Ingolst., nihil F. cf. Publ. S 18 (601). — 58. ferri, non fleri decet Froehlichius. — 59. nunquam F, nusquam Wo. — 60. Caec. Balb. p. 40.

Necéssitatum párcitas est rémedium.
Nulli ímponas, quod ípse non possís pati.

P

Non ést beatus, ésse se qui nón putat.

O

Omnís voluptas démum cum arrisít nocet.
Offícium benevoli ánimi finem nón habet.
O víta misero lónga, felicí brevis!*
'Obiurgari in cálamitate grávius est quam cálamitas.*
'O quam est animi dúlce tormentum, úbi reprimitur gaúdium!
Omnés aequo animo párent, ubi digni ímperant.*
Occídi est pulchrum, ubi íllegi homini sérvias.
O tácitum tormentum ánimi consciéntia!
'Optime positum ést beneficium, béne ubi meminit qui áccipit.
Obséquio nuptae cíto fit odium paélicis.*

Par. 29 (Sent. 129). — 61. Caec. Balb. p. 22. Mon. XII. 5 (Sent. 119a). — 62. Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 20. p. 42. Par. 72 (Sent. 137). — 63. Sen. ep. I. 9, 21. cf. Meyer. p. 38. Publ. S 8 (591).

O 1. o. v. quemcunque a. n. F, Gr. Or. Wo. Spe. quaecunque *φ* (cod. lat. Monac. 17210 s. XIII. cf. Meyer. p. 5) probante Meyero p. 29. quamcunque i. e. quantumcunque coni. Casp. Orellius, cuicumque coni. Bo. proposuit Wo. quomcumque coni. Ri. nimium quae suspicatus est Spe. — 2. benivoli Wo. Ri. Spe. — 3. vita m. longa, f. brevis Sen. Controv. III. 18. p. 227. ed. Bip. Er. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. vitam m. longam, f. brevem F, Spe. Meyer. p. 37. — 4. obiurgari F, Be. ex coniectura, Or. Bo. Wo. Ri. obiurgare T, Gr. gravior T. Versum ut ex Publ. C 2 (86) fictum spurium uncinis inclusit Spe. — 5. ubi coni. Wo. cf. Phil. XXII. p. 459. Ri. et Spe. probantibus, aequo ubi F, corruptum ex versu subsequenti, T. o dulce, aequo ubi Gr. v. 745. Or. v. 757. T. est dulce ubi aequo premitur gaudium scripsit Bo. ex coni. — 6. digni imperant F, iusti imperant O cf. Meyer. p. 50. 65. 23, 2. dignus imperat T, „unde conicias: dignus ubi imperat" Wo. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 350 (354 Wo.). — 7. occidi pulchrum est ubi ignominiose s. F, si ignominiose servis *α* (Albertanus Brixiensis cf. Meyer. p. 24. 29) ubi ignominie conscientia est *Ψ* (cod. Mon. 17210 s. XIII. cf. Meyer. p. 21. 29) o. e. p. ignominiose ubi s. Meyerus, occidi pulchrum, ubi cum ignominia s. Gr. occidere p. ubi cum ignominia s. Bo. — 8. O tormentum animi tacitum conscientia! Bo. Sed animi et ad tormentum et ad conscientia referendum est cf. Publ. O 5 (440). — 9. o. positum est beneficium, bene ubi m. q. a. coni. Spe. beneficium, ubi meminit q. a. F, b. u. eius m. q. a. coni. Gr. Or. Wo. Ri. ubi eius, qui accepit, meminerit Bo. „admodum eleganter, si ab initio o p t i m e b e n e f i c i u m est corrigatur" Ri. o. p. e. b. cuius m. q. a. coni. Halmius probante Ri. — 10. obsequium F, obsequio coni. Spen-

Occásio recéptus difficilés habet.
O péssimum períclum, quod opertúm latet!
'Omnes cum peccánt occulte, péccant insignítius.
Occásio aegre offértur, facile amíttitur.

O

Óculi amorem incípiunt facere, cónsuetudo pérficit.

P

Probús libertus síne natura est filius.*
Prodésse qui vult néc potest, aeque ést miser.
Perícla timidus étiam quae non súnt videt.*
Pudór doceri nón potest, nascí potest.*
Plus ést quam poena síne re miserum vívere.
Pudórem alienum qui éripit, perdít suum.
Patiéntia animi occúltas divitiás habet.
Peióra inulti cógitat mutús dolor.*
Pecúniae omne régimen est rerum ómnium.
Pudór dimissus núnquam redit in grátiam.*
Perdéndi finem némo nisi egestás facit.

---

gelius. fit F, fert coni. Bo. probante Ri. — 12. quod opertum F, Gr. Or. Ri. Spe. opertum quod Wo. quod apertum Bo. „dicitur periculum, cuius pars aperta est, pars latet, qualia sane sunt pessima; estque oxymorum“ Bo. — 13. o. com peccant occulte pacantur citius F, citius pacantur ψ (cod. lat. Mon. 17210 s. XIII. cf. Meyer. p. 21) peccant tutius coni. Wo. Phil. XXII. p. 458. recepit Ri. p. ocius Wo. in editione; omnes cum peccant occulte, multo peccant tutius coni. Meyer. p. 28. peccant ocius coni. Wo. quam coniecturam etiam magis probat Ri. Versum quadratum equidem ita feci, ut conicerem in versus fine depravatum esse insignitius. — 15. facere scripsi ex coni. omisit O cf. Meyer. p. 63. 7, 2. subito coni. Meyer. p. 52.

P 1. sine Ingolst. si F. — 2. est Ingolst. Gr. Or. Wo. om. F, interpunxit post aeque Bo. heu quam est miser coni. Ri. aeque meret coni. Spe. Cum Bo. facit Nisardus, cum Latinum ita in Gallicum vertit: Qui veut obliger et ne le peut pas convenablement est malheureux. — 3. pericla Be. pericula FT. videt praesagus T. Addit T praesagus, ut interpretetur timidus cf. Woelfflin. Proleg. p. 48. — 4. T. — 5. re Ingolst. rem F. „an spe?“ Wo. probante Ribbeckio, sinere m. v. coni. Spe. cf. Meyer. p. 30. — 7. occultas divitias F, ex coni. reposuit Bo. Wo. Ri. Spe. divitias occultas Gr. Or. — 8. p. multa F; Gr. Or. querulo Be. multo Tzschuckius, Wo. Spe. multiloquo agitat Bo. ultore Antonius, vultu Casp. Orellius probante Ri. — 9. pecunia F α bis Ψ cf. Meyer. p. 28. pecunia uua Gr. Or. Bo. Wo. pecuniae uni Ri. pecunia homini Spe. „an summum? unum?“ Wo. — 10. reddit gratiam coni. Spe. — 11. p. f. est cum non nisi egestas facit coni. Bo. egestas F, Gr. Or. Wo. Spe. Egestas Ri.

Poena ád malum serpénti actu approperáns venit.
Plus ést quam poena iniúriae succúmbere.
Pro médicina est dolórem qui enecát dolor.
Patiéns et fortis se ípsum felicém facit.
Prospícere in pace opórtet, quod bellúm iuvet.
Paréns iratus ín se est crudelíssimus.*
Perdít, non donat, quí dat nulla mémoria.
Probés delicta, cúm de lege déroges.
Pars bénefici est, quod pétitur, si bellé neges.*
Properáre in iudicándo est crimen quaérere.
Populi ést mancipium, quísquis patriae est útilis.*
Per quód sis tutus, íllud semper cógites.
Perfúgere ad inferiórem se ipsum est trádere.*
Peccátum amici pró tuo recté putes.

---

egestus proposuit Gr. — 12. serpentia cum proterat F. serpens cum properat Ingolst. serpens ut proterat Gr. Or. Bo. malos ut poena proterat. serpens venit proposuit Bo. serpendo cum properat Wo. hac addita interpretatione: „poena plerumque scelus non statim sequitur, sed si vel propere venit, obrepit improbo. cf. Hor. Carm. III. 2. 31. Tib. I. 9. 4.“ p. a. m. sensim serpens, hau properans venit Ri. p. a. m. it serpendo cum se proferat Spe. serpenti accipiter advenit G. Christius, sero pede at certo venit Maehly. — 13. poenae scripsit Bo. — 14. dolor est q. dolorem necat F. est dolor q. d. n. Ingolst. dolor est dolorem qui necat Gr. Or. est dolorem qui dolor enicat Bo. est dolor dolorem qui necat Wo. (cf. Proleg. p. 51. 59) Ri. Spe. — 15. „an sapiens et fortis?“ Wo. coll. Cic. Tusc. III. 7. 14. Hor. Serm. II. 1. 16. Caec. Balb. p. 20. Mon. II. 2 (Sent. 121). se ipsum F α bis. π (cod. Reginensis 1896 s. XIII.) se ipse Meyer. p. 28. — 16. in pace op. Gr. oportet in p. F. quod Wo. cf. Proleg. p. 54. Ri. Spe. quid Gr. Or. Bo. — 18. perdit non donat F. Gr. Or. Wo. Ri. Spe. perdis non donas Bo. Nauckius cf. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 201. qui dat F. Ri. Spe. qui donat Gr. Or. cui donat Wo. nisi sit cui donas memor Bo. nisi cui donas est memor Nauckius. nisi est memoria F. nisi est memor Gr. Or. Wo. nisi sit memoria Ri. Spe. — 19. probe F. probi Ingolst. Gr. Or. Wo. Ri. Spe. cum legas deteras F cf. Meyer. p. 31. iudex legens deterit Gr. Or. p. legens delicta iudex deterit proposuit Gr. iudex lugens detegit Casp. Orellius. cum neglegas leges teras scripsit Wo. sed idem proposuit: p. delicto ignoscens leges deteras cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. III. p. 197. adnot. 2 extr. iudicum leges terunt Ri. ed. I. v. 381. neglegens leges teras idem ed. II. deteras cum neclegas Buechelerus. cum tegas. leges teras Spe. probi tegens delicta iudex deterit Nisardus hac addita interpretatione: le iuge efface en les cachant les fautes d'un homme de bien. dissolvitur protinus lex, cum fuerit misericors iudex cf. Publ. D 26. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 559. v. 45. — 20. Gell. NA. XVII. 14. 4. v. 14. Macrob. Sat. II. 7. v. 11. benefici Be. Or. Bo. Wo. Ri. beneficist Spe. beneficii F. Gr. belle Gell. cito Macr. bene Er. — 21. est crimen Ingolst. crimen est F. — 23. per quae—illa F. — 25. velut tuum F. Gr. Or. Spe. (cf. praef. p. 8) veluti t. Ingolst. Wo. Ri. recte velandum

Poténs misericors pública est felícitas.*
Praeséns est semper, quí cum abest ulcíscitur.*
Perfácile felix ímperans quod vúlt facit.
Poenám moratur ímprobus, non praéterit.
Pérdidisse ad ássem mallem, quam áccepisse túrpiter.
Paucórum est intellégere, quid sardét deus.
Perénne coniugium ánimus, non corpús facit.
Pereúndi scire témpus assidue ést mori.
Poténti irasci síbi periclum est quaérere.*
Peccáre pauci nólunt, nulli nésciunt.
Paucórum improbitas úniversa est cálamitas.*
Pro dóminis peccare étiam virtutís loco est.
Patiéndo inulta véniunt, quae nequeás pati.*
Parátae lacrimae insídias, non fletum índicant.
Peccátum extenuat, quí celeriter corrigit.*
Pudórem habere sérvitus quodámmodo est.
Póte prudentiá plus stulta in ádversis felícitas.

---

coni. Bo. idem ac t. Buechelerus. — 27. qui absens ulciscitur F, qui * absens u. Meyer. p. 31. qui absens etiam ulciscitur Gr. Or. Bo. absens qui se u. Wo. probante Ribbeckio, qui absens ulcisci potest Spe. cf. praefat. p. 17. — 28. quod vota imperant F, Wo. q. fata imperant Ingolst. q. v. impetrant Gr. Or. quod facit, votum impetrat Bo. probante Ribbeckio, qui proposuit praeterea: impetrat vota ut facit vel: quod facit voti vel: quae f. vota impetrat; quod voluerit impetrat vel: impetrat quod voverit coni. Nauckius cf. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 200. perfacile quod vota imperant felix facit coni. Spe. — 29. moratur Ingolst. orat F. — 30. perdidisse mallem F α κ π ψ Bart. cf. Meyer. p. 30. perdidisse honeste m. Wo. probante Ribbeckio. accepisse Wo. recepit Ri. accipere F. Versum omiserunt Gr. et Bo., in sententiis e cod. Frisingensi adscitis et prosa oratione expressis posuit Or. p. 61. — 31. det F, decet Ingolst. cui det Gr. Or. cudat i. e. faciat, agat. struat Bo. celet Ri. hac addita interpretatione: „aperta sententia scil. dei, Apollinis fortasse, mens et vox obscura a paucis intelligitur“. doceat (dies) C. Meiserus. donet Wo coll. Publ. D 15 (137) V 4 (632) Spe. dicat Buechelerus. cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 459. deus F, deos Ingolst. dies Wo. coll. Publ. P 18 (467) Spe. — 32. p. animus coniugium Nisardus hac addita interpretatione: L'âme et non le corps rend le mariage durable. — 33. p. tempus scire est mori frequentissime T, p. tempus scire est a. m. malit Ri. — 34. periclum Be. periculum F. petit qui irascitur periculum sibi quaerere T cf. Haupt. Phil. I. p. 666. — 35. nulli F. multi coni. Gr. — 36. universis est F. est om. Ingolst. Gr. Or. p. i. est multorum c. coni. Buechelerus coll. Publ. M 48 (356) univorsast Spe. — 38. patiendo F, Wo. coll. Publ. I 9 (238) Q 35 (535) patienda Meyerus. haud veniunt Maehly. eveniunt coni. Ri. et Spe. — 39. fletum F. luctum coni. Bo. probante Ribbeckio. — 40. q. de brevi commissum commendat (emendat corr. Wo.) T. — 41. cf. Publ. R 15 (583). — 42. potest ultus

Prudéntis vultus étiam sermonís loco est.
Probó beneficium quí dat ex parte áccipit.
Pudór quem nondum fléctit, non frangít timor.
Poená levatur, íra laxatúr dolor.
Plurés tegit Fortúna quam in tutó locat.
Post cálamitatem mémoria alia est cálamitas.*
Probí natales máxima est heréditas.
Perícla, qui audet, ánte vincit quam áccipit.*
Perpétuo vincit, qui útitur cleméntia.

Z

Plurés amicos ménsa, quam bona méns capit.

(ult') F cf. Meyer. p. 31. potentia Ingolst. patiens Ps. Gr. Or. perit omnis Maehly, pote (vel potest) Wo. patientia coni. Ri. „ut aliqua saltem sententia poneretur. quam tamen numeris probabiliter concludere non contigit" cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 459. 460. in adversis nunquam felicitas F. Wo. nunquam est felicitas Gr. Or. potestatem adversi haud habet felicitas Bo. patientia unica adversi est felicitas olim conieci. Alia tentavit Ri.: pote vél in adversis sérvari felícitas, vel potis etiam adversis uti bene felicitas, vel potin ulla esse unquam in adversis felicitas? vel denique patienter ferre adversa quaest felicitas? potiust consilium in dubiis quam felicitas Spe. — 43. prudenti stultus F. scripsit Gr. prudentis vultus O, coni. Gr. (vel pudentis) Wo. Spe. prudenti vultus Bo. Ri. iocus est F cf. Publ. P 37 (486) loco est coni. Gr. Woelfflino et Ribbeckio probantibus. sed idem proposuit: prudens stultis etiam sermonis est iocus probante Orellio. est om. O cf. Meyer. p. 30. 51. — 44. benficium Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 204. — 45. p. q. non flectit F. p. quemcunque non flectit, frangat t. Gr. p. q. nullus flectit Maehly, p. q. non reflectit Bo. pudore quem non flectis (flectas?) Wo. cf. Proleg. p. 58. Publ. Q 53 (553). Ter. Adelph. I. 1, 32. pudore et liberalitate liberos Retinere satius esse credo quam metu. pudor quemquem non flectit, cum frangat timor proposuit Wo. Phil. XXII. p. 459. pudor quem noenu flectit Ri. pudor si quem non flectit Spe. — 46. levatur F, allevatur Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. ubi laxatur F. tunc ubi laxatur d. Gr. Or. Bo. ubi relaxatur coni. Hahnius. receperunt Wo. Ri. Spe. Cf. Meyer. p. 31. — 47. tegit F. legit i. e. eligit, quos provehat coni. Bo. quam tutos faciat F. q. t. facit Ingolst. — 49. pro bona fama F, Wo. cf. Proleg. p. 44. probo bona fama Gr. Or. Bo. Ri. Spe. patris bona fama coni. Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. p. 198. cf. Spengel. praef. p. 18. — 50. om. Bo. pericula F. Gr. pericla Or. Bentleium v. 219. secutus, Wo. Ri. Spe. — 51. perpetue F, perpetuo Ps. Ingolst. cf. Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 7 (Sent. 144). Woelfflin. Prol. p. 44. — 52. plus amicos mensa quem mens concipit bona T. plures coni. Wo. plus mens amoris quam mens conciliat bona Haupt. Phil. I. p. 665. v. 67. placet amicis olus quod mens condit bona Casp. Orellius hac addita interpretatione: „amici benigne et candide ab amico excepti etiam vilibus cibis contenti sunt". plures a. mensa q. m. conspicit Buechelerus probante Ribbeckio, nisi quod pro c o n s p i c i t scripsit c o n c i p i t et dubitat an septenario plus

O

Prudéntis est iráscier sero ét semel.
Per quém servatus sís, quod sis illi ímputes.
Poenaé sat est, qui laésit, cum suppléx venit.

Φ

Parére scire pár imperio glória est.
Poenam á quo mereas, frústra praesidiúm petas.

Q

Quamvís non rectum, cúm iuvat, rectúm putes.
Quicquíd nocere dídicit, meminit, cúm potest.
Qui métuit contuméliam, raro áccipit.
Quam míserum est mortem cúpere nec posse émori!
Qui pro ínnocente dícit, satis est éloquens.*
Qui cúm dolet blandítur, post tempús sapit.
Quod tímeas, citius quám quod speres évenit.
Quod vúlt cupiditas cógitat, non quód decet.
Quicquíd conaris, quó pervenias, cógites.
Qui béne dissimulat, cítius inimicó nocet.
Quod sémper est parátum, non sempér iuvat.
Quodcúnque celes, ípse tibi fiás timor.
Qui iúsiurandum sérvat, quovis pérvenit.
Quod aétas vitium pósuit, aetas aúferet.*

---

amicorum bona mensa quam mens conciliat bona. — 53. irasci et sero O cf. Meyer. p. 63. 9, 1. p. e. irasci, sed s. et s. Meyerus p. 52. — 54. p. q. sis clarus O cf. Meyer. p. 65. 21. 4. p. q. sis clarus ille quod sis imputes aut per quae sis tutus q. s. illis imp. proposuit Meyerus p. 52. — 55. pene s. e. q. lesit c. supplex v. O cf. Meyer. p. 65. 22. 2. — 56. Caec. Balb. p. 26. Mon. XVIII. (Sent. 141a) cf. Sent. falso inter Publ. recept. 264 (278 Wo.). — 57. Caec. Balb. p. 20. Mon. I. 28 (Sent. 146).

Q 1. quod adiuvat F, quod iuvat Gr. Or. Bo. Ri. Spe. quoad iuvat vel quo ad iuvat Wo. quod interpretatur: „in quantum prodest vel auxilium adfert“. putas Bo. — 2. quisquis ψ Bart. cf. Meyer. p. 29. — 3. Uncinis inclusit Wo. numeris destitutum reliquit Ri. calamitatem F ψ Bart. cf. Meyer. p. 28. Gr. Or. q. calamitatem metuit Bo. contumeliam emend. Spengelius praef. p. 6. 7. coll. Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 10 (Sent. 157). rarius Ingolst. Gr. Or. is raro Bo. „fortasse raro is scribendum; an raro ullam?“ Ri. cf. Coroll. p. XCVIII. — 4. mori F, emori Ingolst. — 8. cf. Hor. Carm. I. 3, 25. 56. — 9. coneris Spe. cogita Bo. miro fastidio. quod versus si cogites scripseris, sibilo frequentiore ad aures cadat, praeter usum Publilianum. — 11. vivat F, iuvat Ingolst. — 12. Versum omisit editor Ingolstadiensis (cf. Meyer. p. 13)

Quemcúnque quaerit cálamitas, facile ínvenit.
Quod périit, quaeri póte, reprendi nón pote.
Quam míserum officium est, quód successum nón habet!
Quam míserum est, cum est ingráta misericórdia!
Quam míserum est cogi opprímere, quem salvúm vélis!
Quem fáma semel oppréssit, vix restítuitur.
Quidvís contingit, út voluptatém parit.
Quam míserum est id quod paúci habent amíttere!
Qui in véro dubitat, mále agit, cum delíberat.
Qui tímet amicum, amícus ut timeát docet.
Quaéque vindicándi proxima óptima est occasio.
Quam míserum auxilium est, úbi nocet, quod sústinet.
Qui póte consilium fúgere, apisci idém pote.
Qui ulcísci dubitat ímprobos plurés facit.
Quicúnque obesse póte, non vult, pro praéside est.

---

unde deest in omnibus editionibus ante Woelfflinum. caeles F, celes Wo. Ri. Spe. cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 460. — 15. Quoscunque calamitas quaerit, facile repperiet T, q. c. q. facile invenit Casp. Orellius. cf. Haupt. Phil. I. p. 666. — 16. periit Gr. perit F. potest... potest F, pote... pote Gr. cf. Publ. A 18. Q 27 (527) Q 34 (534). reprehendi F, reprendi Ingolst. cf. Publ. A 53. haud p. quod Ingolst. scripsit pro non F, abest a Publilio. — 17. est officium F, officium est Gr. officium Ingolst. sed cf. Publ. Q 26 (526). — 18. miserum F. Spe. miser Ingolst. Gr. Or. Bo. cuius F, Bo. Wo. Ri. cui Gr. cumst Spe. misericordia est Ingolst. — 19. quem s. velis Ingolst. quam s. v. F. — 21. quod vi contingitur F. contingit ψ cf. Meyer. p. 29. quod vix contingit. vix Gr. Or. quod vix contingit Bo. quod vi contingit. vix Wo. quod víx contingit, veram voluptatem parit Ri. quod vix contingit. plus voluptatis parit Spe. quidvis contingit, ut v. p. scripsi ex coni. — 24. docet F, facit Bo. — 25. quicquid vindicandum est F. cui quid v. e. o. Gr. Or. Bo. quoi quid scripsit Ri. probante Woelfflino. ne versus loco moveretur. quom quid Halmius probante Ribbeckio. omnis addidit Gr. om. F. est occasio F, occasio est Ingolst. illi occasio est Faber, ei occasio est olim coniecit Ri. quod vindicandumst, optumast occasio Spe cf. praef. p. 5. quaeque vindicandi proxima optima est o. scripsi ex coni. — 27. pote Gr. potest F. consilio furere Bo. sapere F, scripsit Gr. Or. capere proposuit Gr. Ri. Spe. rapere coni. Wo. coll. Iul. Capit Max. et Balb. 2. „consilia rapienda. non quaerenda“, Caec. Balb. p. 29. Mon. XXIX. 2. p. 38. Par. 6 (Sent. 162) occasionem non accipi. sed rapi oportere. Hor. epod. XIII. 4. Sen. ep. VIII. 1 (70) 24. — 28. plures F, multos π ψ Bart. (α ter Index qui dubitat ulcisci multos improbos facit) cf. Meyer. p. 30. q. dubitat ulcisci Gr. Or. Bo. q. ulcisci dubitat Wo. Ri. Spe. — 29. qui obesse cum potest, non vult F. prodest quicunque obesse non vult. cum potest Gr. Or. Bo. non vult cum potest Buechelerus, quicunque obesse, cum potest, non vult, iuvat Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 201. prodest F, qui obesse cum potest non vult prodest tibi Halmius pronomine tibi addito, quod simili exitu versus sequentis haustum esse ipsi videbatur. recepit Wo. qui obesse non vult.

Quicquíd bono concédis, das partém tibi.
Quod néscias, cui sérves, stultum est párcere.
Quae vúlt videri bélla, nimium illí nocet.
Qui débet, limen créditoris nón amat.
Qui amórem pote transférre, pote depónere.
Qui uní cui culpam ignóscit, suadet plúribus.
Quicquíd probis vis éripit, dat ímprobis.
Qui síbi non vivit, áliis merito est mórtuus.
Quicquíd fit cum virtúte, fit cum glória.
Qui exspéctat, ut rogétur, officiúm levat.
Qui tímet amicum, vím non novit nóminis.
Qui póte celare vítium, vitium nón facit.
Qui omnés insidias tímet, in nullas íncidit.
Quam málus est, culpam quí suam alteriús facit!
Qui dócte servit, pártem dominatús tenet.
Qui se ípse laudat, cíto derisorem ínvenit.*
Quam míserum est, bene quod féceris, factúm queri!

---

cum potest prodest tibi Ri. qui obesse non volt cum potest prodesse volt Spe. quicunque o. pote, non vult, pro praeside est scripsi ex coni. — 30. concedas F, concedis Ingolst. Gr. Or. Bo. cf. Publ. Q 9 (509) concedas Wo. Ri. Spe. das F, des Wo. cf. Proleg. p. 60. Ri. Spe. — 32. nimium illi negat F. bella nimis, nulli negat Gr. Or. Bo. nulli placet Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 198 probante Ribbeckio coll. Publ. M 32 (340). — 34. q. pote transferre amorem F, Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. pote — pote Gr. potest — potest F. cf. Publ. A 18. qui potest transferre amorem, mox potest deponere Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 197. adnot. 2. cf. Publ. L 16 (307). — 35. uni culpae ignoscit F, culpae ignoscit uni Gr. Or. Wo. Spe. culpam ignoscit uni Bo. unius culpae i. Ri. — 36. om. ante Wo. editores. quicquid improbis eripitur, datur probis F, q. probis eripitur, improbis datur Wo. coll. Pseudo-Sen. de mor. 114. Cleobul. apud Auson. Sept. Sap. Sent. III. 5. quod improbis tribuitur, eripitur probis Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. III. p. 200. quicquid improbis donatur, iniuste eripitur probis Ri. quicquid datur probis, eripitur improbis Spe. quod improbis eripitur donatur probis Meyer. p. 28. — 37. sibi non v. F, Gr. Or. Bo. Wo. sibimet v. coni. Ri. et Spe. sibi modo v. Gr. sibi minime v. T. aliis merito est m. F, merito multis succumbit T. — 39. exspectat F, Bo. Wo. Ri. Spe. spectat Gr. Or. cf. Publ. A 2. — 41. pote Gr. potest F. vitium F, vitium vitium Gr. Or. Bo. Wo. qui non potest celare vitium non facit Meyerus, qui potest celare vitium, vitium non fugit Ri. — 42. F π (cod. Par. 8027 Woelfflini saec. XIV. cf. Meyer. p. 25) Wo. Ri. Spe. qui insidias plus timet, capitur minus T. qui timet insidias omnes, nullas incidit Gr. Or. Bo. — 43. „Damnaverat Ritschelius opusc. II. 672. sed cf. p. 697.: „pro illo alterius licebat alienam scribi". Ri. cf. Publ. B 7 (50). — 45. se ipse Be. Or. Bo. Wo. Ri. se ipsum F, Gr. Spe. cf. Publ. A 50. —

Quam est félix vita síne negotiis tránsita!
Quicquíd futurum est súmmum, ab imo náscitur.*
Quam míserum est, ubi consílium casu víncitur!
Quicquíd fortuna décorat, cito contémnitur.
Quicquíd plus, quam necésse est, praesidi ést, premit.
Qui obésse pote, timétur, cum etiam nón adest.
Quém bono nulló tenere pótueris, teneás malo.
Quod sénior loquitur, ómnes consiliúm putant.
Quam míserum est, ubi te cápiant, qui defénderunt!
Quod quísque amat, laudándo commendát sibi.*
Quem díligas, queri étiam clam de ipsó malum est.
Qui vénit, ut noceat, sémper meditatús venit.
Quis míserum sciret, vérba nisi haberét dolor?
Quam míserum est, cum se rénovat consumtúm malum!
Quánto seriús peccatur, tánto incipitur túrpius.*
Quam míser est, qui excusáre sibi se nón potest!
Quo ádvocatus cáveas, cum animus áliud, verba aliúd petunt?
Qui invítus servit, fít miser, servít tamen.
Quod ést timendum, décipit, si néglegas.

47. q. e. f. v. quae s. n. transit F, Ri. q. felix vita, quae s. n. transiit (vel quae abiit) Gr. Or. q. f. v. exacta sine negotiis Bo. q. e. f. v. quae agitur s. n. Buechelerus. q. f. v. transit sine negotiis Wo. probante Ribbeckio. — 50. fortuna Wo. Spe. Fortuna Gr. Or. Bo. Ri. exornat cito F, non iuvat coni. Nauck. quem merito offenderat secundi pedis trochaeus uno verbo inclusus cf. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 197. — 51. possidetis premit F, q. est plus q. n. possidentes deprimit coni. interque trochaicos recepit Gr. Or. Bo. quidquid plus est quam necesse possidentis oppremit Ri. possideas premit Wo. coll. Proleg. p. 60. probante Spengelio. — 52. potest nocere F, pote n. Ingolst. non adest F. Gr. v. 636. Or. v. 647. Wo. Ri. non nocet Gr. v. 637. Or. v. 648. Bo. Versum interpretamentum esse ratus uncinis inclusit Spe. praef. p. 21. — 53. tenere non p. F, Gr. Or. Bo. Wo. Ri. contineas malo F. hunc teneas malo Gr. Or. contineas malo Bo. Wo. Ri. — 55. capiant F. capiunt suspicatur Wo. captant Gr. Ri. defendeñt F. defenderint Ingolst. defenderent Meyerus, quos defenderis Bo. — 57. q. d. etiam queri d. i. m. est F, Gr. Or. Wo. Ri. q. delegisti queri etiam de illo m. e. Bo. de eo malumst etiam queri Buechelerus. q. diligas etiam in querendo ipso malumst Spe. — 58. qui invidet ut n. Bo. — 59. nisi F. Gr. Bo. Wo. Ri. Spe. si non Or. — 60. compositum malum Buechelerus probante Ribbeckio. — 61. turpius incipitur F. incipitur t. Gr. q. s. peccari incipitur. tanto turpius vel: q. incipitur serius peccari. tanto t. proponit Ri. quo serius peccatur, tanto turpius Halmius. — 63. quo cavetis F. quo cavet is Gr. Or. qui caveas Bo. Wo. Spe. quo caperis Ri. quid caveas proposuit Meyerus p. 31. coll. Quint IX. 1. 20. cum animus aliud F. cum aliud animus Bo. — 64. fit miser et s. Ri. — 65. decipit F. te occupet suspi-

Quid tíbi pecunia ópus est, si uti nón potes?
Quod fúgere credas, saépe solet occúrrere.
Quamvís acerbus quí monet, nullí nocet.

Z

Quí multos numeráre amicos stúdet, una inimicós ferat. 671.
Quí se accusat ípse, ab alio nón pote accusárier. 672.
Qui dórmientem nécat, absentem ulcíscitur. 673.
Quod ést venturum, sápiens quasi praeséns cavet. 675.

O

Quem díligis, nisi récte moneas, óderis.

Φ

Quánti corpus ést sine anima, tánti est sine amicís homo.
Quí non corripít peccantem gnátum peccare ímperat.

P

Quod vúlt habet, qui vélle quod satis ést potest.

Π

Ratióne, non vi víncenda adolescéntia est. 569.
Re in núlla prodest móra, nisi iracúndia. 570.
Reus ínnocens fortúnam, non testém timet.
Rarum ésse oportet, quód diu carúm velis.*
Rápere mutuum ést accipere, quód non possis réddere.

---

catur Ri. — 66. opus est F, Gr. Or. opus Bo. opust Wo. si ea F, Gr. Or. Bo. Wo. si u. n. p. Ri. Spe. — 68. acerbus est F, acerbust Ri. acerbus Ingolst. Gr. Or. Bo. Wo. Spe. cf. Publ. I 26 (255) Q 1 (501). — 69. q. numerosis studet amicis et inimicos necesse est ferat T. qui numerosis studet amicis, is etiam inimicos ferat Haupt. Phil. I. p. 666. qui numerosis studet amicis, et inimicos perferat Ri. qui amicis multis studet et inimicos ferat Wo. qui studet multis amicis, multos inimicos ferat Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 556. v. 101. cf. Ovid. Trist. I. 9, 5. — 70. non potest criminari T. qui semet accusat, crimine non indiget Casp. Orellius. qui sese accusat ipse, ab alio non potest Haupt. Phil. I. p. 666. probante Woelfflino. qui semet ipse accusat, eum alius non potest Ri. — 71. necare nititur T, necat Froehlichius et Haupt. Phil. I. p. 666. — 72. cavit T, cavet Casp. Orellius. videt Nauckius. — 73. O Meyer. p. 52. 63. 10, 4. — 74. Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 8 (Sent. 152) coll. Sent. falso inter Publ. recept. 293 (363 Wo.) — 75. Caec. Balb. p. 33. Mon. XLI. 4 (Sent. 158). — 76. Sen. ep. XVIII. 5 (108) 11. cf. Meyer. p. 38. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 313 (322 Wo.).

R 1. est adolescentia F. adolescentia est Ingolst. — 2. rei nulli p. m. n. iracundiae Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. — 3. fortunam Bo. Wo. Ri. Spe. Fortunam Gr. Or. — 5. rapere quoque est ψ. non possis F ψ cf.

Rem agít. non loquitur, quí nil nisi quod vúlt facit.
Riválitatem nón amat victória. 575.
Rubórem amico excútere amicum est pérdere.
Rex ésse nolim, ut ésse crudelís velim.
Res quánto est maior, tánto est insidiósior.
Rogánti melius quam ímperanti páreas.
Respícere nil consuévit iracúndia. 580.
Rapere ést, non petere, quícquid invito aúferas.
Remédium fraudem est cóntra vulpem quaérere.*
Rogáre officium sérvitus quodámmodo est.

Z

Redimít, non perdit, qui álienum numerátum habet. 675.
[Regnát libido, píetas ubi sancta éxsulat.] 676.

Π

Sempér quam pote se pósse iratus plús putat. 584.
Spes ést salutis, hóminem ubi obiurgát pudor. 585.

Meyer. p. 29. coll. Woelfflin. et Spengelio, qui in F pro non legi usu adnotant. Hinc Spengelius: raperest a. usu q. p. perdere. — 6. regnat. non loquitur F. Gr. Or. Bo. regnat. non regitur Froehlichius, Ri. ed. II. Wo. Spe. cf. Meyer. p. 31. regnat. non sequitur proposuit Ri. ed. I. facit F, blatit Bo. — 8. incutere T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 556. — 9. nollim F. crudelis esse F. esse crudelis Ingolst. — 10. insidiosior FT, Gr. Or. invidiosior Bo. probante Woelfflino et Spengelio. „Libri insidiosior, sed prius, nisi fallor, infidiosior, unde illud factum fuerit pro invidiosior. Certe vocabulum insidiosus passiva significatione frustra quaesivit Orellius" Bo. — 11. roganti quam imperanti melius p. Bo. — 12. nihil F. nil Ingolst. cf. Caec. Balb. p. 21. Mon. VII. 4 (Sent. 164). — 14. remedium F. Gr. Be. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. remigium prop. Gr. fraus est F. Gr. Bo. Spe. frustra est proposuit Gr. Bo. Wo. Ri. cf. Meyer. p. 31. est frustra Or. flumen F. fulmen Be. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. — 15. officium coni. Spengelius. beneficium F, Wo. versu uncinis incluso. Ri. cf. Coroll. p. XCVIII. ingenuo Gr. Or. Bo. cf. Meyer. p. 31. — 16. reddit non perdit qui quod alienum erat persolvit T. — 17. regnat carnalis cupiditas. ubi non est dei caritas T. cf. Meyer. Act. Mon. 1872. tom. IV. p. 556. regnat cupiditas, ubi non est sapientia proposuit Buechelerus. Est autem S. Augustini sententia sumta ex libro, qui inscribitur de fide, spe et caritate. tom. VI. p. 240. (Venet. a. MDCCXXXI.).

S 1. semper iratus plus se posse putat quam possit F, vulgo inter senarios. se posse plus iratus quam possit putat Ps. Gr. Or. Bo. semper plus posse putat iratus quam potest Buechelerus. iratus plus se posse quam possit putat Ri. correctum in trochaicis posuit Wo.: semper plus iratus sese posse quam possit putat probante Ribbeckio. — 2. ubi hominem F, Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. spes salutis est ubi h. o. timor T. —

Suadére primum, deín corrigere est bénevoli.
Sapiéns contra omnes árma fert, cum cógitat.
Sanctíssimum est meminísse, cui te débeas.
Stultí timent fortúnam, sapientés ferunt.
Sensús, non aetas ínvenit sapiéntiam.
Sempér beatam sé putat benígnitas.
Sápiens semper réquiescendo dát laborem iniúriae.
Solet ésse in dubiis pró consilio témeritas.*
Sempér consilium túnc deest cum opus est máxime.
Sapiéns quod petitur, úbi tacet, brevitér negat.*
Sempér plus metuit ánimus ignotúm malum.
Secúnda in paupertáte fortuna ést fides.
Si níl velis timére, metuas ómnia.
Submíssum imperium nón tenet virés suas.
Secúndus est a mátre nutricís dolor.
Sibi dát supplicium, quém iam admissi poénitet.*
Suum úsque lumen séquitur innocéntia.
Stúltum est talióne ulcisci vélle alium poená sua.
Sibi prímum auxilium crípere est leges tóllere.
Suís qui nescit párcere, inimicís favet.
Síne dolore est vúlnus, quod fers crúdum cum victória.
Sempér metuendo sápiens evitát malum.

3. benevoli est d. c. F, suadere benivoli est primum d. c. Gr. Or. d. c. est benivoli Bo. Ri. d. c. benivoli est Wo. Spe. corripere proposuit Meyer. p. 31. — 6. fert F. — 7. sensum non aetas invenit sapientia T. „an invehit?" Wo. — 9. s. s. quiescendi dat locum iniuriae F, saepe ignoscendo das (vel dabis cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 199) iniuriae locum Gr. Or. saepe ignoscendo iniuriae dederis locum Bo. probante Ribbeckio. saepe ignoscendo des iniuriae locum Wo. cf. Meyer. p. 31. — 10. in adversis T. — 11. dest Ri. c. est opus F, c. opus est Desbillonius. Wo. cum opus maxime est Gr. Or. Bo. cumst opus maxime Spe. — 12. si tacet O cf. Meyer. p. 51. 63. 9. 1. graviter negat O. — 15. timeas proposuit Ri. — 18. sibi ipsi F. Gr. s. ipse Be. Or. Bo. Wo. dat supplicium quem adm. penitet F, d. s. q. a. pudet Gr. Be. Or. Bo. sibi ipse dat supplicium quem admissi pudet Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 201. — 19. suum sequitur l. semper innocentia F. Gr. Or. numen proposuit Ri. innocentiam coni. Bo. — 20. st. est alium F. Gr. Or. Wo. cf. Meyer. p. 31. ulcisci velle F, velle ulcisci Ingolst. Gr. Or. Wo. st. e. velle ulcisci alterum p. s. Bo. probante Ribbeckio. st. e. ulcisci velle alium poena sua Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 200. — 21. primum F, Gr. Or. Spe. primo Bo. Wo. Ri. est eripere F, eripere est Ingolst. rapere est coni. Orellius — 23. q. ferendum est cum v. F. Wo. Ri. Spe. q. f. cum victoriast Ri. ed. I. est om. Gr. Or. q. f. est vulnus cum v. Bo. Spengelio versus suspectus est. — 24. FC cf. Meyer. p. 56 metuendi F cf. Publ. S 9 (592)

Stultum ést queri de advérsis, ubi culpa ést tua.
Scít, multi quod ánni abstulerunt, hóra nulli réddere.
Spina étiam grata est, éx qua spectatúr rosa.
Stultum ést vicinum vélle ulcisci incéndio.
Stultúm facit fortúna, quem vult pérdere.
Spes ínopem, res avárum, mors miserúm levat.
Se dámnat iudex, ínnocentem qui ópprimit.
Sibi ípsa improbitas cógit fieri iniúriam.*
Satis ést beatus, quí potest cum vúlt mori.
Solét sequi laus, cúm viam fecít labor.
Sociús fit culpae, quí nocentem líberat.
Suspício sibi ípsa rivalés parit.
Sempér metuendum est, quícquid irascí potest.
Sedítio civium hóstium est occásio.
Salútis causa béne fit homini iniúria.
Stultítia est insectári, quem di díligunt.
Sat mágna pro benefício usura est mémoria.
Seró consilium est ín periclis quaérere.

Z

Suúm qui servat, sálva vult commúnia. 677.

---

metuendo Ingolst. — 26. solet hora quod multi anni abstulert reddere F, Gr. Or. Bo. Wo. Ri. abstulerint Gr. Or. Bo. Wo. Ri. abstulerant Spe. — 27. exspectatur ψ cf. Meyer. p. 29. Spectare et exspectare confusa apud Publ. A 2. — 28. incendio ulcisci tuo coni. Bo. — 29. fortuna Gr. Or. Spe. Fortuna Bo. Wo. Ri. — 32. ipsi Gr. — 34. Laus-Labor Ri. coll. Publ. V 18 (646). cui v. f. l. Bo. — 35. qui nocentem levat F. q. n. iuvat π. ψ. α bis. adiuvat α semel cf. Meyer. p. 29. q. n. sublevat Ingolst. Gr. Or. Bo. Ri. Spe. probante Nauckio Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 201. quisquis n. l. Wo. qui sontem iubet perdere (l. pergere aut qui insontem iubet perdere Wo. fortasse qui sonti iubet parcere). Cf. Meyer. Act. Mon. 1872. tom. IV. p. 557. — 36. suspitio F. — 37. est om. F. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. metuendumst Spe. — 38. ..civium hostium insuave ὁμοιοτέλευτον: quare malim civica vel civis·· Bo. — 39. casus F, causa Ingolst. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. sit F. fit Gr. Or. Bo. Wo. Ri. Spe. — 40. quem diligit F. quem omnes diligunt Gr. Or. Bo. Wo. quem di diligunt coni. et Buechelerus probante Ribbeckio et L. et A. Spengelii coll. Plaut. Bacch. IV. 7. 18. Ter. Andr. V. 6. 9. Adde Ter. Phorm. V. 6, 14. nam sine controversia ab dis solus diligere Antipho. — 41. s. magna est usura pro b. m. F, s. m. usura est p. b. m. Ingolst. Gr. Or. Bo. Wo. Ri. satis m. usurast p. b. m. Spe. cf. praef. 9. — 42. s. est in periculis c. q. F, Gr. Or. s. e. consilium te i. periclis q. Bo. s. in periclis est c. q. Desbillonius et Ri. probante Woelfflino. s. consilium est in p. q. Spe. — 43. sua qui servat s. v. esse communia T. s. q. s. salva, suis servat communia Casp. Orellius, s. q. conservat. salva volt communia Haupt. Phil. I. p. 666. s. servat, qui salva esse vult communia

Sat víncere est inimícum, nimium est pérdere. 678.
Súspicax unius animus ómnium damnát fidem. 679.
Suspício probáto tacita iniúria est. 680.
Superári a superióre pars est glóriae. 681.
Súpplicem non ést opprimere vírtus, est crudélitas. 682.
Sine lége muta poéna est consciéntia. 683.
Satís diserte pró se loquitur véritas. 684.

Φ

Sápienti praestát tacere pró se quam contrá loqui.
Sine ádversante brévis est laus victóriae.

Π

Thésaurum in sepúlcro ponit, quí senem heredém facit.* 626.
Tacitúrnitas stulto hómini pro sapiéntia est.
Tam deést avaro quód habet, quam quod nón habet.*

Z

Tardé, sed graviter sána mens iráscitur. 685.

Nauckius, sua qui servat, salva esse vult communia aut suum qui servat, salva vult communia Wo. — 44. satis est i. superare T, s. e. hostem superare, nimiumst perdere Casp. Orellius, s. e. superare inimicum, nimiumst perdere Haupt. Phil. I. p. 666. sat est inimicum opprimere, nimiumst perdere Spe. — 45. suspicax a. T. „Poëta vel produxisse videtur mediam syllabam v. suspicax, ut fit in v. suspicio, vel scripsit suspiciosus“ Casp. Orellius. Illud Wo. hoc Nauckius adprobavit. — 46. probatis T, Wo. Ri. Spe. probo homini Casp. Orellius. — 48. s. hominem o. virtus non est, sed crudelitas T. Wo. Ri. Spe. Et v. hominem friget et factus verborum ordo suspicionem movet. — 49. s. l. autem p. e. c. T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 557. v. 121. etiam sine lege p. est c. scripsit Casp. Orellius ex coni. codice Veronensi probata cf. Meyer. p. 51. 65. 20. 1. s. l. poena est animi conscientia Ri. probante Woelfflino. „Prosae, ni fallor, orationis“ Spe. s. l. poenast sceleris c. Haupt. Phil. I. p. 666. om. Meyer. — 50. satis desertus est de quo l. v. T, satis disertust, e quo l. v. Casp. Orellius probante Ribbeckio. satis est disertus, e quo l. v. Wo. sat est disertus pro quo v. l. O cf. Meyer. p. 65. 24. 1. coll. p. 51. — 51. Caec. Balb. p. 28. Mon. XXVI. 2. — 52. Caec. Balb. p. 20. Mon. I. 30.

T 1. thensaurum Spe. — 2. t. st. pro sapientia cedit T. — 3. Versum Publilianum attulerunt Sen. Controv. III. 18. p. 227. ed. Bip. et bis Quint. VIII. 5, 5. et IX. 3. 64. deest om. F. dest Ri. quam misero q. n. habet F. cf. Meyer. p. 31. Woelfflin. Phil. XI. p. 191. — 4. tarde si gravius vir irascitur et perbicax ulciscitur T. „Sententia graviter corrupta pertinet fortasse ad Publ. A 53 vel G 2 (195)“ Wo. „t. irascitur vir gravis et pervicax ulciscitur et an at?“ Ri. Fortasse verba legenda sunt: „t. gravis ira nascitur et ulciscitur aut: t. nascitur gravis ira et pervicax ulciscitur“ cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 558. tarde sed graviter sapiens irascitur O cf. Meyer. p. 51. 63. 9. 1. tarde si exoritur, irast pervicacior aut: „tarde

Tutí sunt omnes, únus ubi deféndítur.

O

Temptándo cuncta caéci quoque tuto ámbulant.
Tam dé se iudex iúdicat quam dé reo.

Φ

Tarda étiam est ipsa cúpiditati céleritas.

V

Ubi fáta peccant, hóminum consilia éxcidunt.
Volúptas e diffícili data dulcíssima est.
Ubi ómnis vita métus est, mors est óptima.
Unús dies poenam áffert, quam multí coquunt.
Ubi péccat aetas máior, male discít minor.*
Ubi níl timetur, quód timeatur, náscitur.
'Ubi sis cum tuís, ubi absis pátria, tua desíderes.
Verum ést, quod pro salúte fit mendácium.
Ubicúnque pudor est, sémper ibi sancta ést fides.
'Utilius ferrum ést in sulco, quam órichalcum est in proélio.
Ubi ínnocens formídat, damnat iúdicem.
Volúntas impudícum, non corpús facit.

gravis ira et pervicax ulciscitur" Buechelerus. — 5. ubi defenditur unus T. unus ubi defenditur Casp. Orellius, Wo. Ri. Spe. Vitiose Nisardus: „t. s. o. ubi unus defenditur" latinum sic vertens: tout le monde est protegé, dès qu'un seul est defendu. — 6. ceci O cf. Meyer. p. 63. 7, 3. — 7. O cf. Meyer. p. 64. 19, 1. — 8. Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 15 (Sent. 178).

V 2. edifficili F. voluntas ex d. datur dulcissime π. fortasse: dat dulcissumum vel e difficilibus dulcissumast Spe. — 3. vitae Fπ, vita Gr. Or. Bo. Wo. Ri. cf. Meyer. p. 28. motus π. optimum Bo. probante Spengelio. Recepi Gruteri coniecturam: nominativo enim mors nominativus vita recte videtur respondere. — 4. deus F, dies Gr. quam m. cogitant F. quam del. Gr. Or. Bo. Wo. Spe. concitant Schnetzius, citant Buechelerus, probante Ribbeckio cf. Meyer. p. 31. — 5. u. senectus peccat ad quem refugit sapientia? T cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 558. v. 129. — 6. u. timetur nihil F. Gr. Or. ubi nil timetur Wo. Ri. u. nihil timetur T, Spe. — 7. ubi cum tuis sis Spe. et absis F. Gr. Or. ut absis Bo. etsi absis Ri. ed. I. et bene sis Buechelerus probante Ribbeckio ed. II. patriam desideres F, patria eam d. Gr. patriam non desideres Bo. probantibus Woelfflino, Ribbeckio, Spengelio. cf. Meyer. p. 31. — 8. fit plerumque mendacium T. verum mendacium fit pro salute π. — 9. ibi est sancta fides F, ibi sancta est fides Ingolst. u. p. ibi e. f. π. Spengelio versus suspectus est. — 10. Servavit solus π, om. F. uncinis inclusit Wo. utilius est vero π, utilius veru est Ri. quam gravis galea in p. π. — 11. iudicem damnat Fπ. damnat iudicem Gr. — 12. voluptas F. voluntas Gr. non

Virtúti melius, quám fortunae créditur.
Verbum ómne refert ín quam partem intéllegas.
Virúm bonum natúra, non ordó facit.
Ubi coépit ditem paúper imitarí, perit.
Veterém ferendo iniúriam invités novam.*
Virtútis spolia cúm videt, gaudét labor.
Virtútis vultus pártem habet victóriae.
Virtúte quod non póssis, blanditia aúferas.
Utrúmque casum adspícere debet qui ímperat.
Volúptas tacita métus est mage quam gaúdium.
Virí boni est nescíre facere iniúriam.
Vultu án natura sápiens sis, multum ínterest.
Virtúti amorem némo honeste dénegat.

Z

'Ubi libertas pópuli cecidit, línguae libertás cadit. 687.
Vita ótiosa et cúrae inanis régia est. 688.
Ubi ómnes peccant, spés querelae tóllitur.
Ut plúres sanes, récte paucos ámputes. 689.
['Ut cupiditas níl non sibi, sic síbi nil caritás tenet.] 690.

---

pudicum F, quem pudicum Gr. Or. impudicum Casp. Orellius. Bo. Wo. Ri. Spe. cf. Meyer. p. 31. — 13. Fortunae Gr. Or. Bo. fortunae Wo. Ri. Spe. — 16. u. c. divitem pauper F, u. c. pauper divitem Gr. Or. Bo. Wo. ubi p. d. ceperit i. p. π, u. c. ditem p. i. p. Buechelerus. Ri. u. c. divitem imitari pauper p. Spe. — 17. Gell. NA. XVII. 14. v. 11. Macrob. Sat. II. 7. v. 13. veterim Par. Macrobii. inferendo π. invites F, Gr. v. 761. Be. Or. v. 773. Bo. Wo. Ri. Spe. invitas π. ψ. α. Ingolst. Macrob. Er. invitat O cf. Meyer. p. 51. 64. 18. 1. — 18. labor Gr. Or. Wo. Spe. Labor Bo. Ri. — 19. vulnus Ingolst. partam habet victoriam proposuit Spe. — 20. non om. π. — 22. magis F. mage Gr. v. t. mage m. q. g. e. Gr. Or. v. t. metus magis q. g. e. Bo. v. t. metus est magis q. g. Ri. Spe. v. t. metus est mage q. g. Wo. — 23. iniuriam facere Fπ, facere iniuriam Gr. Or. Bo. Ri. Spe. At in eodem libro π paullo supra eadem sententia sic exhibetur: V. b. est nescire pati vel facere iniuriam: quae consentit cum Caec. Balb. p. 27. Mon. XXII. 4. p. 38. Par. 12 (Sent. 192) coll. Sent. falso inter Publ. recept. v. 266 (381 Wo.) nescire iniuriam pati Wo. — 24. vultu F. cultu proposuit Ri. sis sapiens F. Gr. Or. sapiens sis Bo. Wo. Ri. Spe. — 26. u. l. cadit audet loqui T. ubi l. cadit audet nemo loqui Casp. Orellius. u. l. cecidit audet libere nemo loqui Haupt. Phil. III. p. 666. v. 99. probantibus Woelfflino et Ribbeckio. — 27. v. otioso regnum est et curae minus T. otiosà Casp. Orellius. et] an set? Ri. — 28. medelae proposuit Froehlichius. — 29. u. p. corrigantur, rite pauci eliduntur T. Ri. numeris solutis cf. Coroll. XCVIII. u. p. c. rite unus perit Casp. Orellius. Versum uncinis inclusit Wo. — 30. u. c. n. sine angustia, ita nihil cum angustia caritas tenet T. habet angustum omne cupiditas, nil caritas Buechelerus. Versum uncinis incluserunt Wo. et Ri.

Virtútis omnis ímpedimentum ést timor. 691.
Ubi iúdicat qui accúsat, vis non léx valet. 692.
Ubi émeris aliénum, veneát tuum.

O

'Ubi peccatum cíto corrigitur, fáma solet ignóscere.
Ubi ínnocens damnátur, pars patriae éxsulat.
Víncere est honéstum, opprimere próbrum, pulchrum ignóscere.

Φ

Velóx consilium séquitur poeniténtia.
Ubi núllus est efféctus, gravior ést labor.

Verba sunt S. Augustini huc illata ex Quaest. Evang. libr. II. 33. tom. III. part. II. 262. (Venet. a. MDCCXXIX.). — 31. v. o. impedimento est t. T, virtuti omni impedimento falsus est pudor Casp. Orellius. v. o. impedimentumst t. Haupt. Phil. III. p. 666. v. 106. Wo. Ri. — 32. u. i. q. a. non lex, sed violentia regnat T. u. i. q. a. vis non lex valet Casp. Orellius. Wo. Ri. — 33. u. e. aliena invenies necesse est tua T. u. emes aliena, vendes aliquando tua Haupt. Phil. III. p. 666. v. 109. u. emes aliena. disperdes semper tua Casp. Orellius. u. emas aliena invenias necesse est tua Wo. u. emas alienam, vendita opus est re tua vel venire opus est rem tuam Buechelerus. u. emas aliena. vendere haud opus est tua Ri. u. emas aliena, caveas ne vendas tua Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 558. — 34. Ex sententiis Publii O cf. Meyer. p. 63. 10, 4. — 35. Publius O cf. Meyer. p. 64. 18, 4. exsultat O. corr. Meyer. p. 52. — 36. Publius O cf. Meyer. p. 65. 22. 2. v. e. h. o. acerbum, sed p. i. O. v. e. h. o. acerbum p. i. Meyer. p. 52. scripsi v. e. h. o. probrum p. i. — 37. Caec. Balb. p. 41. Par. 55 (Sent. 188). — 38. Caec. Balb. p. 41. Par. 52 (Sent. 184).

CONSPECTUS VERSUUM PUBLILIANORUM.

A
Σ 34
Π 43 (42)
Z 52
O 54
Φ 56
P 58—58 (57)

B
Σ 35.
Π 41
Z 43—43

C
Σ 21
Π 37
Z 44
O 45
P 46—46

D
Σ 16
Π 24
Z 28
Φ 32—32

E
Σ 16
Π 19
Z 20
O 21
Φ 22—22

F
Σ 27
Π 28
Z 31
O 33.
Φ 34—34

G
Σ 9
Z 10
Φ 12—12

H
Σ 21
Π 27
Z 29—29

Σ 34
Π 61
Z 63
Φ 66—66

L
Σ 10
Π 17
Z 18—18

M
Σ 32
Π 68
Z 69
O 70
Φ 74
P 75—75

N
Σ 10
Π 59
Φ 62
P 63—63

O
Π 14
O 15—15

P
Π 51
Z 52
O 55
Φ 57—57

Q
Π 68
Z 72
O 73
Φ 75
P 76—76

R
Π 15
Z 17 (16)—17 (16)

S
Π 42
Z 50
Φ 52—52

T
Π 3
Z 5
O 7
Φ 8—8

V
Π 25
Z 33 (32)
O 36
Φ 38—38

761 (758).

CAECILII BALBI SENTENTIAE.

Ab álio exspectes, álteri quod féceris. A 2.
Aegrótis medicus mágis est quam sanís opus.
Aliéna vitia próferens tua aúdias.
Aliénum agas ita út tuum non néglegas.
Amés probatos, nón amatos póst probes.
Amíci famam glóriam imputés tuam. A 56.
Amíci vinclum arctíssimum est sapiéntia.
Amícos esse nólim, qui sunt dívites.
Amícum laedit, étiam qui laedít ioco.
Amícum raro acquíras, amittás cito.
Amícus non est, nísi fortunae est párticeps.
Amíttunt sua pleríque, cum aliena áppetunt.
Amóris unicum ést coagulúm fides.
Animó virum pudícae, non oculo éligunt. A 36.
Armáre nescit, mílites quem nón amant.
Armárium cave péctore habeas dóctius.
Artém sequare honéstam, bene quam dídiceris.
Audéndo virtus eréscit, tardandó timor. A 44.
Audéndum est in perículo, ut possis víncere.
Aut poéna est aurum aut décus aut parricídium.
Aút tibi ipse sís necesse est vílis aut pecúnia.
Avárus damnum, ubi nón lucretur, íngemit. A 55.
Avidíssimus quisque ést egeno próximus.

Barbá tangenda té virum esse mémineris.
Bello hómines gladius, páce luxus vúlnerat.
Béne qui loquitur, ésse amicus coépit, qui male, désinit.
Bene si égeris, tibi ípse personám dabis.
Benefício saepe inimícos dando tórqueas.
Benefícium acceptum aetérnae infigas mémoriae.

30. Benefícium ad homines cónsenescit céleriter.
Blándiloquum cave amícum: semper dúlcedo in amarum ábierit.
Blandum étiam in servos ésse oportet qui ímperat.
Boní futuri spés malorum est rémedium.
Bonus ánimus laesus grávius multo iráscitur. B 10.
35. Bonus ésse in alios nón potest, qui in se ést malus.
Brevís sit ratio amícis, longa orátio.

Cave amíci invidias ínimici insidiís magis.
Cáve, quod turpe est fácere, credas ésse honestum dícere.
Cave quícquam dicas, nísi quod scieris óptime.
40. Cave víncat error te aút decipiat cúpiditas.
Cónscientia ánimi didicit máledictum contémnere.
Cónscientiaé quam famae pótius est inténdere.
Consílium luce, nócte agas convívium.
Cui omnés benedicunt, póssidet populí bona. C 27.
45. Cuí quod dictum est nón iuratum est, iúranti non créditur.

Damnúm nisi ex abúndanti raro évenit. D 29.
Damnúm pudoris praéstanti ingrate ést lucrum.
Dat grátius benefícium, qui dat célerius.
Datís beneficiis plús quam acceptis gaúdeas. D 30.
50. Décipias secúritate grávius adversárium.
De ínimicis intrá parietes quaérenda est victória.
Despícias melius vítam quam custódias.
Diffícile amicos ré probare est próspera.
Dífficilius cúm dolore cónvenit sapiéntiae. D 23.
55. Discórdia fit cárior concórdia. D 9.
Diú deliberándo amicos éligas. D 31.
Diú deliberándum, faciendum ést cito.
Diú quod tractas hábeas pro rectíssimo. D 32.
Dubitáre noli fácere, quod promíseris.

60. Edás ut vivas; út edas, noli vívere.
Érubescere ést utilius iúvenem quam palléscere.
Et nón pollicitam vír bonus servát fidem. E 22.
Et óculi et aures vúlgi testes súnt mali.
Excútias quicquid aúdias: credás proba.
65. Éxstructum supér cloacam témplum forma est múlieris.

Fácile crimen út sagitta fígitur, aegre expéllitur.
Féminae uno oculó dolorem flént, insidias áltero.
Fílio modésto nunquam est gráve, quod pietas ímperat. F 34.
Firmo ést in regno, qui ágnoscit, quod ímperat,

70. Forís saepe aliis sérvit, qui saevít domi.
Fortúna ut medicus caécat multos ínscius.
Fugiás parare súmptuosas núptias.
Fúlmen adversum hóstes ducis est ín cives humánitas.

Geminát peccatum, quém delicti nón pudet. G 11.
75. Geminátur auctore índigno laesí dolor.
Geminátur iracúndia infelícitas. G 12.
Geminátur veniens dólor, a quo non mérueris.
Gerúnt cum timidis étiam bellum insómnia.
Glóriam minuís, fortunae ubi aúxeris licéntiam.
80. Gravíssima ira est, díis quae tradit, quód dolet.
Grávius est binís amicis, quam ínimicis esse árbitrum.

Homo cómmendatus némo natura ést novus.

Idem amíco praestes, tíbi quod praestarí velis.
Ignóscas semper álteri, nunquám tibi.
85. Imménsa verbi ménsura est non próditi.
Impérium qui nimis ádstringit, solvít nimis.
'Imputes convícium tibi cúm malis convívium.
'In quem plus potés peccare, plús peccare désinas.
'In tuo potiús suscipias, quam álieno opere sárcinam.
90. Iniúriarum rémedium est oblívio. I 21.
Iniústae vites caúsae confidéntiam.
Inópia est turpis, quaé venit de cópia. I 65.
Invídia semper ádversa est felícibus.
Irá premetur, quí non iram présserit.
95. Irae éxitus fit poénitentiae ínitium.
Irátus cum ad se rédiit, sibi tum iráscitur. I 43.
Irátus filio ípse te coërceas. I 66.
Is mínimum eget mortális, qui minimúm cupit.
'Ita agas alienum, út tuum non néglegas negótium.
100. Ita amíco prosis, út ne quid noceás tibi. I 64.
Ita amícus sis, inimícus ut ne esse hórreas.
Iustítia erga inferióres est veríssima.

Labor ímperantis mílitum est secúritas.
Líberi et serví personam cónfundit mendácium.
105. Loquáre quod deléctat, facias quód iuvat.
Lucrum ómne turpe fúgias ut dispéndium.

Magní minores saépe fures púniunt.
Male iúdicat qui dé se nescit álterum.
Malís exhibeas fórtiter patiéntiam.
Malum álienum cave gaúdium faciás tuum. M 72.
Malum ést solamen ádversantis dígnitas. M 73.
Malus aúctor etiam rém bonam turpém facit. M 74.
Máxime consílio officiunt íra et festinátio.
Meliórem mala quem cárpit lingua iúdicat.
Meliús cavere est quám pavere instántia.
Miserárum rerum pórtus est patiéntia.
Móribus multó quam rebus té praestat splendéscere.
Múlto turpiús damnatur, cuí delictum ignóscitur.
Mútuum si amíco dederis, dés utrumque pérditum.

Nec mórbum noli néc pauperiem obtéxere.
Necéssitatum párcitas est rémedium. N 61.
Negát sibi ipse, quí quod difficile ést petit. N 39.
Nemó putari fórtis nisi sapiéns potest.
Nemo únquam sapiens próditori crédidit.
Nil ést quod renuat, quí perfecte díligit.
Nil némo amittit únquam, nisi qui níl habet.
Nil pénsi habere insánientem est vívere.
Nil pósse est esse mórtuum, non vívere.
Nil tám pestiferum, quám luxuria est hóminibus.
Nocéns fit, hominis úbi succubuerít fides.
Nocére nescit, quí se velle pródidit. N 60.
Nólle peccare, úbi potueris, prétium est innocéntiae.
Nón debet poténs admittere quaé delicta córrigit.
Nón est ulla tám bona uxor, dé qua non possís queri. N 8.
Non líber animi est, quem ínflammat supérbia.
Nón posse adiuváre egenos páuperum una est cálamitas.
Nón tristem a sermóne oportet príncipis discédere.
Non vívit, qui nil cógitat nisi vívere.
Nulli ímponas, quod ípse non possís pati. N 62.
Nunquám mortales ésse amicitiás decet.

'O beatam cívitatem, páce quae bellúm timet!
'Omnia consuléncla, sed non ómnia sunt ab ómnibus.

Parére scire pár imperio est glória. P 56.
Patiéntibus sis ípse pro solácio.
Paucís qui plurima dícit, dicit óptime.

Péssima ars perfídia in damnum créscit augmentís suis.
Perpétuo vincit, qui útitur clémentia. P 51.
Plús prodest cum amíco occidi, quám cum inimico vívere.
Poenam á quo mereas, frústra praesidiúm petas.
150. Populí domat licéntiam aut bellum aút fames.
Praésentem decét laudare, prémere absentem nón decet.
Praetéritae aetatis áctus in famám migrat.
Pupíllus est avárus aetatís brevis.

Quaérendae et tuéndae habendus ést modus pecúniae.
155. Quánti corpus ést sine anima, tánti est sine amicís homo. Q 74.
Qui dámnat innocéntem, semper ést reus.
Quí dolorem fért patienter, ínimicos ulcíscitur.
Qui ín suos tulit árma, inimicus ést communis ómnium.
Quí iacit, non cui írrogata est íniuste, habet infámiam.
160. Qui únum imitatus fúerit, illi núnquam auctori pár erit.
Qui métuit contuméliam, raro áccipit. Q 3.
Quí non corripít peccantem gnátum, peccare ímperat. Q 75.
Qui nón dolendo víncitur, vincít dolor.
Quod dúbitas, animo vétitum noli admíttere.
165. Quód habes, sic utáris, ut non álienum desíderes.

Rapiénda, non capiénda agendi occásio est.
Réctum capere scít consilium, quí dignoscit, quód nocet.
Respícere nil consuévit iracúndia. R 12.
Ríxa amicorum ánimos solvit, cónfirmat sapiéntia.

170. Saépe fortuna ínnocentem, núnquam spes bona déserit.
Sápienti praestát tacere pró se quam contrá loqui. S 51.
Sapiéntia est feriénda ab insipiéntibus.
Sémper sit, quem audíeris solus, sérmo apud te cónditus.
Sequáre amicum, optásse quem non sít pudor.
175. Sérvilem fugít stultitia cúltum, mores nón fugit.
Sevéritatem pródas cave libídini.
Sine ádversante brévis est laus victóriae. S 52.
Socia ést et consors mórtis vita inglória.
Stúltum est aliis ímperare vélle, qui nescít sibi.
180. Súperat cònsciéntia, quicquid língua mala confínxerit.

Tacére nemo stúltus in vinó potest.
Tacére nunquam, saépe poenituít loqui.
Tarda étiam est ipsa cúpiditati céleritas. T 8.

Telúm fuit gravíssimum patribús fides.
185. Témperat ius, quód fortuna dát, quod ius, sapiéntia.
Tíbi putes recté perisse, quó nil praestiterís, diem.

Ubi ípse metuas, cónsultores praévenis.
Ubi nóveris, adúlator nil próficit.
Ubi núllus est efféctus, gravior ést labor. V 38.
190. Ubi páx placuerit, ábsit belli méntio.
Ut láqueus innocéntum est blandiloquús malus.
'Ut sis, qui velís videri, ad glóriam via próxima est.
Velóx consilium séquitur poeniténtia. V 37.
Verbósa lingua est árgumentum málitiae.
195. Véritatis brévis est sermo, lónga vox mendácii.
Víndicta ex inimíco periit, sí te inimicum sénserit.
Virí boni est nescíre facere iniúriam. V 23.
Vúlgus imperítum ad iustum una ádstringit necéssitas.

PSEUDO-SENECA
DE MORIBUS.

---

1. Quí se sponte negát peccasse, véniam nequiquám petit.
2. Víta excutere honésta debet, árs quod instruxít mala.

3.[a] Níl refert animó quo facias, quód fecisse est ímprobum.

3. Núlli unquam hominis cérnitur animus, cérnuntur facta ómnibus.
4. Laúde est expers, quí non fecit, quód fecisse nón potest.
5. Quid tam ínimicum alteri álterum, quam homini ést homo?
6. Ferás dolorem: víncitur patiéntia.
7. Quod núnquam expetere té poeniteat, éxpetas.
8. Nón refert quam múltis placeas, quám bonis placeás, vide.
9. Magís libenter, quám loquaris, aúdias.

10.[a] ʹOmnes differéntes vitam mórs incerta praévenit.

10. ʹOmnis tanquam vítae extremus ést componendús dies.
11. Trístitiam nolí praeferre, péllere ubi non pótueris.
12. Amícum moneas sécreto, laudés palam.
13. Audíta rebus, nón personis aéstimes,
14. Crédas te oratórem, tibi si quód opus est persuáseris.
15. ʹImperio velút servam animi cómpescas libídinem.
16. Quod vís sileri, cuíquam noli dícere.
17. Réligiosum odio ést nocentis pérdere innocéntiam.
18. Monstrúm senilis áviditas pecúniae est.
19. Pudét sordidius násci, vivere nón pudet.
20. Dúlcius quid ést quam habere, quícum ut tecum ausís loqui?
21. Quam est válidus qui laedéntem laesus néglegit!
22. Magnópere quid sis, níl quid habeare ínterest.
23. Nondum ést beatus, túrba quem non ríserit.
24. Si ésse vis beátus, primum cóntemnas contémnier.

25. 'Ante promissúm consilio, póst promissum est fácto opus.
26.[a] Cave hóminum quisquam te óderit meritó tuo.
26.[b] Sí nullos iniúria, multos ínvidia inimicós facit.
27. Cum ínnocentiá victurus quaéras solitúdinem.
28. Bonus ánimus cultor ést dei pulchérrimus.
29. Nóli alienum invádere thalamum, qui ést alieni sánguinis.
30. Sís pius in tuós, amicis fídus, aequus ómnibus,
31. Saévitiam vités parentem et saévitiae iracúndiam.
32. Noli áliter solus vívere, aliter ín foro.
33. Nóli petere, quód negaris; quód petieris, níl neges.
34. Cum homínibus pacem, béllum cum vitiís agas.
35. Qui insánit ipse, fúrere credit céteros.
36. Vítium est pluribús placere málle, quam melióribus,
37. Noli hóminum quemquam nósse, nedum omnés velis.
38. Quam mágnum est nolle, ubi dígnus sis, laudárier!
39. Stultum ést timere, quód vitari nón potest.
40. Bonís probatur, quísquis displicuít malis.
41. Qui mále loquuntur, béne loqui raró solent.
42. Rídeas falsúm maledíctum, véro recte maéreas.
43. Ubicúnque quisque est, pátria est, ubicunque ést bene.
44. Níl magnum est in térris, animus nísi qui magnum déspicit.
45. Máximas habét divitias, quí nullas desíderat.
46. Qui cóncupierit mínimum, habebit plúrimum.
47. Benefícium homo homini quí dat, imitatúr deum.
48. Amés iudicio, nón amore iúdices.
49. Ex líte alterius ábs te redeat grátia.
50. 'Occurras amíci potius quám succurras ínopiae.
51. Paránt amicos laútae res, dubiaé probant.
52. Peióra apertis ódia sunt laténtia.
53. Stúltum est nolle praédicari, quód velis intéllegi.
54. Quid agát, qui ostendit, quód agit, agnoscí cupit.
55. Plus áccipit qui dát quam qui datum áccipit.
56. Omném laborem spés solatur praémii.
57. Hominum ést avaro némo divite egéntior.
58. 'Imperare, nón servire cónvenit pecúniae.
59. Cónscius scelerís pote alios fúgere, se nunquám pote.
60. Is paúper est, qui síbi videtur índiges.
61. Homo quí timetur á multis, multós timet.
62. 'In fortuna sése efferre fórtunae est succúmbere.
63. Felícitas infélici innocéntia est.

64. Sua ípsius nequítia poena est máxima.
65. Scelús tutum esse póte, securum nón pote.
66. Véneris si exitúm memineris, ínitium coërceas.
67. Nunquam áccepti, dati óbliviscarís cito.
68. Inhonéste vincit, ármis qui vincít suos.
69. Satís poenarum pótuisse est puníricr.
70.} 71.} Dífferas odiúm, modereris, déponas fidéliter.
72.} 73.} Imágo est animi sérmo, vitae orátio.
74. Diffícile vocem témperes siléntio.
75. Malus aéque est, qui miscétur aequo animó malis.
76. Qui cíto laudavit, laúdatum accusát cito.
77. Et crédere omnia stúltum est et nil crédere.
78. Utí divitiis décet, abuti nón decet.
78.ª 'Id agas ne quis aút contemnere aút timere té velit.
79. Sine árbitro cave crédas esse ullúm locum.
80. Hominum éxcusare vítia damnare ést deos.
80.ª Dés, ubi dubites, vítam: erepta víta reddi nón potest.
81. Fórtior est qui cúpiditatem víncit, quam qui hostém domat.
82. Dífficillima ést victoria sémetipsum víncere.
83. Mala íra est, ultro quaé suis iráscitur.
84. 'Ita amare incipiás, desinere quási te non opórteat.
85. Coepísse magnum est laús magna, ut coepto éxcidas.
86.} 87.} Nobílitat animi, nón stirpis generósitas.
88. 'Otium seni labore est íncipiente honéstius.
89. Homo ánimi praebet túrpe aeger spectáculum.
90. Nolí malo oculo adspícere alterius rém bonam.
91. Nulli ín secundis vítare invidiám datur.
92. Sí iactaverís divitias, díves cum multís eris.
93. Praestát potentiam ímpotens occásio.
94. Qui cónfitetur, próxime innocéntiam est.
95.} 96.} Iníquitati próxima est sevéritas.
97. Scít bonus iudéx non tam quid, quám qua damnet, cérnere.
98. Hómines si meúm tuumque tóllerent, quiéscerent.
99. Heu quam ést timendus, quí paupertatém timet!
100. Béneficiis te amícum, inimicum séntiant iniúriis.
101. Irrítat avidum, nón explet pecúnia.

102. ´Usura est reddénda morbus, sí data est pecúnia.
103. Mihi créde, dives ésse et felix nón potes.
104. Utáre quam lingua aúribus frequéntius.
105. Quícquid aliis és dicturus, dícas ante omnés tibi.
106. ´Inter iratum átque insanum níl nisi interést dies.
107. Bonís frueris, sí vitaverís mala.
108. Cúm timeas aliós, tum temet véreare ipsum máxime.
109. Si béne didiceris, fácere te pudeát male.
110. Quód persuaserís, manebit; fúgiet, quod coëgeris.
111. Ignóscas semper álteri, nunquám tibi.
112. Virtúti adicias, vítiis quod detráxeris.
113. Stultum ést horrere mórtem, somni imáginem.
114. Bonís necesse est nóceat, qui parcít malis.
114.[a] Si stát fatum homini, quíd quod est certúm times?
115. Mále qui dicunt áliis, faciunt ípsi sibi convícium.
116. Túrpe est alteri éxprobrare, quód tuum spectát probrum.
117. Paúlulum remíttas, ubi non víceris libídinem.
118. Saépe quae ratió sanare nón potest, sanát dies.
119. Quí nummo Venerí que immoritur, nón vixit causá sua.
119.[a] Sít coram quo té peccare púdeat dignus, quém pudet.
119.[b] Cógitat iuvenís virorum et féminarum iniúrias.
119.[c] Quí felicitátem iactat, iáctat insoléntiam.
120. Cave túrpe dicas: péllitur dictís pudor.
121. Síc habites, ut dóminus potius cónspiciatur quám domus.
122 ´Innocentia fúgit invita, cúm quo consuevít diu.
123. Non trístis tabula, caúsa turpem hominém facit.
124. Damnáti merito poéna, immerito est cálamitas.
125. Quícquid cogitáris solus, páteat cito sodálibus.
126. Honésti nunquam símulatus decor ést diu.
127. De aliéna quod agas, éx tua mente aéstimes.
128. Béneficii memória est fragilis, pértinax iniúriae.
129. ´Obiurgatióni semper áliquid blandi admísceas.
130. Sí quid scribis éditurus, mórum das chirógraphum.
131. Qui ín servos saevít, se in alios vélle, non posse índicat.
132. Homo quí tacere néscit, nescit dícere.
132.[a] Quód mali debént audire, dícere non debént boni.
132.[b] Utinám bonis stet aétatis longínquitas!
133. Bonitátis fruitur cónscientiá bonus.
134. Hominés effugere cíto malos tutíssimum est.
135. Nón ulla est pusílla, amicos quaé capit multós, domus.

136. Cóntemtum paupér facilius, quam ínvidiam divés fugit.
137. Scíre uti felícitate máxima est felícitas.
138. 'Arcus velut inténtus, animus síc remissus frángitur.
139. Non scélere oportet víndicare unquám scelus.
140. Vir bónus est qui peccáre nec vult néc potest.
140.[a] Líberis quam líbertati mális te supérstitem.
141. Síngulos reí verentur, úniversos iúdices.
142. Quam vánus est, qui infírma sua iactát bona!
143. Tuam íngemit malígnus misericórdiam.
144. 'Abscindenda igní ferroque tóta est vitiorúm cohors.
145. 'Alter ego est amícus: cuncta mécum habet commúnia.
145.[a] Et agénda et acta stúdio recolas témpora.
145.[b] Diis hómines sola véritas similés facit.

PROVERBIA.

Nondum ést beatus, túrba quem non ríserit.
Sí nullos iniúria, multos ínvidia inimicós facit.
Purás deus, non ádspicit plenás manus.
Bonus ánimus cultor ést dei pulchérrimus.
5. Noli áliter solus vívere, aliter ín foro.
6.–7. Nóli petere quód negaris; quód petieris, níl neges.
Níl magnum est in térris animus, nísi qui magnum déspicit.
Ubi césses facere, níl prodest bene dícere.
10. Níl refert animó quo facias, quód fecisse est ímprobum.
Fácta ab omnibús cernuntur, ánimus nulli cérnitur.
Nón refert quam múltis placeas; quám bonis placeás vide.
Sua ípsius nequítia poena est máxima.
Scelús tutum esse póte, securum nón pote.
15. Qui cíto laudavit, laúdatum accusát cito.
Sine árbitro cave crédas esse ullúm locum.
Nón ulla est pusílla, amicos quaé capit multós, domus.
Non scélere oportet víndicare unquám scelus.
19.–22. Quí se sponte negát peccasse, véniam nequiquám petit.
23.–24. Érumpant cito té lapso odia, quaé sub osculó latent.
25. Qui insánit ipse, fúrere credit céteros.
´Omnes differéntes vitam mórs incerta praévenit.
´Omnis tanquam vítae extremus ést componendús dies.
Réctum si ipse tíbi persuaseris, óratorem té putes.
Boní probatur, quísquis displicuít malis.
30. ´Obiurgatióni semper áliquid blandi admísceas.
Peccándi oportet fácias odium, nón metum.
´Optimum est ignósse ita, ipse quási pecces cotídie.

'Optimum est sequí maiores, récte si praecésserint.
34.}
35.} 'Omnis in vitaé ratione dóctor peccat túrpius.
36.}
37.} Non ínnocens, est tímidus, qui legém timet.
38.}
'Ante promissúm consilio, póst promissum est fácto opus.
40. Priús negatum póst fecisse est fállere.
41.}
42.} Líte amicorúm religio cómprobatur iúdicis.
43.}
44.} Sís pius in tuós, amicis fídus, aequus ómnibus.
45. Cum homínibus pacem, béllum cum vitiís agas.
'Imperare, nón servire cónvenit pecúniae.
Dómina fit de sérva, si uti néscias, pecúnia.
Irrítat avidum, nón explet pecúnia.
Fórtior est, qui cúpiditatem víncit, quam qui hostém domat.
50.}
51.} Peióra apertis ódia sunt laténtia.
Qui cónfitetur, próxime innocéntiam est.
Mále qui dicunt áliis, faciunt ípsi sibi convícium.
Túrpe est alteri éxprobrare, quód tuum spectát probrum.
55. Pulchrum ést nil exigéntem praestare ómnia.
Éx communi fácere proprium príncipium est discórdiae.
Plúrimi famám verentur, paúci consciéntiam.
Priúsquam erueris hóstem noli occídere.
59.}
60.} Laésum iniquius ést odisse, quám laesisse, quem óderis.
61.}
62.} Quam est válidus, qui laedéntem laesus néglegit!
Magnópere quid sis, níl quid habeare ínterest.
Cave hóminum quisquam te óderit meritó tuo.
65. Quam mágnum est nolle, ubi dígnus sis, laudárier!
Quí perituro nón succurrit, cúm potest, hominém necat.
Quid tam ínimicum alteri álterum, quam homini ést homo?
Máximas habét divitias, quí nullas desíderat.
Qui cóncupierit mínimum, habebit plurimúm.
70. Benefícium homo homini quí dat, imitatúr deos.
Is paúper est, qui síbi videtur índiges.
Levés amici inimíci interdum súnt graves.

Hómines si meúm tuumque tóllerent. quiéscerent.
Heu quam ést timendus. quí paupertatém timet!
75.–76. Quod vís sileri, cuíquam noli dícere.
Qui ín servos saevít, se in alios vélle, non posse índicat.
Quí facit. quod póte malefacere, quód fecit, cito désinit.
79.–81. Dúlcius quid ést quam habere, quócum ut tecum ausís loqui?
Repúlsam quam fastum hómines faciliús ferunt.
Saévitiam vités parentem et saévitiae iracúndiam.
Béneficii memória est fragilis, pértinax iniúriae.
85. Réligiosum odio ést nocentis pérdere innocéntiam.
Homo quí timetur á multis, multós timet.
87.–88. 'Unum metuunt, quí reguntur, métuit omnes, quí regit.
Expédiet res honésta pollicitís fidem.
90. Mágnam te redúctura ad te spóndet rem sapiéntia.
Frángit pudor ingénium rectum, právum effert audácia.
Scelus éxstirpare, nón scelestos óptimum est.
Vél parem vel ínferiorem ubi laúdaris, laus ést tua.
Vénia, non poená peccatum córrigere est cleméntiae.
95. Heú quam est miserum in sáno corpore méntem furere saúciam!
'Ad potentem périt amici aut véritas aut grátia.
Si ésse vis beátus, primum cóntemnas contémnier.
Sí tua multis pláceat vita, tíbi placere nón potest.
Cum ínnocentiá victurus quaéras solitúdinem.
100. Stultum ést timere. quód vitari nón potest.
Ex líte alterius ábs te redeat grátia.
'Occurras amíci potius, quám succurras íuopiae.
Amícum moneas sécreto, laudés palam.
Si béne didiceris, fácere te pudeát male.
105. Ab álio petit irátus poenam. ab se éxigit.
Péccatum solént incessere hómines, ipse admíttere.
107.–108. 'O virtutis púlchro in homine púlchre expressam imáginem!
Voléns ministres, ínvitus ne sérvias.
110. Sua áffluit virtúte, qui alienás amat.
Noli ínvidere cuíquam: minor est qui ínvidet.
112.–113. Bonus ínvidet vir álienis nunquám bonis.

114.–115. Plerúmque verbo qui ábiciunt. furtim aúferunt.
Cautúm se timidus, sórdidus parcúm vocat.
Praetér deos timére nil tutíssimum est.
Difficile vocem témperes siléntio.
Magís libenter quám loquaris aúdias.
120. Homo quí tacere néscit, nescit dícere.
Trístitiam nolí praeferre, péllere ubi non pótueris.
Homo ánimi praebet túrpe aeger spectáculum.
Cave túrpe dicas: péllitur dictís pudor.
Qui honésta loquitur, sérmo honestatém parit.
125. Fácilius morí iubentem tóleres. quam male vívere.
Súpplicii est minús non posse. quám nescire vívere.
Cáve pares amícum, amare quem íncipias, post óderis.
'Ipse sis, priúsquam amicum símilem quaeras, vír bonus.
Túrpius nil quám bellare est, quócum amanter víxeris.
130. Nisi éx malo vix quísquam transit ín bonum.
Noli hóminem quemquam nósse, nedum omnés velis.
Sibi ímperare quémque imperium est máximum.
133.–134. Cuí malo malús parcas, cur ésse bono invideás bonus?
135. Fuit ólim vitium, núnc mos adsentátio est.
Nolúnt loqui homines vérum, ne verum aúdiant.
Bona dísciplina edúcit mores útiles.
Víta excutere honésta debet, árs quod instruxít mala.
Ferás dolorem: víncitur patiéntia.
140. Audíta rebus. nón personis aéstimes.
Béneficiis te amícum, inimicum séntiant iniúriis.
Mortáli honesta mórs est immortálitas.
143.–144. Vir bónus est qui peccáre nec vult néc potest.
145.–146. Pectús piget scrutári. terram nón piget.
147. Progréssa virtus nón desperat éxitum.
148.–149. Deúm. non homines fás est aemulárier.

SENTENTIAE
FALSO INTER PUBLILIANAS RECEPTAE.

Sententias a Ribbeckio in Appendice positas compendio RA., Publilio a me tributas signo † notavi.

A mórte semper tántundem homines ábsumus.
Ab álio iratus poénas petit, ab se éxigit. {124 Gr. 2. 347 Fa.}
Ab úsu ágilia mémbra sunt cursóribus. 43 Re.
Áberit a períclo populus, férre dum frenós sciet. 360 Go.
5. Abóminandum mórbus remedii ést genus. 2 Re.
Ád suspiciónem tiro cíto pallescit vúlneris. 8 Re.
Ád teli iactúm lacerti mílitares plús valent. 7 Re.
Adsíduitas perícli contemtúm facit. 80 Re.
Adúlter est uxórem qui amat ardéntius. 9 Ps.
10. Aéger est, non sápiens animus, quem álienae urunt míseriae. 203 Go.
Amés iudicio, nón amore iúdices. 160 Go.
† Amíci mores nóveris, non óderis. 17 Ps.
Amícum amicus aút parem accipit aút facit. 19 Ps.
Amícum laedit étiam qui laedít ioco. 23 Ps.
15. Amícum moneas sécreto, laudés palam. 66 Fa.
Amícum perdere máximum damnum ómnium est. 24 Ps.
Amícus non est, nísi fortunae est párticeps. 201 Gr.
Amícus semper pródest, nocet intérdum amor. 20 Ps.
Amícus, ubi nil ábsit, hoc desít magis. 25 Ps.
20. Amór misceri cúm timore nón potest. 26 Ps.
Amóris unicum ést coagulúm fides. 18 Gr.
An díves omnes quaérimus, nemo án bonus. 27 Bo.
Angústa capitur tútior mensá cibus. 28 Ps.
Animús magnam aeque mágnus fortunám decet. 190 Go.
25. Árcus velut inténtus, animus síc remissus frángitur. 33 Er.
† Audéndo virtus créscit, tardandó timor. 39 Ps.

Audíre male res béne gerentem est régium. 112 Bo.
Aut sése princeps ípse aut alium víndicat. 6 Go.
Aút tibi ipse sís necesse est vílis aut pecúnia. 46 Gr. 2.
† 30. Avárus animus núllo satiatúr lucro. 36 Ps.
Avidíssimus quisque ést egeno próximus. 42 Gr. 2.
Bello hómines gladius, páce luxus vúlnerat. 47 Gr. 2.
Béllum furor est príncipum, non cívium crudélitas. 298 Go.
Benefícii est pars bonitátis verba réddere. 53 Go.
35. Benefícium egenti bís dat, qui dat céleriter. 51 Bo.
Benefícium qui dat hómini, homo imitatúr deum. { 48 Bo. / 312 Pn. }
Béneficium est carére iam quod ínvitus posséderis. 52 Go.
Bonís necesse est nóceat, qui parcít malis. 55 Er.
Bonís probatur, quísquis displicuít malis. 194 Go.
40. Bonitás est nulla méliorem esse péssimis. 240 Ps.
Bonitátis magna párs velle est fierí bonum. 376 Qu.
Bonum ést duabus fúndari navem áncoris. 58 Bo.
Bonus ánimus in malá re dimidium ést mali. 59 Bo.
Bonus ésse in alios nón potest, qui in se ést malus. 60 Gr. 2.
45. Calámitas est virtútis saepe occásio. 63 Ps.
Cautúm se timidus, sórdidus parcúm vocat. 365 Er.
Cave amíci invidias ínimici insidiís magis. 188 Gr.
Cave hóminum quisquam te óderit meritó tuo. 162 Er.
Cáve quod turpe est fácere, credas ésse honestum dícere. 320 Ps.
50. Cave sémper hominem, quí tibi imposuít semel. 68 Bo.
Cito némo locuples fáctus est, qui est vír bonus. 329 Ps.
Clémens est supérior lenis qui ínferiorem ulcíscitur. 72 Go.
Coelí sereni fácies moderati ímperi est. 235 Go.
Cogít rogando, cúm rogat poténtior. 74 Gr. 2.
55. Commúne exitium naúfragis solácio est. 75 Bo.
Cónscientiaé quam famae pótius est inténdere. 76 Gr. 2.
Consílium luce, nócte agas convívium. 275 Qu.
Cónsuetudiném peccandi fécit vis peccántium. 78 Go.
Cónterunt plebéia celsum saépe dicta vérticem. 81 Fa.
60. Crebró si iacias, iácias alia aliúd vice. 83 Bo.
Crimínibus felix némo fuit unquám diu. 133 Fa.
Crudélis est, non clémens, qui desaéviit. 185 Go.
Cui cónvenit bene cúm pauperie, díves est. 84 Fa.

Cuique hóminum mores fíngunt fortunám sui. 141 Bo.
65. Cúius telum elúsum opposita est véste, non minus ést latro. 245 Re.
Cuivís artifici in árte credendum ést sua. 85 Bo.
Cum ad dúo festinas, neútrum perficiás bene. 5 Bo.
Cúm camelus cúperet cornua, aúres etiam pérdidit. 64 Bo.
Cum homínibus pacem, béllum cum vitiís agas. {87 Fa. 276 Pn.}
70. Cúm pari certámen anceps, fúror aut turpe est cum ímpari. 88 Re.
Cum úniverso ipsúm rapi ingens mórtis est solácium. 349 Gr.
Custódias quid dícas, non quid cógites. 77 Ps.
Damnát, non odit ímprobum iudéx bonus. 61 Re.
† Damnúm nisi ex abúndanti raro évenit. 90 Ps.
75. Darí bonum quod pótuit auferrí potest. 41 (Senec.)
Datúr maiorum núlla meritis glória. 91 Fa.
Decet ómnium regem ésse clementíssimum. 254 Go.
Dedit únus spiritum, únus eripiét tibi. 351 P?
Defórmis simiórum est formosíssimus. 92 Bo.
80. Délicatior ést, cui alieno cóndoluit nisú latus. 101 Re.
Deméns est, si quis praéstat errorí fidem. 93 Ps.
Deó favente náviges vel vímine. 94 Bo.
Deó sic lubitum est símilem ad similem dúcere. 292 Bo.
Despícias melius vítam, quam custódias. 95 Bo.
85. Deum út deus, natúram natura ópprimit. 215 Ps.
Diés habetur núnc noverca, núnc parens. 96 Bo.
Diffícile amicos ré probare est próspera. 300 Gr. 2.
Dífficile est, quae técum vitia créverunt, recídere. 97 Re.
Dífficiliusrégere imperio est, quám quod nocet exclúdere. 128 Re.
90. Discás oportet, quámdiu est quod néscias. 361 Gr.
Diú non vixit, ánnis qui multís fuit. 31 Gr.
† Diú quod tractas, hábeas pro rectíssimo. 318 Gr. 2.
Docéntis vita plúris, quam sciéntia est. 295 Fa.
Docuére fallere múlti, dum fallí timent. 214 Qu.
95. Domí manere fórtunatum hominém decet. 102 Bo.
Eó quidque animo, quó das, debetúr datum. 107 H St.
Eódem inclinat, quó fortuna, hominúm favor. 144 Ps.
Ét cicatricís post vulnus dúx honestae cúram agat. 13 Go.

† Et nón pollicitam vír bonus servát fidem. 119 Gr. 2.
100. Et óculi et aures vúlgi testes súnt mali. 335 Ps.
Etiám de pulchra púlchrum est suspendi árbore. 378 Bo.
Etiám tyranno impérium est vix precárium. 117 Ps.
Excútias, quicquid aúdias: credás proba. 99 Gr.
Ex líte alterius ábs te redeat grátia. 100 Fa.
105. Facílius crescit íncohata dígnitas. 127 Ps.
Fácilius priváto ignoscitur últo pertináciter. 129 Go.
Famés stat parvo, plúrimo fastidíum. 279 Bo.
Felícitas est nútrix iracúndiae. 132 Ps.
Felícitas infélici innocéntia est. 131 Gr.
110. Felícitatem spérnere est felícitas. 238 Re.
Felíx videtur, quí mala ignorát sua. 135 Fa.
Forís saepe aliis sérvit, qui saevít domi. 291 Qu.
Fórtior est, qui cúpiditatem víncit, quam qui hostém domat. 180 Ps.
Fortúna dat mancúpio nil, multa úsui. 145 Re.
115. Fortúna ius in hóminis mores nón habet. 139 Ps.
Fortúna magna dómino magna est sérvitus. 140 Ps.
Fortúna multis nímium dat, nullí satis. 142 Ps.
Fortúna nil, quod nón dedit, cuiquam éripit. 227 Ps.
Fortúna regum cásus praecipités rotat. 328 Bo.
120. Fortúna vincit, nísi nos totam víncimus. 143 Gr.
Fortúnae invidia est, sí quis immerito ést miser. 138 Fa.
Fuit ólim vitium, núnc mos adsentátio est. 385 Fa.
† Geminát peccatum, quém delicti nón pudet. 147 Ps.
Gemitús dolores índicat, non víndicat. 148 Gr.
125. Gerúnt cum timidis étiam bellum insómnia. 115 Gr.
Gladiátor ipsa aréna consiliúm capit. 149 Bo.
Grátius datúm beneficium dándi celeritás facit. 50 Gr.
Gravióra quaedam súnt periclis rémedia. 152 Ps.
Gravíssima ira est, díis quae tradit, quód dolet. 153 Qu.
130. Grávius est binís amicis, quam ínimicis esse árbitrum. 178 Ps.
Haéc utinam sit léx cum telo ut íra frangatúr suo! 390 Go.
Hominum éxcusare vítia damnare ést deos. 121 Go.
Homo quí tacere néscit, nescit dícere. 157 Fa.
Honésta fama práeterit pecúniam. 158 Fa.
135. Honésta lex est témporis necéssitas. 159 Ps.

Iacénte quercu quívis lignatúm venit. 32 Bo.

'Id agas, ne quis aút ontemnere aút vereri té velit. 388 Go.

'Idem amat, qui amícus est, non ídem amicus ést, qui amat. 273 Qu.

Idem amíco praestes, tíbi quod praestarí velis. 21 Gr. 2.

140. Ignávus omnis ómni cessat témpore. 163 Fa.

Igní probatur aúrum, virtus míseria. 164 Gr.

Ignóscas semper álteri, nunquám tibi. 165 Ps.

Illaésa non ullum íctum fert felícitas. 244 Re.

Imágo est animi sérmo, vitae orátio. 166 Pn.

145. 'Imbecilli ad álienam oculi líppitudiném fluunt. 168 Go.

'Imperare, nón servire cónvenit pecúniae. 285 Fa. Pn.

'Impolitam cáve relinquas quam aédificaverís, domum. 103 Bo.

'Improbis parcéndum est civibus, út membris languéntibus. 177 Go.

In áliis rebus álius est praestántior. 14 Bo.

150. 'In fortuna sése efferre fórtunae est succúmbere. 170 Go.

'In recessu habeás severum, in prócinctu keep clementiam. 344 Go.

Ingénita cuique cáritas nostrum ést sui. 175 Fa.

Inhonéste vincit, ármis qui vincít suos. 172[a] Go.

Iníquitati próxima est sevéritas. 56 Er.

155. † Inópia est turpis, quaé venit de cópia. 367 Ps.

'In partem quod ést perceptum, nón in totum fállitur. RA.

Intéllegas, ut fácias, ecquae sínt bona. 177 Sca.

Invídia semper ádversa est felícibus. 356 Gr. 2.

Ipsa ínquieta exágitat se felícitas. 330 Ps.

160. Irá premetur, quí non iram présserit. 156 Gr.

Irae éxitus fit poénitentiae ínitium. 110 Gr.

Iraé remedium máximum est dilátio. 199 Re.

Irrítat avidum, nón explet pecúnia. 286 Re.

'Ita agas alienum, út tuum non néglegas negótium. 345[a] Qu.

165. † Ita amíco prosis, út ne quid noceás tibi. 345[b] Qu.

'It per alta vírtus, sequitur húmilis tuta inértia. 161 Re.

Labor ímperantis mílitum est secúritas. 184 Gr.

Látius terrént potentum, ut fúlmina, poenae, quám nocent. 389 Go.

Laudátur, qui etiam sérvis moderate ímperat. 342 Pn.
170. Leve débitorem fácit aes, inimicúm grave. 11 Ps.
Líte amicorúm religio cómprobatur iúdicis. 297 Pn.
Magis ánimi ulceribus quám medendum est córporis. 386 Go. Fa.
Magís libenter, quám loquaris, aúdias. 40 Gr. 2.
Magnópere quid sis, níl quid habeare ínterest. 294 Fa.
175. Magnús superne iniúriam animus déspicit. 191 Go.
Male habét vir medicus, hóminum male cum némo habet. 192 Bo.
Mále qui dicunt áliis, faciunt ípsi sibi convícíum. 310 Fa.
Male vívet, bene quicúnque nesciét mori. 193 Sca.
Malim áccepisse, quam íntulisse iniúriam. 4 Bo.
180. Maló bonoque vírtus sublató perit. 372 Go.
Malo húmilis vinci, quám superbus víncere. RA.
Maló quaerendus cúneus est nodó malus. 307 Bo.
† Malum álienum cave gaúdium faciás tuum. {15 Ps. / 196 Gr.}
Malúm consilium cónsultori péssimum est. 197 Ps.
185. Malus aéque est, qui miscétur aequo animó malis. 10 Fa.
† Malus aúctor etiam rém bonam turpém facit. 37 Gr.
Manét cicatrix étiam cum vulnús coit. 116 Ps.
Mé quam adulandó placere véris malim offéndere. 195 Pn.
Meliórem mala quem cárpit lingua iúdicat. 109 Gr.
190. Mens íncorrupta míseria corrúmpitur. 200 Ps.
Minimúm malum fit cóntemnendo máximum. RA.
Miser ésse non pote vír bonus, dicí pote. 204 Ps.
Miserárum rerum pórtus est patiéntia. 118 Ps.
Míseriae atque mísericordiae ést quaedam vicínitas. 205 Go.
195. Miserúm qui nunquam fúerit esse iúdico. 207 Gr.
Móderatur sua dífficilius írae, quam aliena últio. 98 Go.
Monstrúm senilis áviditas pecúniae est. 209 Go.
Mórbus est ad óscitantes ípsum etiam os didúcere. 210 Go.
Móres iudicáns unius cógites de públicis. 86 Re.
200. Mori óptabilius, quám torqueri est saúcio. RA.
Mortális nemo est, quém non attingát dolor. 211 Bo.
Muliébre est furere in íra et bacchari virum. 213 Pn.
Múlta cui hominis, ílli amici cúncta sunt commúnia. 269 Qu.
Ne uná quidem lucrum hóra avarus néglegit. RA.
205. Necésse est multos tímeat, quem multí timent. 217 Ps.

Necésse est rumpat, quí funem intendít nimis. 232 Bo.
† Necéssitatum párcitas est rémedium. 218 Ps.
Negáta est magnis scéleribus sempér fides. 219 Ps.
Nemo ímperat, nisi quí servire pótuerit. 223 Re.
210. Némo prudens, quía peccatum est, né peccetur, víndicat. 222 Re.
Nemo únquam sapiens próditori crédidit. 258 Gr.
Néquitia est sibi ípsa poena, félix innocéntia est. 169 Go.
Nequítia exseritur ópere, non opere íncipit. 122 Ps.
Neutrúm capit, qui lépores venatúr duo. 186 Bo.
215. Níl refert animó quo facias, quód fecisse est ímprobum: Núlli unquam hominis cérnitur animus, cérnuntur facta ómnibus. 236 Pu.
Níl operis de arátro ad arma fúgiunt translataé manus. 255 Qu.
Nil ésse honestum póte, quod non est líberum. 296 Fa.
Nil plús luxuria nútrit iracúndiam. 251 Re.
220. Nil pósse est esse mórtuum, non vívere. 228 Ps.
Níl rationis ést, adfectus úbi quid inductum ést semel. 230 Go.
Níl refert quantum hábeas: illud múlto est plus quod nón habes. 316 Fa.
Nil sápiendo homini tránsitur vita óptime. 173 Bo. 355 Bo.
Níl ubi est a rége tutum, tútus nunquam est réx diu. 108 Gr.
225. Nocéns fit, hominis úbi succubuerít fides. 234 Bo.
† Nocére nescit, quí se velle pródidit. 226 Gr.
Noli hóminum quemquam nósse, nedum omnés velis. 384 Fa.
Nólle peccare úbi potueris, prétium est innocéntiae. 283 Gr.
Nón aberres á fortuna: sémper sua quemque óbsidet. 1 Gr.
230. Non áliis risum, qui éx se cepit, praébuit. 224 Gr.
Non cuí parum est, sed quí cupit plus, paúper est. 105 Ps.
† Non ést beatus, ésse qui se nón putat. 134 Gr. 239 Ps.
Non ést pusillum, quícquid minus est máximo. 242 Ps.
Non ést tuum, fortúna quod fecít tuum. 243 Fa.

235. Nón est ulla tám bona uxor, dé qua nil possís queri. 252 Gr.
Nón ex uno omnés sunt modulo cálceandi hominúm pedes. 247 Bo.
Non líber est, qui império servit córporis. RA.
Non póte divitias ánimus infirmús pati. 171 Fa.
Nón refert quam múltis placeas, quám bonis placeás. vide. 260 Fa.
240. Non scélere oportet víndicare unquám scelus. 250 Fa.
Nón solet spectáre causam, séd fortunam mísericors. 206 Go.
Non vítium est, cui non sít patrociniúm suum. 268 Fa.
Non vívit, qui nil cógitat nisi vívere. 202 Gr.
Nondum ést beatus, túrba quem non ríserit. 237 Pn.
245. Núlla maior quam íram amico cóndonare est glória. 150 Re.
† Nulli ímponas, quod ípse non possís pati. 253 Ps.
Nullum hómine in terris ánimal est morósius. 256 Gr.
Nullúm sine auctorámento est aliquó malum. 257 Go.
Núnc sunt auloedí, qui fieri cítharoedi non potúerunt. 44 Bo.
250. Nunquam áccepti, dati óbliviscarís cito. 49 Gr.
· Nunquám non aliquid súperest diligéntiae. 111 Bo.
Núnquam non timére mortem, quám mori est crudélius. 212 Ps.
Nunquám venit liquidum aút sincerum ex túrbido. 259 Go.
Odí puerulos praécoqui sapiéntia. 265 Bo.
255. 'Omne tranquillum úbi videtur, nón deest nociturúm tibi. 374 Re.
Omném laborem spés solatur praémii. 126 Go.
'Omnes differéntes vitam mórs incerta praévenit. 267 Fa.
'Omnes sunt secúri, ubi positum est iús supra omnem iniúriam. 183 Fa.
'Omnia consulénda, sed non ómnia sunt ab ómnibus. 79 Gr.
260. 'Omnibus plus ín suo pote gállus sterquilínio. 176 Bo.
'Omnis tanquam vítae extremus ést componendús dies. 272 Fa.
'Optimum civílis belli praésidium est oblívio. 70 Ps.

Paránt amicos laútae res, dubiaé probant. 22 Er.
† Parére scire pár imperio est glória. 278 Ps.
265. Patí necesse est múlta mortalés mala. 280 Ps.
Patí, non facere iniúriam scit vír bonus. 281 Fa.
Péccandi facit ípsa pudorem príncipis cleméntia. 282 Go.
Peccát voluntas, étsi nullo est crímine. 284 Fa.
Pedárii caput élingue est senténtia. 65 Ps.
270. Perdénda sunt multa, út semel ponás bene. 287 Ps.
Perít voluptas, dénegat virtús mori. 288 Fa.
Pestífera vis est ád nocendum quaé valet.[1] 289 Go.
Plúrimi famám verentur, paúci consciéntiam. 130 Gr.
Plus áccipit, qui dát, quam qui datum áccipit. 106 Go.
275. Plús prodest cum amíco occidi quám cum inimico vívere. 123 Gr.
Póssunt mala pusílla evadere: ítur contra grándibus. 120 Go.
Pote fíctam nemo férre personám diu. 221 Go.
Praéceptum, ut vivúnt, volunt, non út praeceptum est, vívere. 387 Go.
Praetér deos timére nil tutíssimum est. 370 Fa.
280. Príncipis, quodcúnque adierit, témperat cleméntia. 154 Go.
Priváta studia públicum evertúnt bonum. 299 Fa.
Probántium turba árgumentum est péssimi. 114 Sca.
Prope ést inique ut múltet. qui multát nimis. 301 Go.
Prope ést libens ut dámnet, qui damnát cito. 302 Go.
285. Pudét sordidius násci, vivere nón pudet. 350 Gr.
Pupíllus est avárus aetatís brevis. 303 Sca.
Purás deus, non ádspicit plenás manus. 304 Ps.
Quám domum cunque íntrat, praestat felicem cleméntia. 73 Go.
Quam mágnum est nolle, ubi dígnus sis, laudárier. 308 Pn. Re.
290. Quam míser est, cui necésse est esse iám malo! 311 Go.
Quam saépe veniam quí negavit áppetit! 309 Ps.
Quam scrípseris tibi ípse legem, páreas. RA.
Quam témpus revocat, ílla praecox ést fuga. 323 Ps.
† Quánti corpus ést sine anima, tánti est sine amicís homo. 363 Gr.

---

[1]) Vel: Pestifera vis est, quae ád nocendum praévalet.

295. Quem saépe transit cásus, aliquando ínvenit. 67 Ps.
Qui cíto laudavit, laúdatum accusát cito. 69 Bo.
Qui fácit invitus, nón qui iussus, ést miser. 249 Qu.
Qui hóstis est suórum, inimicus ést communis ómnium. 274 Qu.
Qui insánit ipse, fúrere credit céteros. 174 Ps.
300. Quí nummo Veneríque immoritur, nón vixit causá sua. 317 Go.
Qui pípere abundat, óleribus miscét piper. 290 Bo.
Quí potest, non vúlt ulcisci, iúre clementém voces. 71 Go.
Quí se fugere crédit, media sólet in fata incúrrere. 136 Fa.
Quícquam agas cave quód non debes aút quod debes néglegas. 339 Go.
305. Quicquíd datur spei ímprobae, nunquam ést satis. 261 Ps.
Quícquid plus aequo ést futurum, in mítius praepónderet. 314 Go.
Quicquíd sibi imperávit, animus óbtinet. 30 Ps.
Quid ést iusiurandum? álieni emplastrum aéris est. 182 Ps.
Quíd queas ab hóc sperare, quem ésse docuerís malum? 313 Go.
310. Quid quísque posset, nísi temptando nésciit. 315 Ps.
Quod néscias, damnáre summa est témeritas. 321 Ps.
Quod vís sileri, cuíquam noli dícere. 319 Fa.
† Quod vúlt, habet, qui vélle quod satis ést potest. 322 Ps.
Quot sérvi, totidem múltis sunt hostés domi. 293 Qu.
315. Rapiénda, non capiénda agendi occásio est. 264 Gr.
Ratióni te subícias, si omnia vís tibi. 270 Qu.
Rectí magister métus est infidélior. 189 Ps.
Refért bonorum exémplis puniri ímprobos. 324 Fa.
Refért quam bene, non réfert quam vivás diu. {248 Fa. / 325 Gr.}
320. Rége salvo una ést mens omnibus, ámisso cassa ést fides. 326 Go.
Regí tyrannus ré distat, non nómine. 371 Go.
Régibus est ex mánsuetudine cértior secúritas. 327 Pn.
Réligiosum odio ést nocentis pérdere innocéntiam. 332 Er.
Réprimit paucorum ómnium odium víndicta irritát frequens. 146 Pn.

325. Réx, cui se irascéndo exaequat, nón multum superéminet. 246 Go.
Ríxa amicorum ánimos solvit, cónfirmat sapiéntia. 16 Gr.
Rosám praeteritam néquiquam est requírere. 305 Bo.
Saépe dissimuláre satius, quám velle ulciscí fuit. 333 Ps.
Saépe fortuna ínnocentem, núnquam spes bona déserit. 334 Gr.
330. Saépe qui vicít post sanguinem, aúdax spectat sanguinem. 38 Re.
Saéva ex animadvérsione núlla regi est glória. 125 Pn.
Sáni animi ferúntur motus nóstro arbitrio, nón suo. 29 Re.
Sapiénti amicus mágnae est virtutís locus. 338 Go.
† Sápienti praestát tacere pró se, quam contrá loqui. 359 Gr.
335. Sapít nequiquam, quí sibi ipse nón sapit. 266 Bo.
Satís poenarum pótuisse est punírier. 172[b] Go.
Scelús tutum esse póte, securum nón pote. {262 Ps. 369 Gr.}
Scít bonus iudéx non tam quid, quám qua damnet cérnere. 62 Go.
Secúrus moritur, árti qui immoritúr suae. 340 Qu.
340. Sémper facit a mágnis improba ád maiora spés gradum. 151 Pn.
Sempér redundat ípsum in auctorém timor. 341 Ps.
Sevéritate adsídua perit auctóritas. {35 Bo. 343 Pn.}
Simulátor etiam vúltu amicum décipit. Qu.
Sí qua veniunt cásu ad effectum, árs vocari nón potest. 34 Ps.
345. Sibi amícum, amicus nísi cui ipse est, nemó putet. 241 Qu.
Sibi ímperare quémque imperium est maximum. 167 Gr.
Síbi placent boní manentque móres: levis est málitia. 54 Qu.
Sine árbitro cave crédas esse ullúm locum. 346 Fa.
Socia ést et consors mórtis vita inglória. 113 Ps.
350. Stúltum est aliis ímperare vélle, qui nescít sibi. 354 Ps.

Stúltum est formidáre numerum, quá transire unús potest. 352 Qu.
Stultum ést timere, quód vitari nón potest. 353 Er.
Stúltus est. bonís malisque qui ígnoscit promíscue. 271 Go.
Sua áffluit virtúte, qui alienás amat. {216 Gr. 383 Fa.}
355. Sua ípsius nequítia poena est máxima. 225 Pn.
Suám cito in natúram fictum récidit. 137 Pn.
Suavís laborum est praéteritorum mémoria. 104 Bo.
Subínde bos aliénus prospectát foras. 357 Bo.
Suspécta sunt ipsa órnamenta eméntibus. 358 Ps.
360. Tacére nunquam, saépe poenituít loqui. 336 Gr.
Tam omní quam nulli ignóscere est crudélitas. 362 Pn.
Tam súnt mali minístri adfectus quám duces. 12 Re.
Tam túrpe nil est. quám vitam incipiéns senex. 231 Ps.
Tám turpes sunt príncipi, quam médico multorúm neces. 155 Pn.
365. † Tarda étiam est ipsa cúpiditati céleritas. 89 Ps.
Telúm fuit gravíssimum patribús fides. 364 Gr.
Torquére corpus cóntra naturam ést suum. 366 Fa.
Tranquíllo quivis ést gubernatór mari. 179 Bo.
Túrpe tibi uni díctum rides, índignaris plúribus. 82 Re.
370. Ubi aúrum loquitur, níl potest orátio. 45 Bo.
Ubi césses facere, níl prodest bene díscere. 229 Pn.
Ubi máxime laetéris, metuas máxime. 373 Gr.
'Ubi peccat solitúm remedium. témptatur contrárium. 375 Pn.
Ubi sís maritimus, térra cave mutés mare. 198 Bo.
375. Ubicúnque quisque est. pátria est, ubicunque ést bene. 281 Go.
Ultro ád bonorum coénas accedúnt boni. 57 Bo.
'Unde venerís. reverti, sí sapias, nil ést grave. 331 Gr.
Ut amére, ames! amóris poculum óptimum est. {306 Qu. 348 Go.}
'Ut Charybdis ímplacata est hóminis iracúndia. RA.
380. 'Ut fidas, cum amíco multos símul edas modiós salis. 337 Bo.
Utrúmque vitium est núlli et credere ómnibus. 391 Fa.
† Velóx consilium séquitur poeniténtia. 377 Ps.

Vénia, non cleméntia poenae est débitae remíssio. 379 Go.

Verbósa lingua est árgumentum málitiae. 187 Ps.

385. Víle nil decét sonare máximorum in laúdibus. 380 Fa.

Virtútem acerrimam éxtundit necéssitas. { 3 Go. 382 Pn.

Virtútis nunquam móllis est probátio. 263 Re.

Vítae pessima ést iactura, quaé fit neglegéntia. 368 Gr.

Vivít nemo hominum tám pauper quam nátus est. 220 Gr.

390. Volúptas modica láxat animum et témperat. 208 Re.

ADNOTATIONES
AD PUBLILII SYRI SENTENTIAS.

1. Bothius quidem veritus est, ut omne quicquid latinum sit; sed cf. Ter. Phorm. II. 1, 16 quicquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro. Inter quicquid et quidquid maxime fluctuant libri manuscripti et editores: Bentleius semper quicquid, Bothius semper quidquid, Orellius pluribus certe locis quicquid edidit; maxime varii recentiores cf. Lachmann. ad Lucret. V. 1252. p. 340. Venire autem cum res eae dicantur, quae subito atque ex improviso ideoque casu et fortuito contingunt (cf. Cic. Inv. I. 45, 84. sed nec emisti nec hereditate venit) evenire quae ita fiunt, ut exspectentur (cf. Ter. Andr. I. 1, 138. sin eveniat quod volo): hoc ipsum verbum sic in hanc sententiam cadit, ut loco movendum non videatur. Interpretatur Erasmus: „Id quod nostro studio paratur, vere nostrum est, quod votis contingit, alienum est. nempe quod fortuna possit eripere". Qua de sententia vide Sen. de const. sap. V. 7. ep. XVI. 3 (98) 1.: Nunquam credideris felicem quemquam ex felicitate suspensum. fragilibus innititur, qui adventicio laetus est.

2. Spectare est intenta oculorum acie conspicere, exspectare futurum aliquid metuere: unde hoc magis idoneum esse intellegitur cf. Publ. S 27 (610). Confunduntur verba apud Publ. Q 39 (539). Quod scripsit Bothius ab altero, interest inter alium et alterum: alius enim homo est abs te diversus et remotus, tibi contrarius, alter tibi proximus, necessitudinis vel societatis quodam vinculo tecum coniunctus cf. Ter. Andr. II. 5, 16. IV. 1, 4. Est igitur alter qui nostro sermone dicitur der Nächste, alius ein Dritter. Quamobrem versus sententia non ea est, quam posuit Erasmus: „Qualis fueris in alios, tales alii futuri sunt in te", sed haec: „Necesse est, si quid alteri iniuriae intuleris, te timere, ne idem tibi a quovis alio inferatur". Qua de sententia vide Cic. Tusc. II. 17, 39. Sen. de ir. II. 30, 2. de clem. I. 5, 1. ep. XV. 2 (94) 43 (Lactant. Inst. I. 16, 10). Phaedr. fab. I. 26, 12. Prosper. Epigr. 38. Ael. Lampr. de Alex. Sev. c. 31: clamabatque saepius quod a quibusdam sive Iudaeis sive Christianis audierat et tenebat: idque per praeconem cum aliquem emendaret dici iubebat: Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris. Caec. Balb. p. 20. Mon. I. 29. Walt. Burl. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 51. Vinc. Bell. sp. d. 4, 132.

3. Scripsi ex auctoritate codicis B aperta ingredi: quam enim scripturam descripsit Casp. Orellius: $\frac{\text{tuto}}{\text{apta}}$ ingredi, ea non dubium est quin aperta explicari debeat. Vid. Spalding. et Frotscher. ad Quint. X. 3, 21. Drakenb. ad. Liv. 31, 22, 8. et 34, 46, 4. Sunt autem aperta quae fraude vel insidiis carent cf. Verg. Aen. XI. 904. Hinc versus sententia haec est: „Qui animum ad cavendum adsuefecit, nunquam is se committit in res nisi eas, quae fraude vel insidiis carent. Ceterorum librorum scriptura tuta cum eandem fere sententiam praebeat, tamen eam propterea posthabendam duco, quod Basiliensis sit exquisitior et quae

interpretatione qualis tuta esse possit, egere videatur. Nam tutum ad externa et conspicua pericula, apertum ad occulta atque insidiosa rerum discrimina refertur: illa quivis paullo cautior, haec nemo potest nisi prudentissimus quisque evitare. Erasmus sua sic interpretatur: „Qui intelligit periculum, is novit cavere periculum: temeritas autem periculose rem aggreditur, quia nescit timere". Nec vero improbandum esset, quod coniecit Andreas Spengelius: tutus gradi, nisi Forcellinius se vereri moneret, ut infinitivus gradi in usu esset. Columella quidem VI. 37 extr. mulus et recte viam graditur et terram commode perscindit: unde etiam aut tutam aut tuta gradi scribi potuit, sed non solet via, quod nomen intellegendum est, per ellipsin omitti nisi ad pronomina qua, hac, ea et ad recta cf. Phaedr. fab. III. 10, 21. 19, 6. Cic. Cat. I. 9, 23. Quint. V. 10, 123. Hor. Serm. I. 5, 71. et ad compendiaria cf. Sen. lud. de mort. Claud. 13, 2. ep. III. 6 (27) 6. XX. 2 (119) 1. multo saepius via addi solet. Ceterum nescio an Publitii versum respiciat Martinus Dumiensis de form. hon. vit. II. 10. ed. Fr. Haasii (p. 5, 20. ed. Weidner.): „scit enim (prudens) qui qua via adgredi debeat et cito singula ac distincte videt consilia imperitorum; ex apertis obscura aestimat, ex parvulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota. Vide praeterea de sententia Sen. de const. sap. 8. 2. ep. IX. 3 (74) 6. XVIII. 4 (107) 4.

4. Coniecturam suam sic explicat Tan. Faber: Quae per se infirma erant, eadem firma fiunt, si partium consensus accedat scilicet et fides; vulgarem scripturam sic Erasmus: „Concordia fortia facit, etiam quae imbecilla, contra discordia maximas opes debilitat". Cf. Sall. Iug. 10, 6. Sen. ep. XV. 2 (94) 46. Tac. Agr. 12.

5. Pithoeum secutus est Gruterus nescio an proceleusmatici versum incipientis licentia permotus. Nec vero solum eam in v. animus et beneficium, quae ea de causa Nauckius in libro, quem inscripsit mélanges Gréco-Romains tirés du bulletin de l'Académie impériale des sciences de St.-Petersbourg. tom. III. p. 204. 205. anmus et benficium aut scribi aut pronuntiari iubet (cf. Publ. B 3 (46). 5 (48). 8 (51). 10 (53). 12 (55). 14 (57). 15 (58). 17 (60). 35 (78). 37 (80). D 21 (143). G 3 (196). 4 (197). M 61 (369) sed etiam in aliis quoque verborum coniunctionibus invenimus cf. H 13 (215) homo totiens. H. 26 (228) hominem etiam. M 12 (320) male geritur. M 28 (336) male facere. Ad quam licentiam quasi oblitterandam cum quarumdam litterarum in certis verbis, ut in animus, beneficium, male, etiam, totiens pronuntiatio, tum illud videtur valuisse, quod Bentleius in dissert. de metr. Terent. p. 17 (ed. Terent. Amstelod. 1727) docuit actorem in primo fere versuum pede, cum in fine prioris versus animam recepisset, plenum rapidumque spiritum potuisse effundere: qua pronuntiandi ratione plurium syllabarum brevium concursum temperatum esse credendum est. Idque etiam patet ex Phaedri fabularum scriptoris usu, quem in arte metrica Publilio proximum fuisse puto: is enim simili modo proceleusmatico in versus senarii initio posito usus est cf. III. 7, 18. quia videor. IV. 9, 1 homo simulac venit (Bentl.). I. 30, 11. ita caput ad nostrum (Bentl.). III. 2, 4. alii onerant. IV. 23, 4. super etiam iactas. — „Nobis in manu est non incipere amare; ubi coeperis, iam illi servus es nec potes excutere, cum velis" Erasmus. Cf. Sen. de ir. I. 7, 4. Sen. Hippol. 133. Pervulgatum Aug. Burgeri poëtae nostratis carmen (tom. I. p. 44).

6. Nil Woelfflinus Proleg. p. 56. restitui iubet vel iubente senariorum lege vel propter metri elegantiam. Nec negat Ribbeckius sic pronuntiatum esse. Spengelius quidem in praef. p. 8.: „Nunquam non monosyllabum est nihil neque ullo modo fieri poterat quod apud Publ. L 16

(307) tentabatur: L. l. ignis nihil ut u. p." — „Mulier nimis est vehemens in utramque partem, animal affectibus obnoxium. Quamquam huiusmodi viros etiam non paucos reperias nimis vehementes" Erasmus.

7. Haec vulgata versus forma: „Ad tristem partem strenua est suspicio" quam Erasmus dupliciter interpretatus est, aut ita, ut ad tristem partem idem valere putaret atque in tristi parte i. e. in homine infelici: „Qui parum sunt felices, magis laborant suspicione", aut ita, ut eadem verba, ut Zwingerus, in deteriorem partem interpretaretur: „Suspicio plerumque vergit in partem deteriorem". Utrumque falso, ut opinor. Nam ut taceam in tristi parte esse non posse in tristi homine, strenuus cum sit, ut Ernestius ad Tac. Hist. I. 52. explicat, promptus ad quidvis audendum, cum praepositione in, qua id quo spectat vel tendat significetur, construendum erat, ita ut poëta non ad tristem, sed in tristem partem dicere deberet cf. Ter. Eun. IV. 2, 4. V. 2, 37. Sen. Herc. Fur. 315. Ov. Fast. IV. 312. Quint. declam. XI. 3. Sen. ad Marc. de consol. III. 3. V. 4. Rarus in his usus est praepositionis ad, qua quidem non tam quo quid vergat vel spectet (i. e. Richtung) quam quid expetatur vel teneatur (i. e. Ziel) significatur cf. Ter. Ad. IV. 3. 15. Liv. XXI. 54. Sen. de benef. III. 38, 2. Prop. II. 10. 42. Vide Held. ad Caes. BC. I. 29. Benecke. ad Iustin. I. 1, 5. „Mihi quoque, inquit Ribbeckius, suspectus propter sermonis infantiam: scripsitne auctor versiculi patrem? et numeris et sententiae satisfacit tristi parenti: cf. 8." Versus autem eo corruptus videtur, quod verba ex grammatica construendi ratione legentium causa ordinabantur cf. praef. p. 14. Quo factum est, ut et praepositio in et est oblitterarentur et pro attritam vel adtritam substitueretur ad tristem. Est attrita pars imminuta, fracta, debilitata (cf. Flor. I. 4 (III. 5) Quint. X. 1. 27. Auct. dial. de or. 8) docetque sententia animum suspicacem semper vereri, ne ea sui pars ab aliis petatur ac tangatur, quam inprimis debilem esse non ignoret.

8. Omisimus in altero membro condicionali coniunctionem si vel sin cf. Meyer. p. 9. Aliter enim idem valet atque alioqui i. e. andernfalls, sonst cf. Cic. Off. I. 39. II. 12. Lael. 20, 74. Sall. Cat. 29, 3. Vide Hand. Tursell. I. p. 273. 274. Coniunctionem autem in altero membro omitti posse probat Verg. Aen. VI. 147. 148.: si te fata vocant; aliter non viribus ullis Vincere nec duro poteris convellere ferro. — „Bonum parentem ama, difficilem tolera, vel ob hoc, quia pater est, aequus dixit pro commodo et humano" Erasmus. De sententia cf. Plaut. Stich. I. 2, 24. 39. Ter. Heaut. I. 2, 27. Sen. de benef. III. 38, 2.

9. Versum Erasmus sic interpretatur: „Serva quod nolis perire. Oculus autem hoc est praesentia domini optimus rei custos". Neque aliter Woelfflinus, qui adspicere cum custodire oculis interpretetur, recte interpretatus videtur. Monet igitur poëta, si quid verearis ne pereat, ab eo tuendo ne unquam oculos deicias. Gruterus quidem sententiam ex Senecae libris sumtam, sed locum quo legeretur excidisse dicit, adumbratam tamen illam de benef. III. 2. 3. Neque ego reperi: ad aliquam similitudinem accedit Sen. ep. XVI. 3 (98) 6: In aequo est autem [dolor] amissae rei et timor amittendae. nec ideo praecipio tibi neglegentiam: tu vero metuenda declina, quicquid consilio prospici potest prospice. Cf. praeterea Sen. de tranq. anim. VIII. 2. 3.

10. In tanta scripturae varietate hoc potissimum tenendum videtur in optimis libris et nisi et facis exhiberi. Nam quod in B si in rasura est, secunda manu nisi supra scriptum cernis. Quam particulam si receperis, mirum quantum difficultatis interpretanti afferet. Dubitari enim potest, utrum hoc moneat sententia, nisi amici vitia patiaris, ex iis te

tantum damni, quantum ex tuis ipsum percepturum esse, an illud, nisi amici vitia correxeris, fore ut iis ipse adsuescas cf. Quint. X. 2, 26. Ex eo autem quod BM prior necesse est facias tua, posterior facias necesse est tua praebent, eam non coniunctivi facias, quem plerique editores reposuerunt, sed indicativi, quem libri tenent, interpretationen esse puto. Quod cum ita sit, versus in iis numerandus, qui a librariis grammaticam construendorum verborum rationem secutis peturbati sint (vid. praef. p. 14. coll. p. 7) atque ita scribendus videtur: Amíci vitia túa nisi auferás facis. Nisi auferas i. e. nisi tollas vel removeas cf. Publ. Q 14 (514). De sententia vide Publ. P 25 (474) coll. Sent. falso inter Publ. recept. 15 (66 Wo.). Cic. Lael. 24, 89. Erasmus quidem vulg. si tuitus versum ita interpretatur: „Tibi imputabitur, quicquid peccat amicus, cum non admoneas".

11. „Durum est servire ei qui liber sit natus" Erasmus. At est aliena servitus non ab alio, sed alii imposita. Erasmi numeros ut sanaret, Fabricius scripsit: Acerba est omnis homini ingenuo servitus. Versum ut minus sibi probatum asterisco notavit Bothius. Talis versus sententia: Acerbam quasi servitutem, si in aes alienum incidit, pati se sentit homo ingenuus. Cf. Menandri monost. 514: τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.

12. Pro laedi olim scribi caedi voluit Woelfflinus cf. Phil. XXII. 462. Erasmus versum sic scripsit: „A. l. qui cum ebrio litigat" malis numeris ita interpretatus: „Mens enim ebrii non adest, cum qua loquendum est. Itaque perinde est ac si non adesset ipse". Cf. Publ. H. 2 (204).

13. „Multa enim constituit in animo, quae non praestat postea. Egone illam, quae me, quae illum?" Erasmus. Cf. Publ. I 18 (247).

14. Erasmus sic interpretatur: „Nam sua sponte et volens pauper est". Vehementissimam generis humani pestem dicit avaritiam Sen. ad Helv. matr. de consol. XIII. 2. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 57.

15. Nihil hic versus docet nisi quod etiam aliis locis docet Publilius, in amore plus cupiditatis, sapientiae minus esse cf. A 22. C 32 (117). Erasmus magis sententiam quam verba sic interpretatur: „Amans sine iudicio cupit nec expendit salubre sit an periculosum id quod cupit. Hoc dicit poëta amantem ita certa rei Venereae cupiditate abreptum esse, ut omnem sapientiam abiecisse videatur. Voluisse versum exprimere videtur Fulgentius Mythol. II. 1 quem locum affert Meyerus p. 38. 39.: Plus enim (vita activa) quod habeat cupit quam quod sapiat quaerit. De sententia compara Publ. A 22. C 32 (117). Prop. II. 11, 18. Scilicet insano nemo in amore videt.

16. Versum recte explicuit Erasmus: „Qui amant ipsi somnia fingunt et inani spe sibi blandiuntur". Quod suspicatur significat quod bonum et iucundum sibi eventurum sperat cf. Plaut. Menaech. V. 9, 22. Cic. Fam. I. 6. ad Q. fratr. II. 9. Ov. ep. ex Pont. II. 10, 20. III. 1, 155. Somniare autem, ut ait Erasmus Adag. p. 270. sperandi genus est, illud credo, quo quis tales cogitationes toto pectore amplectatur, quales per somnum venientes vix in rerum naturam cadant aut effici possint. Hinc in proverbium abiit dictio illa vigilantem somniare vel dormire cf. Plaut. Capt. IV. 2, 68. hic vigilans somniat! Amphitr. II. 2, 65. Pseud. I. 3, 152. Ter. Andr. V. 6, 7. 8. De re ipsa scitum illud Verg. Ecl. VIII. 108. Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt? Adludit Theocr. Id. XX. 5.

17. Hodie neminem fore puto, qui Bothio adstipuletur indicanti et hunc et ceteros omnes versus ex Graecorum regula factos, ut Senecae, utpote imparibus tantum locis habentes spondeos et pedes τετρασήμους vix esse ut ad Syrum referri possint; eum enim huius rei aeque liberum

esse atque Plautum Terentiumque et veteres tragicos. Recte Erasmus: „Tristia facile sparguntur in vulgus. quae recta sunt et honesta. vix creduntur“. Nec aliud voluit Scaliger, nisi fallor, cum Latinum sic in Graecum verteret: *δεινὴ τὸ δόξαι πρὸς τὸ δυστυχὲς ῥοπή.* V a l e r e propria vi praeditum usurpatur, ut sit validum vel potentem esse ad aliquid efficiendum: qua vi si praeditum est. cum solo substantivo verbali coniungitur, quod pro gerundio est cf. Cic. Cat. III. 12, 29. ut si qua est invidia in conservanda republica suscepta, laedat invidos, mihi valeat ad gloriam i. e. ad gloriandum. Plaut. Mil. III. 1, 62. ad venustatem i. e. ad decorandum. Quint. V. 10, 35. ad veniam. 41. ad commendationem quoque et invidiam. 11, 10. ad exhortationem. VI. 4, 3. ad victoriam. VII. 2, 28. ad fidem. IX. 1, 31. ad motum animorum coll. IX. 4, 9. X. 1. 1. Schuetz. Lex. Cic. s. valere. Itaque haec versus sententia est quemlibet rumorem i. e. quamvis invalidum satis validum esse ad calamitatem afferendam. Nos ita Germanice: Ein noch so schwach Gerücht zum Unheil hat es Kraft. De sententia cf. Sen. ep. II. 1 (13) 8. nescio quomodo magis vana perturbant. Caes. BG. IV. 5. Liv. 36, 12 extr.

18. Loco priore p o t e, posteriore p o t e s t scripserunt cum Spengelio apud Publ. Q 16 (516) et Q 27 (527) Gruterus. Orellius, Woelfflinus, Ribbeckius. Nos constanter p o t e — p o t e scripsimus cf. Catull. 76. 16. Particula s e d perperam additur: nam si singula verba sic opponuntur, ut verbum alterum cum negatione praemissum sequatur alterum sine negatione. ut Publ. M 39 (347) non pote, posse aut Publ. M 74. non est — est aut P 4 (453) non potest — potest: sententiae membra sic opposita nulla particula adversativa coniunguntur. Atque haec ratio in hunc cadit versum, in quo n o n p o t e — p o t e opponuntur. Repugnant iis, quae disputavi, modo tres versus N 15 (391) non corrigit, s e d laedit. N 22 (398) non vincitur. s e d vincit. S 48 (682) non est — virtus, s e d crudelitas: quo versu ipso ex coni. scripsi: e s t crudelitas. At eorum versuum eo diversa ratio est, quod non verbum. quod dicitur, auxiliare aut substantivum aut aliud eius generis repetitur, sed ipsa contrariae notionis verba. Sane non ita frequens est ea orationis compositio, qua praecedat verbum negatum, sequatur verbum affirmatum, sed frequentior est altera compositio, ut verbum cum affirmatum praemissum sit, tum negatum sequatur cf. Publ. A 5. sumitur, non ponitur. 15. scit — non videt. 36. animo — non oculo. 57. noveris, non oderis. B 13 (56) blanditia, non imperio. C 1 (85) ferimus, non reprendimus. 24 (109) crudelis — non fortis. D 20 (142) habet — non habet. E 11 (157) eripere — non dare. F 11 (176) feras, non culpes. L 9 (300) libido. non iudicium. M 50 (358) muneribus — non lacrimis. 70. monere, non punire. N 58 (434) ferre, non flere. P 29 (478) moratur — non praeterit. 32 (481) animus, non corpus. 39 (488) insidias, non fletum. 45 (494) flectit, non frangit. Q 8 (508) quod vult — non quod decet. 29 (529) pote, non vult. R 1 (569) ratione, non vi. 3 (571) fortunam, non testem. 6 (574) rem agit, non loquitur. 13 (581) rapere est, non petere. 16 (675) redimit, non perdit. S 7 (590) sensus, non aetas. Sin vero non singula verba. sed duae enuntiationes plenae una sententia comprehensae opponuntur. recte inter se particula s e d nectuntur cf. A 46. avarus non in vita est, sed moritur diu. Ceterum sententiam recte mihi Erasmus videtur sic interpretatus: „Amor non potest subito vique expelli, sed paulatim potest elabi.“ Neque enim quisquam amorem deponere cogi potest, sed fit plerumque nescio quomodo ut sponte dicam an casu quispiam amare desinat cf. Sen. Herc. Oct. 449—452. Buechelerus coniecit: s e d a l i p o t e s t, Ribbeckius sententia. inquit, e b l a n d i r i notione passiva flagitat: num e l a m b i? cf. 56.

19. Ribbeckio hic versus ad Ter. Eun. I. 1, 29—25. exemplum videtur confictus esse. „Amans iratus lacrimis placatur“ Erasmus. De discrimine irae et iracundiae cum constet (cf. Sen. de ir. I. 4. 1. „quo distet ab iracundia adparet: quo ebrius ab ebrioso et timens a timido“): non de una alterave irae exardescentis occasione. sed de moribus amantium iracundis cogitandum est. Ceterum aliquas esse lacrimarum ineptias docet idem Sen. ep. XVI. 4 (99) 2.

20. Erasmus versum sic interpretatur: „Fucatum et fraudulentum est animal mulier eoque minime noxia cum palam est mala. Iudicat autem hic nullam esse bonam.“ Diserti cum veteres scriptores omnes, tum Publilius ipse muliebris naturae vituperatores cf. Plaut. Truc. II. 5. 15—17. Hieronym. adv. Iovin. de matrimon. apud Sen. Fragm. ed Fr. Haasii vol. III. p. 428 sqq. Publ. M 9 (317). 60 (368). A 30. D 8 (130). F 22 (187). H 21 (223). M 16 (324). 27 (335). 32 (340). 35 (343).

21. Plena haec enuntiatio est: A. f. c., ubi non sis item avarus i. e. avarum facile in avaritia convincas. ubi non sis eodem ipse vitio praeditus. Item esse i. e. eodem animo vel voluntate esse Plautinum est, ut Rud. IV. 4. 55: scelerum caput. ut tute es, item omnes censes esse, et Aul. II. 1, 8. 9: Verum hoc, frater, unum tantum cogitato. tibi proximam me mihique item esse te i. e. item proximam. Capere autem h. l. est quod nos dicimus fassen, Graeci dicunt αἱρεῖν cf. Cic. Mur. IX. 22. tu caves ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur. Erasmus quidem scripsit: ubi non sis iidem, qui librarii error videtur putandus esse. Versum enim sic interpretatus est: Avarum non potest ferre avarus. vel facile falles avarum, nisi sis idem, quod ille est i. e. avarus et ipse. Hinc Antonius probante Orellio: „idem h. l. neutrum est“: quod fieri ratio grammatica vetat. Neque enim idem pronomen nec neutrum, sed masculinum genus debuit poni: ubi non sis ipse. Itaque recte Loersius apud Ovid. Trist. IV. 10, 67. edidit: cum tamen hic essem. quod plurium et meliorum librorum auctoritate commendatur, repudiavit. quod Petrus Burmannus ex libris deterioris notae receperat: cum tamen hoc essem. nisi forte hoc potius ablativus i. e. molli et levi et mobili corde, quam nominativus neutrius generis putandus erat. Idem autem si quis esse praedicetur neutro genere, aut eum eandem rem atque nescio quid aliud aut eiusdem dignitatis vel momenti esse significatur. Illud expressum videmus in illa de Tiberii responso narratiuncula apud Sen. de benef. V. 25. 2. non memini. inquit. quid fuerim. vel apud Prop. II. 5. 18. si cuivis nuptae quidlibet esse licet. vel apud Quint. VII. 3, 6 si peccavit. non potest aliud esse. quam adulter; hoc apud Liv. 30. 30. quod ego fui ad Trasumenum. ad Cannas, id tu hodie es; vel apud Ov. Her. XII. 25. hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est: vel apud Phaedr. V. 10. 9. quod fuimus lauda, si iam damnas, quod sumus. Cf. Prop. II. 7, 33. 16, 26. 19, 48. Mart. epigr. V. 13, 9. 10. VI. 40, 3. VII. 44. 10. X. 27, 12. XII. 4. 1. 3. Quae si vera sunt, quae disputavi, verba „ubi non sis idem“ aut interpretanda sunt: „nisi sis eadem res (ein eben solches Ding) aut: nisi sis eiusdem pretii res (ein gleich werthloses Ding). Utrumque cum absurdum sit. recentiores editores emendationem Bothii recipere non dubitaverunt. De confusione litterarum t et d. cf. Publ. F 23 (187).

22. Erasmi haec est huius versus interpretatio: „Non est eiusdem amare et sanae mentis esse.“ Cf. Publ. A 15. C 32 (117). Laudant interpretes Ter. Eun. I. 1, 14—18. Seneca quidem ep. I. 9, 11. non dubie, inquit. habet aliquid simile adfectus amantium: possis dicere illam esse insanam amicitiam. Hieron. adv. Iovin. c. 30. p. 191. Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 433, 81. Amor formae rationis oblivio est et in-

saniae proximus. Quod res difficillima vix deo concessa dicitur, id videtur proverbii speciem prae se ferre. Cf. Cic. Or. 5, 18.

23. „Etenim cum moritur, tum demum permittit alios suis opibus frui." Erasmus.

24. Versus scripturae varietate et sententiae obscenitate lubricus, quem alii aliter reponere conati sunt. Quem ego dedi, eum sic interpretor: „Ut astutia quidem cinaedus vitium celare studet: ita libidine aestuante se ipse prodit." Astus quidem, quam Graeci dicunt πανουργίαν, nos dicimus Verschmitztheit, feliciter Woelfflinus ex variae scripturae farragine enucleavisse mihi videtur; nam etsi eius nominis nominativum raro apud scriptores legi observant, legi tamen non negant, ut apud Sil. It. XVI. 32.: non ars aut astus belli vel dextera deerat. Cf. Paul. Diac. Excerpt. v. astu. De cinaedis vix est quod disputem, cum id genus virorum et habitus ornatusque mollitie et muliebris stupri professione et iocorum obscenitate et cantionis saltationisque lascivia infame iis rebus quotidianum quaestum fecisse multi, qui de corruptis ea aetate Romanorum moribus tradiderunt, scriptores et prosa et versibus explicuerint. Cf. Plaut. Aul. III. 2. 8. Menaech. III. 2, 48. Stich. V. 5, 19. 7, 4. Petron. Sat. 21. 24. Mart. ep. III. 73. VI. 16. VII. 58. IX. 27, 3. 63. 90, 9. X. 40. XII. 16. Plin. ep. IX. 17. Iuven. II. 10. Gell. VI. 12. Apul. Met. VIII. 26. Aestu denique nimia ardentis adfectus vel amoris vis significatur, quam praesertim poëtae variis dictionibus ab igne repetitis depingere solent. Cf. Ovid. Remed. Am. 720. Prop. II. 24, 43. 44. Sen. Hippol. 289. 588. Troad. 524. Hinc desiderium aestuantis accendere dixit Petron. Sat. 126. Alia eiusdem generis vocabula sunt ignis apud. Verg. Aen. IV. 2. Sen. Hippol. 190. 292. vel ignes apud Sen. Hipp. 413. Herc. Oct. 378. vapor amorque apud Sen. Hipp. 638. calores ap. Sen. Hipp. 291. Octav. 561. ardor ap. Sen. Agam. 177. Herc. Oct. 370. fax ap. Sen. Herc. Oct. 370. Octav. 559. Agam. 119. et apud Publ. A. 39. flamma ap. Verg. Aen. IV. 23. 66. vel flammae ap. Sen. Hipp. 290. Huc accedunt verba calere ap. Sen. Herc. Oct. 377. urere ap. Verg. Aen. IV. 68. ardere ap. Verg. Ecl. II. 1. inflammare ap. Verg. Aen. IV. 54. incendere ap. Sen. Agam. 189. Restat ut de nominibus astu set aestus oppositis pauca addam. Nemo enim in his oppositis annominationem, quae vocatur, inesse non videt. Quamquam Woelfflinus Proleg. p. 58. 59. poëtam homoeoteleutis abstinuisse recte videtur observavisse, tamen annominatione certe aut pari verba vel incipientium vel terminantium litterarum syllabarumque sonitu aut repetita eiusdem verbi forma eadem vel declinata frequentius usus est. Cuius quidem annominationis nonnulla exempla attulisse satis est: Publ. B 27 (70) excidunt-occidunt. C 34 (110) cuivis—cuiquam. D 7 (129) decrescit-crescat. D 9 (131) discordia—concordia. G 1 (194) praeiudicium—iudicium. H 18 (220) commodatus—donatus. H 24 (226) honestum—inhonestum. I 65. inopia—copia. L 1 (291) indignum dignitas. L 8 (299) nocens—innocens. M 67 (375) scias—nescias. N 4 (380) ruina—rima. N 15 (391) corrigit—regit. P 52 (670) mensa—mens. P 46 (495) levatur—laxatur. Q 36 (536) probis—improbis. R 4 (572) rarum-carum. R 9 (577) nolim—velim. — Versum alii aliter et scripserunt et interpretati sunt. Ac primum quidem Erasmus haec scripsit: „Astute dum celatur, se aetas indicat i. e. senectus celari non potest. Nisi forte sic legendum est: Astu crimen celatur, aetas indicat. Tempus enim omnia aperit". Nec minus de sententia dubitat Gruterus, cum versum sic scriptum: „Aetas cinaedum celat, aetas indicat" modo interpretetur id hic innui quosdam cinaedos esse. quosdam putari i. e. adolescentes putari et interim grandiores saepe esse, nunc neminem diu posse simulare virtutem, si sit cinaedus, nunc

aliquem tam esse puerilis aetatis, ut non putetur esse cinaedus, alium grandiorem, quam esse debeat. Eandem scripturam secuti sunt Bothius et Ribbeckius et Spengelius atque olim Woelfflinus Phil. XXII. p. 461. sic explicans: vitium ut iuventutis flore celetur, ita in senectute eo foedius aperiri. Postea vero Woelfflinus versum sic edidit: „Astus c. c., aetas i.“ cuius nescio an haec interpretatio sit: astutia cinaedum celari, tempore patefieri. Ceterum Bothius versum ut minus probatum asterisco notavit.

25. „Sapiens non cruciatur damnis rerum, sed is qui magni facit pecuniam“ Erasmus. Sententia nulli dubitationi obnoxia multoque vilior illa, quam legimus apud Sallustium Cat. 11, 3.: avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Quid quod ne sapiens quidem ipse damni accepti dolore non movetur! Cf. Sen. de vit. beat. XVII. 1. ep. XIX. 6 (115) 16. „Fateor in Pal. et Frising. membranis exstitisse nonnunquam versus non magnae rei, qualis est et iste. Sed omnes duxi repraesentandos, tanquam si quaestor potius essem quam censor aut aedilis fastidiosus. Alioquin exturbassem et hunc: A. d. p. q. sapiens d. aliosque plures monetae minus probatae: nisi nesciremus quid in mimis praecesserit, a quo vires sumpsisse poterant“. Gruterus ad Publ. 172 (D 21 = 143 Wo.). Hinc plura remedia proposuit, quibus sententiae levitati succurreret, fortasse legendum esse i g n o m i n i a s. d. (omissis, ut opinor, particulis p o t i u s q u a m) vel s a n n a dolet, imo f a m a dolet, imo i g n o m i n i a cf. not. postum. ad Publ. 57. Proposuit Casp. Orellius: A. d. p. q. f a m a dolet, Buechelerus: A. d., ineptiis sapiens dolet, cum p o t i u s Publilium non sapere censeat. Quod p o t i u s hoc uno loco apud Publilium legitur, non tantum valere existimo, ut a Publilio abiudicari debeat. Illud vero, quod p o t i u s suo loco stare negatur, si mecum s a p i a t pro s a p i e n s scripseris, tollitur. Cf. Hand. Turs. tom. IV. p. 519, 17. Versus enim haec sententia est: „Damno accepto tantum abest, ut avarus malis edoctus ad sanam mentem redeat vel resipiscat, ut dolore torqueatur.“ Coniunctivus s a p i a t explicatur ex particula u t, quam post comparativum interdum Zumptius (Gram. lat. §. 560. not.), Kuehnerus (Gram. lat. §. 157, 8. not. 15) saepe omitti docent. Cic. Tusc. II. 22, 52. Zeno perpersus est omnia potius, quam conscios delendae tyrannidis indicaret. Cic. ad Att. VII. 7, 7. depugna potius quam servias. Caes. BC. I, 19. trepidantius ageret, quam consuesset. Nep. Paus. III. 2. luxuriosius, quam qui aderant perpeti possent. De sententia vide praeterea Sen. de tranq. anim. VIII. 2. XIII. 3. ep. VIII. 2 (72) 30.

26. Particulam ut post v. optandi et rogandi modo inferri, (Ter. Ad. V. 4, 20) saepius omitti (Ovid. Am. I. 4, 67. 12, 29. 30. quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus rodat etqs. III. 14, 4. A. A. I. 424. II. 261. 302. 745. ep. ex Pont. III. 1, 151) notum est. V i v a s Bentleii et post o p t e s molestum est et melius pro coniunctivo imperativus ponatur cf. Ov. Her. XI. 59. 60. 125. XIII. 14. Am. II. 9, 25. Tib. I. 6, 64. vive diu. Erasmus sic scripsit: ni ut vivat diu. Sed etsi forma monosyllaba n i a Publilio bisyllabae n i s i praefertur (cf. Woelfflin. Proleg. p. 56): tamen illam usurpatam esse negem, cum singula verba dignoscere difficile esset. Interpretandi causa haec idem Erasmus subicit: „Propterea, quod miserrime vivat: summum igitur malum optat qui optat diutinam vitam.“ Ut igitur mendico vitam longiorem ducere molestum est: ita avaro longior vita adeo iucunditatem afferre non potest, ut etiam gravissima esse debeat. Cf. Plaut. Trin. II. 2, 58. 59. Mil. III. 1, 126. Sen. Med. 19—25. Versum Laberio tribui a Casaubono ad Pers. Sat. IV. 27. adnotavit Bothius.

27. „Quam diu doles, ne quid tibi ipsi fidas. Nihil enim sani suadet dolor. Exspecta donec residat aegritudo, tum statue, quid velis loqui

aut facere" Erasmus. De sententia vide quod Sall. Cat. 51, 2. Caesarem dicentem facit animum, ubi adfectus officiant, haud facile verum providere.

28. Praetuli numerum singularem Alienum—nostrum cum propter librorum. quacum sane Salviani et codicis M pugnat, auctoritatem, tum quod Publilius mihi videtur rerum possessarum non tam copiam, quam notionem significare voluisse. Ut enim alienum est, quod aliorum est, aliena sunt, quaecunque aliorum sunt: ita nostrum est, quod a nobis possidetur, nostra sunt res, quaecunque eius sunt quod a nobis possidetur Quare alienum et suum saepissime pro substantivis usurpari docet Fabri ad Sall. Cat. 5, 4. Quem usum Publilius sic amplificavit, ut numero singulari multo saepius, quam plurali utatur, ubi non multas eius generis res, sed earum rerum genus significare velit. Atque id cum in adiectiva, tum in pronomen relativum cadit. Illud vides apud Publ. B 20 (63). E 19 (165). H 14 (216). L 16 (307). 17 (308). M 44 (352). N 24 (400). Q 53 (553). 63 (563). R 4 (572): hoc apud Publ. A 2. 16. 52. B 1 (44). C 34 (119). 41. 46 (106). D 15 (137). 16 (138). 22 (144). E 20 (663). 21. F 7 (172). 11 (176). 25 (190). 33. G 6 (199). 10 (666). I 34 (263). L 4 (295). 9 (300). 11 (302). M 6 (314). 18 (326). 62 (370). N 5 (381). 17 (393). 32 (408). 33 (409). 37 (413). 39 (415). 42 (418). 56 (432). 62. P 16 (465). 20 (469). Q 1 (501). 7 (507). 8 (508). 11 (511). 12 (512). 16 (516). 21 (521). 22 (522). 31 (531). 46 (546). 48 (548). 54 (554). 56 (556). 65 (565). 67 (567). 72 (674). 76. R 5 (573). 6 (574). S 12 (595). 26 (609). 43 (677). 50 (684). T 4 (628). U 6 (630). 20 (648). Numerum pluralem vides apud Publ. A 13. B 4 (47). C 42 (657). E 17 (163). F 12 (177). H 8 (210). 10 (212). I 7 (236). M 63 (371). 65 (373). N 14 (390). 16 (392). 27 (403). 48 (424). P 8 (457). 38 (487). S 43 (677). T 6. V 7 (635). Apparent maxime in his ea, quae per se copiam significant, ut multa, omnia. Ex editoribus pluralem tenent Bentleius, Swedbergius, Orellius, Bothius, Woelfflinus, Ribbeckius; singularem Erasmus, Gruterus, Spengelius. Erasmus quidem versum sic interpretatur: „Suae sortis quemque poenitet. Aliena miratur, verbis dumtaxat. Ceterum si ad rem ventum sit, pauci velint cum aliis commutare." Sumtam sententiam esse putat Gruterus ex Ter. Phorm. I. 3, 20. ita plerique omnes sumus ingenio, nostri nosmet poenitet. Cf. praeterea Ovid. A. A. I. 348. et capiunt animos plus aliena suis? Sen. de vit. beat. VI. 2. de tranq. anim. II. 7. inumerabiles deinceps proprietates sunt, sed unus effectus vitii sibi displicere ep. XIX. 6 (115) 17. nemo enim est, cui felicitas sua, etiamsi cursu venit, satisfaciat.

29. „Amor voluptas est in iuvene, scelus in sene, non voluptas" Erasmus. Non satis accurate, ut opinor. Est enim fructus id emolumentum, quod natura ac ratione quasi sponte nascitur, quod nostro sermone dicitur ein naturgemässer Gewinn. Ut gloriam fructum verae virtutis dixit Cic. Pis. 24. aut fructum superioris vitae id. divin. II. q. aut pecuniae fructum id. Off. II. 18. De sententia cf. Ovid. Am. I. 9, 4.

30. „Anum vicinam morti non decet lusus, videtur enim mortem delectare velle" Erasmus. „Delicias facere proprie dicuntur histriones populo placentes: vide Gronov. Lect. Plaut. p. 211." Bothius ad Publ. 50. Commode interpretatur Casp. Orellius: „sie kokettiert mit dem Tode" comparans, quod dicunt Graeci διαθρύπτεται.

31. Ni fallor, tanquam aenigma sententiam poëta proposuit, quid interesset inter vulnus corporis et inter vulnus amoris. Illud sanat medicus, qui non facit, hoc sanat amatus, qui amorem semper ciendo non desinit facere. Aliud eorum discrimen minus captiosum memorat Propertius II. 1, 59. 60. omnes humanos a medico sanari dolores, amorem

a medico non sanari. Vulgatum verborum ordinem retinent Erasmus, Gruterus, Woelfflinus, Spengelius; ex quibus Erasmus versum sic explicat: „Desiderii vulnus sanat idem, qui facit, si sui copiam faciat. Allusit autem ad Telephi fabulam". Denique hoc de proposita quaestione iudicium facere videtur Quintilianus V. 13, 3. nam ut quod sentio, inquit, semel finiam, tanto accusare, quam defendere, quanto facere, quam sanare vulnera facilius.

32. „Ne statim pronunties: nam praecipitati iudicii saepe poenitet" Erasmus. Cf. Publ. P 21 (470). Sent. falso inter Publ. recept. 284 (302). de la Mesanger, diction. des prov. Français (sec. édition à Paris 1821) s. Juge p. 242: de fol juge brève sentence.

33. „Hoc est carmen trochaicum. In mala re quanto magis excellis, tanto sceleratior es" Erasmus. Plurimi libri cum paucorum sive melior sive dotior, pro quo doctior scribere proclive erat, omiserint, vix est quod dubites, quin hic olim vocabulum scriptum sit. quod nescio quomodo oblitterabatur aut male intellegebatur. Dicitur sane lusor et bonus et doctus (cf. Sen. de benef. II. 17, 3. 4.) sed melior si scriptum fuit, non erat quod mutaretur, et dotior ex doctior propterea corrumpi non poterat, quod ad numeros non aptum erat. Neque Buecheleri aut Spengelii coniecturam potior probaverim, quod etsi qui corrumpi potuerit per se facile est ad intellegendum (cf. Spengel. praef. p. 4. Meyer. p. 7. 8.) tamen mentis sollertiam parum definiat, sed eo inclinat animus, ut illud ipsum dotior male mutatum esse ex catior putem. Catus enim, vox a Sabinis ducta, hominem notat acutum, prudentem, callidum, quae virtus ab animi natura atque habitu, non ex re externa comparata creditur. Cf. Cic. Leg. I. 16. Hinc ea praecipue prudentia et sollertia dicitur. quae in arte aliqua docenda vel tractanda conspicitur cf. Hor. Carm. I. 10, 3. III. 12, 10. Hildebrand. ad Apul. Flor. I. 3. Quid quod aleator ipse apud Plaut. Rud. II. 3, 29. sapiens dicitur, qui fere idem atque catus est: nobis dicitur ein feiner Spieler. Aleatores autem, ut omne histrionum genus, apud Romanos ingenio et moribus infames putabantur cf. Cic. Cat. II. 5, 10. 10, 23. Pandect. XXI. 1, 4. 25. Sen. lud. de mort. Claud. XIV. 4. Quod cum ita sit, verbis in arte non opus esse videri potest: sed addita sunt, ut adiectivo nequam. cuius vis ad mores spectat (Cic. Cat. II. 5, 9. Sen. de benef. II. 34, 3) opponerentur. Itaque homo, quod nomen propter id quod praecedit aleator cuipiam addendum sic videatur, ut apud Quint. XII. 1, 9. orator et homo sibi respondent, non est ita necesse, quod in ipsa adiectivi nequam significatione latet.

34. Versum sic interpretor: Amor animum hominis ita trahit, vexat, fatigat, ut cum multa semper agere et moliri videatur, tamen nihil agat, nihil perficiat, otio abutatur. Ut Goethius in carmine, quod inscribitur: Rastlose Liebe (tom. I. p. 68) ludit: Glück ohne Rast, Liebe, bist du! Similiter igitur otiosa sollicitudo dicitur, ut apud Plin. ep. IX. 6. otiosa occupatio. Cf. Plaut. Cist. II. 1. 1—10. In editione quidem priore versum in sententiis minus probatis posuit Ribbeckius; in altera idem haec adnotavit: „Ne nunc quidem Publilianus videtur esse.

35. Ut non dubium est, quin avidus per se avarum significare possit (cf. Ter. Heant. III. 2, 15. Cic. pro Rosc. Com. 7. Hor. Carm. I. 28, 18. Bentl. II. 2. 9. Serm. I. 4, 126. II. 3, 151): ita nihil impedit, quominus vel pecunia vel aes vel nummus accedat, quo adiecto ea pecuniae avaritia insigniatur, quae pessima habeatur. Nam ut dicitur apud Sall. Cat. VII. 6. avidus laudis. ita h. l. dici poterat avidus aeris vel pecuniae cf. Plaut. Pers. III. 3, 5. P. quidem Nigidius apud Gell. NA. X. 5, 1. avarus, inquit, appellatur, qui avidus aeris est. Nummus autem erat aes

signatum, numisma. diversi pretii, prout aureus erat aut argenteus aut aereus. Cf. Plaut. Pseud. III. 2, 20. 58. 87. Aul. III. 2. 34. Men. I. 4. 1. II. 2. 16. Truc. II. 7, 11. Most. IV. 2. 11. Hultschii libr. qui inscribitur metrologia Graec. et Rom. p. 206. 221. 231. Hinc amorem nummi dixit Iuven. XIV. 139. Maxime vero num. plurali nummi pecuniam significant. ut Sen. de benef. II. 27, 1. cum esset avarissimus. nummos citius emittebat quam verba; et VI. 3, 4. domus est. servus est. nummi sunt. Publ. B 28 (71). Eandem sententiam apud Cic. Cat. Mai. 18, 65. scriptam legi: „Avaritia vero senilis quid sibi velit non intellego" certatim adnotaverunt interpretes. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 18.

36. Eandem sententiam praebet Caec. Balb. p. 26. Mon. XVII. 3. b. similem Euripides, cuius in fragm. 901, 6. hic versus exstat: *οὐ γὰρ ὀφθαλμὸς τὸ κρῖνον, ἀλλὰ νοῦς*, ut confirmat Nauckius Mél. Gréco-Rom. p. 187. Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Quanta feminarum in nubendo levitas sua aetate fuerit, ut nec repudio erubescerent nec adulterii puderet, queritur Sen. de benef. III. 16, 2. Argumentum fuisse ait deformitatis pudicitiam. Nec maiorem virorum in matrimoniis contrahendis curam fuisse divitias magis in uxoribus, quam pudicitiam eligentium uxoresque non oculis, sed digitis ducentium idem Seneca narrat apud Hieron. adv. Iovin. l. I. p. 188. in Fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 432. 72.

37. Aut in Publilii mimo aliquo ille Terentii versus repetitus aut cum ad unum aliquem eorum. qui hic Publilii sunt. adscriptus esset. falso in Publilianorum ordinem receptus videtur. Cf. Publ. C 23 (108).

38. Versus ex Graeco illo: *ἀφροδίσιος [γὰρ] ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος* in Latinum conversus. Cf. Graec. trag. adesp. fr. 438. Nauck. mél. Gréco-Rom. p. 187. Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Similis sententia Ovidii A. A. I. 633. Iupiter ex alto periuria ridet amantum.

39. Codicis Palatini scripturam commendat et Meyerus p. 20. 21. et Nauckius. qui de Publilii re metrica hoc recte videtur praecepisse in secunda senarii sede spondeum duabus syllabis inclusum non obtinere. Cf. Mél. Gréco-Rom. ad Publ. v. 191. adnot. 1. p. 194. Ediderunt ita ut Gruterus. Orellius, Bothius. sicut Woefflinus, Ribbeckius, Spengelius. Nihil autem particulis ita ut coniunctis apud Romanorum et poëtas et scriptores pedestres frequentius. Vide Hand Tursell. ita vol. III. p. 468. I. 1. qui haec exempla attulit Plaut. Merc. II. 1, 38. 39. Cas. II. 3, 18. Ter. Heant. IV. 3. 24. Eun. IV. 2. 1. 2. Cic. Phil. IV. 4, 10. Off. I. 16, 31. De sententia cf. Or. Am. I. 2. 11. 12. coll. Sen. Controv. II. 10. p. 155. ed. Bip.

40. Versus recte reponendi difficultas non tam in sententia, quam in numeris posita est. Quamquam Bothius, cum nihil eo insulsius fingi posse videretur, eum exclusit. Versus sententiam hanc esse arbitror: Ut conspecta miseria animo concipitur misericordia: sic ex mulieris conspectu amor imbibitur. cf. Publ. C 44 (659). Prop. I. 1. 1. Quint. XI. 3, 75.: Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus emanat. ut citra motum quoque et hilaritate enitescant et tristitia nubilum ducant. Versus proverbialis apud Erasm. Adag. p. 50. *ἐκ τοῦ μὲν ὁρᾶν* (*εἰσορᾶν* Er.) *γὰρ γίγνετ'* (*γίγνεται* Er.) *ἀνθρώποις ἐρᾶν*. Idem nos nostro sermone: Líebe. gleichwie Thraéne, tritt in's Aúge, sinkt vom Aúg' in's Herz. Cui interpretationi hoc videtur obstare. quod non lacrimae misericordiam. sed misericordia lacrimas antecedere creduntur. Nec vero aliam rationem poëta secutus est. Nam et misericordiae et amoris sensus hominum animis ita insitus est, ut lacrimas et amorem ipsum antecedere videatur: sic autem uterque sensus comparatus est, ut re demum obiecta accendatur ac certam sentiendi agendique speciem intret. Quod ita fit. ut nemo ferme misereri nisi ab lacrimis. nemo amare nisi ab oculorum acie inci-

piat. Jam dicendi usu satis frequenti receptum est non ut lacrimae aut ab oculis aut oriri oculis, sed ut oboriri dicantur cf. Ov. Her. VIII. 109. XV. 97. Am. I. 4, 61. Met. I. 350. II. 655. 656. suspirat ab imis pectoribus lacrimaeque genis labuntur obortae. IV. 684. VII. 495. 689. X. 419. XI. 458. XIII. 539. 540. Fast. IV. 845. 846. ep. ex Pont. II. 3, 90. Atque ut lacrimae, ita oculis tenebrae vel nox (cf. Ov. A. A. II. 88. Her. XIII. 23. Met. II. 181.) ita caecitas (cf. Plin. NH. X. 40, 56) ita laetitia (cf. Ter. Heaut. IV. 3, 1. 2) aut repentina incursio (cf. Gell. NA. XIII. 27) oboriri dicitur. Non sine vi oculis repetitur, ut solet repetere idem verbum Publilius, ut et orationem et sententiam per duo enuntiationis membra divisam faciat concinniorem. Cf. Publ. A 3. 51. C 28 (113). I 6 (235). 13 (242). 56 (286). L 13 (304). 14 (305). M 12 (320). 27 (335). 30 (338). 32 (340). 40 (348). 43 (352). 74. N 2 (378). 22 (398). 44 (420). O 13 (448). P 14 (463). Q 14 (514). 24 (524). 38 (538). 41 (541). 46 (546). 53 (553). 70 (672). 75. 76. R 8 (576). S 18 (584). T 3 (628). V 6 (634). 7 (635). 26 (687). Ex eadem ratione remedium quaesivi Publ. I 16 (245) et I 61 (291). Restat ut editorum scripturam enumerem. Gruterus quidem eundem versum senarium factum cod. H secutus sic scripsit: A. u. l. oculis oritur, in pectus cadit: qui versus et proceleusmatico secundi et anapaesto quarti pedis laborat. Sequuntur Gruterum, ut solet, editio Bipontina et Orellius et Ribbeckius in priore editione. Tum Woelfflinus et in altera editione Ribbeckius ediderunt: A. ut l. ab oculo oritur, i. p. c. Deinde A. Spengelius de coni. scripsit: Amoris lacrima ab oculis in pectus cadit, bonis numeris, sed difficili sententia. Denique Nauckius Mél. Gréco-Rom. p. 206. proposuit: A. u. l. ortus oculis in pectus cadit.

41. Animi duplex notio est, quod corpori contrarius mentem ac rationem significat, per se positus etiam animi libidinem significare potest. cf. Sall. Cat. I. 2. animi imperio, corporis servitio magis utimur. Atque ea vis hoc in versu cernitur: docet enim sapientem quidem id agere, ut animi cupiditates vincat, stultum vero iis sic indulgere, ut earum dominationi succumbat cf. Plaut. Trin. II. 2. 29. tu si animum vicisti potius quam animus te, est quod gaudeas; et quae Taubmannus ad h. l. attulit cum alia tum Publ. B 21 (64) et E 8 (154). Vide praeterea Publ. A 51. I 22 (251). Pseudo-Sen. de mor. 81. Prov. 49.

42. „Utrum verum habeas amicum an eum, quem nominant, rebus adversis cernitur“ vel ut ait Ennius apud Cic. Lael. 17. 64.: „Amicus certus in re incerta cernitur“. Cf. Phaedr. fab. III. 9, 1. vulgare amici nomen, sed rara est fides. Plaut. Bacch. III. 2, 2. 3. Trin. III. 1, 19. Intellegitur his Plauti locis amicus, cuius facta respondent nomini: nempe amicus non tantum consiliarius, verum maxime Ferentarius hoc est re ipsa, non logis iuvans, ubi re opus est, ut Douza explanat. Publ. Q 40 (540). Ut latine nomen verbum est sine re, sic Graeci *ὄνομα* et *ἔργον* inter se opponunt, ut apud Apostolium Cent. XII. 81 b: *Ὄνομα γὰρ, ἔργον δ'οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι, οἱ μὴ 'πὶ ταῖς συμφοραῖς ὄντες φίλοι.* Cf. a Leutsch. Paroem. Graec. tom. II. p. 563. Stob. Flor. t. 14. p. 149. 14. Anthol. lib. I. 85. *πρᾶγμα μέν ἐσθ' ὁ φίλος πάνυ δύσκολον· εἰσὶ δὲ πολλοὶ καὶ σχεδὸν οἱ πάντες μέχρι προσηγορίας.* Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 6 (Sent. 53). Sent. falso inter Publ. recept. 87 (300).

43. Tanta cupiditas cuique homini natura insita est, ut non animi voluntate tolli, sed aetatis maturitate exstingui posse videatur. „Causam vero cur tempus exspectari debeat, dat Cicero de Fin. II. 9, 27.: an potest cupiditas finiri? tollenda est atque extrahenda radicitus.“ Gruterus. Inter a m o r i s et a m o r i hoc videtur interesse, quod amoris is, qui certus idem omnibus stat hominibus, amori is finis fit, qui incertus ac dubius alii alius

statuitur. Amoris autem finis cum nulli constet, sed nulli non incertus sit, finem facere non amoris aut cupiditatis, sed aut amori aut amandi dici posse existimo. Quamobrem facere finem multo saepius cum dativo, quam cum genetivo coniungitur (cf. Plaut. Asin. III. 3, 15. Ter. Heaut. prol. 34. Cic. Verr. II. 47. III. 62. 76. IV. 7): qui genetivus non nominis, sed gerundii esse solet (cf. Cic. pro Sect. 65. ad Att. X. 7. ad Fam. XII. 1.). Nominis genetivus est apud Lucret. III. 943. Lachm. vitae finem facis atque laboris et Cic. ad Fam. XVI. 17. in te positum est ut nostrae sollicitudinis finem quam primum facere possimus. Uterque casus coniunctus apud Cic. Verr. V. 76: fecit finem vitae et victoribus et victis idem dies. Quae si vere sunt disputata, poëtae aut amandi aut amori facere finem dicendum fuisse intellegitur. De sententia vide Sen. ep. XIX. 5 (114) 25: moeretque, quod magna pars suae felicitatis exclusa corporis angustiis cessat.

44. Quo quis promtius pericula adit, eo magis virtutem auget; quo magis cunctabundus cessat, eo magis animum timore a rebus gerendis revocat.

45. Qui perditis et afflictis hominibus subvenire studet, eos non tam videtur iuvare quam infamare.

46. Versum fecit Meyerus Act. Mon. p. 547. hunc: A. f. i. l. interitum non habet, hunc in libro, qui inscribitur Spruchverse des Publilius Syrus p. 33: Affatim, si fortuna aequa longum interitum non habet; hunc Christius: A. si cui fortuna longe interitum non habet. Verba cod. M. ultima cum interpretationem potius quam ipsam versus scripturam redoleant, longius a verbis recessi. Fortuna postquam ad extremam iniquitatem pervenit, occasum fore ostendit. De dictione in procinctu habere vide Gell. NA. I. 11. Quint. X. 1, 2. nisi in procinctu paratamque ad omnes casus habuerit eloquentiam. Sen. de clem. I. 1, 4: Severitatem abditam et clementiam in procinctu habeo.

47. Numeros fecit Meyerus Act. Mon. p. 547. Cf. Publ. A 26.

48. A. Spengelius: Avari vita torpet morte longior. Meyerus Act. Mon. p. 547: Avaro haud vita est vita, sed mors longior. „Avarus vitam non agit, sed tanquam longam mortem ducit. Cf. Cic. ad Q. fratr. I. 3, 2. diutius in hac vita esse non possum.

49. Qui reum defendit, caveat ipsum pro reo aut conscio habeant. Versum sic reposuit Meyerus: A. q. recipit causam, se ipse criminat reum, sic A. Spengelius: A. q. orat causam, sese criminat, sic Meiserus: A. c. q. orat, se culpat reum. Defendere causam dixit Hor. Serm. II. 5, 34. Cf. Publ. I 9 (235).

50. Assidua ei sunt tormenta qui semet ipsum timet M. Semper maxime cruciatur, quem suus ipsius timor exagitat. Ita Meyerus: Adsidua ei sunt tormenta qui se ipsum timet. In tormentis i. e. in animi angoribus esse dixit Plin. ep. VIII. 23 extr. in tantis tormentis eram, cum scriberem haec, scriberem sola.

51. Versus haec sententia est: Si tu animum i. e. animi cupiditates imperio coërcere tibi videris, non tu animo, sed animus i. e. mens ac ratio tibi imperat. Animum poëta usus ea captione, quam memorat Seneca Controv. III. 18. ed. Bip. p. 227., duplici notione usurpavit, ut et libidinem et mentem significaret. Cf. Publ. A 41. Hunc finxit versum Meyerus: Animo imperato, ne animus imperet tibi, hunc A. Spengelius: Animo imperato, ne tibi animus imperet.

52. Emendavit Meyerus. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 15.

53. Inter versus Publilianos receperunt etiam Gruterus (cf. not. post. p. 48) Bentleius v. 7. Orellius, Bothius, posuit in appendice v. 180.

Ribbeckius, omisit Woelfflinus (cf. Proleg. p. 14). Versus est haec sententia: Quod ne inveterasceret non cavebas, id reprehendere importunum est. Cf. Publ. C 1 (85).

54. Est plus amo idem ac quod dicitur mihi magis placet, pluris vel carius est contrariumque significat eius quod dicitur: odi vel rei alicuius me poenitet. Nostro quidem sermone dicimus: mehr gefallen vel etwas lieber haben vel einer Sache mehr gut sein. De qua eius verbi vi et potestate cf. Ter. Eun. I. 2, 16. quo quemquam plus amem aut plus diligam. Cic. ad Att. II. 10. volo ames meam sententiam. ad Att. XII. 14. perierunt illa, quae amabas. ad Fam. IX. 16. delectarunt me tuae litterae: in quibus primum amavi amorem tuum. Ov. Rem. 547. Sall. Ing. 34. Docet igitur versus amico firmo vel certo nihil carius esse posse.

55. Cf. Caec. Balb. Sent. v. 22. „Avarus non modo acceptum damnum, sed etiam lucrum non acceptum deplorat."

56. Cf. Caec. Balb. Sent. v. 6. „Bona amici existimatio pars est tuae gloriae."

57. Versum Seneca cum Publ. A 2. compositum in iis tradit, qui quibusdam praeceptis efficaciter etiam imperitissimos feriant. Nec ideo dubitat Meyerus p. 38. quin Publilianus sit. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 30 (36). De sententia compara Sen. ep. XX. 2 (119) 9.

58. Addit haec Ribbeckius ad append. v. 178.: Cod. Cusanus p. 109. Kl. Fronto ep. 239. Nab. *ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων παροιμία φίλου τρόπον μὴ μισεῖν ἀλλ' εἰδέναι φησὶ δεῖν.* Menandri monost. 535.: *φίλων τρόπους γίνωσκε, μὴ μίσει δ' ὅλως* (Nauck. Mél. Gréc-Rom. in Act. Acad. Petrop. tom. III. p. 118. *φαύλων . . . μιμήσῃ δὲ μή*). Nauckius quidem versum ex male Graeco in latinum conversum censet neglecta Frontonis et Porphyrionis auctoritate sententiam Romanorum proverbium fuisse testantium. Sed Meyerus p. 38. versum Publilio tribuit. Observes particulae negativae usum, ex quo verbum negatum alteri affirmato contrarium non per vetandi particulam ne, sed per negativam non opponitur. Cf. Publ. F 11 (176). Horatii locum, ad quem illustrandum interpres ille hoc proverbium attulit, consideranti versus haec mihi sententia videtur: Si qui amici mores displicuerint, noli existimare amicitiae te satisfecisse, si eos oderis, sed hoc potius age, ut bene cognitos habeas; quod si feceris, facilius aut feras aut corrigas. Cf. Publ. A 10. Nec enim mores est quod malum ac perditum hominis ingenium interpreteris, possunt esse vitae instituta quaedam molesta vel vitia importuna (cf. Tac. Hist. III. 72, 1) nec odisse invisos habere aut ira inveterata persequi (Cic. Tusc. IV. 9, 21) potest esse non amare. Vide quae adnotavi ad Publ. A 54 et A 6. C 6 (90). E 10 (156). Hor. Carm. III. 1, 1. odi profanum vulgus. Ep. I. 18, 89. oderunt hilarem tristes tristemque iocosi. 92. oderunt porrecta negantem pocula. Vell. II. 91, 2. erant qui hunc felicissimum statum odissent. Quint. XI. 3, 72. hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intellegimus. I. 1, 20. nam id imprimis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit.

B 1. Sententiam recte explicuit Erasmus: „Beneficium precibus extortum magnam gratiae partem perdidit." Scripturae vero tantae sunt turbae, ut difficile sit iis expediri. Sunt autem, nisi fallor, duae potissimum offensiones, quibus haerere possis, altera in versus exordio, altera in versus exitu posita. Primum enim Nauckio monente fieri non potest, ut scribatur: Bis est gratum, quod spondeus uno vocabulo conclusus secundo senarii pede nec apud Phaedrum nec apud Publilium ferri potest. Cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. tom. III. p. 194. not. 1. Maius vero alterum est, quod in versus exitu alterius collectionis libri

PRBC, qui meliores ferme haberi solent, ab alterius libris FV mirifice discrepant; illi exhibent: si ultro offeras, hi: si ultro sit datum. Quae discrepantia a nullo adhuc explicata est. Atque hoc Bentleius recte vidit, nisi addideris dato, sententiam frigere; nec sine causa Buechelerus numeris sic medendum esse putavit, ut eiecto v. opus proponeret: Bis g. est, quod daturus es, si ultro offeras. Equidem corruptelam sic tollere conatus sum, ut diversam librorum scripturam coniungerem; quo facto et numeri et sententia viderentur sanari posse. Hoc enim dicit poëta bis gratum esse, si id quod opus est sic offeras, ut ultro des nullo aut rogante aut impellente. Cf. Publ. D 19 (141). R 15 (583). Iam illi quicunque eas, quas diximus, sententiarum Publilianarum collectiones confecerunt, cum ex archetypo sua describerent, alteri satishabuerunt scribere: si offeras ultro omisso, ut saepius videmus in hoc versuum genere factum (cf. praef. p. 44) extremo verbo datum, alteri hoc ipsum servarunt exturbato v. offeras, quod ad sententiam non ita opus esse viderent.

2. Bonae res sunt res secundae, laetae, opimae, divitiis et opibus affluentes, quibus qui consuevit verendum est, ne, mutatas malas vel perditas aegerrime ferat. Cf. Cic. Att. XII. 21. eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam. Fam. XII. 2. qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset, quid censes perditis? Hor. Serm. II. 6. 110. bonisque rebus agit laetum convivam. Dicuntur etiam uno nomine bona, ut apud Liv. 23, 18. exercitum in tectis habuit adversus omnia humana mala saepe ac diu duratum, bonis inexpertum atque insuetum. Nos dicimus Glück vel Reichthum vel Ueberfluss. Hinc interpres ad Plaut. Pers. IV. 3, 38. „Bonas res pro opulentitate ab antiquis, sicut e contrario malas pro inopia et egestate acceptas notum est. Cf. Plaut. Trin. II. 4. 45. Sententiae autem, quam poëtam sectatum esse accepimus (cf. Publ. A 51) captio in eo cernitur, quod bonae res praeter secundas et opimas etiam cupedia vel cibi ad epulandum exquisitissimi intelleguntur. Cf. Bremi. ad Nep. Ages. VIII. 5. ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumsisse arbitrabantur. Eodem redit Publ. E 19 (165) nec multum differt Hor. ep. I. 10, 30. Quem res plus nimio delectavere secundae, mutatae quatient. Nec scio an is ipse Horatii versus codicum FV interpolatores eo duxerit, ut scriberent nimia consuetudo. Nec abhorret Goethii, nostratis poëtae, sententia: Alles in der Welt lässt sich ertragen, nur nicht eine Reihe von schönen Tagen. Quid quod Seneca secunda ingenium discingere atque animum sibi cuique praeparandum esse docet cf. de provid. III. 3. de tranq. anim. XI. 6. ep. XIV. 4 (92) 35. Quam Publilii sententiam deformaverunt et hic, qui pro consuetudo pessima est scripsit: desuetudo non est bonum, ut est in M, et ille, qui pro pessima est invexit optima est, ut est apud Fabricium. Quasi vero bonae res idem, quod bonae artes vel virtutes significent, nisi forte id quaesitum est, ut alteri altera tanquam veri species opponeretur. A vera versus interpretatione aberravit Erasmus sic haec exponens: „Vilescit, quod consuetum esse coeperit. Bonis rebus nihil debet esse carius. Charum est autem, quod rarum est.“

3. Spengelius versum sic scripsit: Benficium qui nescit dare, iniuste petit, admissa, quae vitari solet, post tertium pedem diaeresi. Vide Woelfflin. Proleg. p. 58. In v. dandi, quod contrarium est v. petendi, cum praecipua vis posita sit, numerorum ratio videtur suadere, ut arsi efferatur, non thesi prematur. Ceterum bene Nauckius de proceleusmatici apud Publilium usu disputavit et vitatum esse eum pedem, ut a Phaedro, sic etiam a Publilio et qui invenirentur, eos pronuntiatione nullos fieri. Nemo non videt id in duo potissimum verba cadere, quae hinc dicam excusationem an iustam causam habent, beneficium et animus

cf. Publ. A 5. B 5 (48). 8 (51). 10 (53). 12 (55). 14 (57). 15 (58). 17 (60). 35 (78). 37 (80). D 21 (143). G 3 (196). 4 (197). M 61 (369). Huc accedunt duo alia vocabula totiens et etiam, in quibus pronuntiandis i littera delitescit cf. Publ. H 13 (215). H 26 (228). Denique numero in his adverbium male, quod ut in compositis quibusdam verbis, sic per se positum monosyllabum fit, ita ut e littera in vocis exitu supprimatur cf. Publ. M 12 (320). M 28 (336). Quod restare potest videri proceleusmatici exemplum, Publ. I 61 (291) id tollendum putavi. Erasmi interpretatio sententiae haec est: „Non debet uti beneficiis aliorum, qui ipse nemini benefacit.“ Cf. Sen. ep. XI. 2 (81) 9.

4. De secundi pedis anapaesto cf. Publ. P 6 (455). „Item Plautus: feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. Quid tibi sit fugiendum, id discas non tuo malo, sed ex aliorum malis exemplum sumito“. Cf. Erasmi Adag. p. 40. qui etiam affert Ter. Heant. I. 2, 36. (coll. II. 1, 9. Fabr. ap. Zell. p. 80. v. 328. Kremsier. p. 58. v. 624.): Scitum est periclum ex aliis facere, tibi quid ex usu siet. Publ. E 4 (150).

5. „Felicius est dare quam accipere. Perdit enim libertatem, quisquis utitur alterius beneficio“ Erasmus. Cf. Sen. de benef. V. 6, 7. ep. XVIII. 1 (104) 34: „Non potest gratis constare libertas“. Gallorum illud est: qui prend s'engage cf. Mesangerii Dict. des prov. Franç. s. présent. p. 409.

6. „Nulla fortuna secunda est, quae non alicuius malo coutingat“ Erasmus. Menandri Monost. 428. *οἷς μὲν δίδωσιν, οἷς δ' ἀφαιρεῖται τύχη.* Sen. de ir. II. 8, 2: Nulli nisi ex alterius iniuria quaestus est. Francogallorum proverbium: Il n'y a qu' heur et malheur en ce monde sic interpretatur Mesangerius (Dict. p. 226. s. heur): Une heure, qui fait la fortune des uns, ruine les autres.

7. Parum recte interpretatus est Erasmus: „Mortem naturalem aequiore animo ferunt, adactam (al. coactam) gravius“. Quamquam ad rem augendam satis est dixisse bis mori, ut dixit Phaedrus I. 21, 12., quamquam Seneca de clem. I. 18, 2. hominem mille mortibus dignum dixit, tamen quod bis mori esse dicitur alio arbitro mori, hoc requirere videtur, ut alter quidam numerus, ad quem bis referatur, ponatur: qui quidem in particula enim latere mihi visus est, unus. Iam pro enim mori scribere pronum erat: una in morte. Cf. Sen. ad Polyb. de consol. XV. 1: quid Pompeios? quibus ne hoc quidem saeviens reliquit fortuna, ut una denique conciderent ruina. Sen. Hipp. 1211—1214. in hoc redimus? patuit ad coelum via, bina ut viderem funera et geminam necem? caelebs et orbus, funebres una face ut concremarem prolis ac thalami rogos? Sen. Med. 473. et scelere in uno non semel factum scelus. Sen. Herc. Oct. 866. levis una mors est, levis, at extendi potest. ibid. 870. una perire dextera nobis sat est? Quint. Inst. VII. 8, 3. qui duos uno tempore tyrannos occidit. Ov. Met. VIII. 247. ex uno duo ferrea bracchia nodo. De usu praepos. in cf. Publ. B 21 (64). Pro alterius reponendum duco alieno idemque altero Publilii versu M 64 (372) reposui. Quid intersit inter alter et alius, exposui ad Publ. A 2. Quod discrimen si verum est, arbitrium alterius est proximi cuiusdam hominis, quocum aliqua tibi necessitudo intercedit; alius autem arbitrium, quam genitivi subiectivi vel possessivi formam noluerunt Latini ac dixerunt alienum propterea, necubi nominativus et genitivus confunderentur, est id, quo quis, quicunque est, ita in te utitur, ut tuo ipsius uti tibi non liceat. Neque igitur his locis, quos commemoravimus, pronomen obtinere potest, quod haec eorum sententia est, miserum esse ita et mori et vivere, ut non ego, sed alius, quicunque est, de mea vel morte vel vita decernat. Cf. Publ. B 4 (47). Nep. Hann.

XII. 5. sensit id non fortuito factum, sed se peti neque sibi diutius vitam esseretinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum venenum — — sumpsit. Sen. Exc. Contr. III. 9. p. 411. Bip. itane, furcifer, tu non moriaris domini arbitrio, morietur dominus tuo? Sen. ep. VIII. 1 (70) 10. quid te delectat alienum negotium agere? ep. XII. 1 (83) 22. haec contumacissimos et iugum recusantes in alienum egit arbitrium. ep. VII. 7 (69) 6. illud praeterea tecum licet cogites: nemo nisi suo die moritur. nihil perdis ex tuo tempore. nam quod relinquis alienum est. Itaque mihi persuasi adiectivum omnibus iis locis eo male eiectum esse, quod supposito pronomine alter interpretarentur. Cf. praef. p. 15. Neque Publ. E 4 (150) recte stat alterius aut alius, sed alieno reponendum videtur.

8. „Ingratis nemo plura committit. Quos experimur gratos, in hos maiora conferimus“ Erasmus. Cf. Menandr. Monost. 317. λαβὼν ἀπόδος, ἄνθρωπε, καὶ λήψῃ πάλιν. Plaut. Pers. V. 1, 10. Nam improbus est homo, qui beneficium scit sumere et reddere nescit. Cat. IV. 87. 88. gratior officiis, quo sis mage carior, esto: ne nomen subeas, quod dicunt, officiperdi i. e. eius, in quem ingesta beneficia tanquam in dolium rimosum effluunt. Plin. ep. II. 13, 9. Francogalli: une bonté autre requiert. Cf. Mesanger. Dict. p. 66.

9. „Nam et illum adiuvas et te eiusdem malefacti reum facis“ Erasmus. Versum Spengelius Publilianum esse negat, quod et alter huic simillimus in Publilii versibus scriptus legitur Publ. B 14 (57) et eius sit dicere pecces—accomodes. Neque vero prorsus indicativo Publilius abstinuisse credendus est cf. Publ. C 37 (122). Q 30 (530). Verbum simplex commodas pro composito scripsi, quod Publilium omnibus locis, quantum fieri posset, compositis simplicia anteposuisse video. Idem verbum commodat reposui Publ. B 14 (57). cf. Publ. H 6 (208). H 18 (220). B 20 (63) prematur. L 11 (302) flagitat. M 10 (318) tenuit. N 48 (424) levant. P 16 (465) iuvet. P 46 (495) levatur—laxatur. Q 51 (551) premit. Q 53 (553) teneas. Est autem commodare idem, quod liberaliter praebere cf. Plaut. Rud. II. 4, 21. 22. Cic. Verr. IV. 42, 91. Fam. XIII. 32. 35. 53. 54. Hor. Ep. I. 1, 40. Ovid. Trist. V. 12, 53. Ruhnken. ad Ter. Andr. I. 1, 134 (ed. Schopen. p. 24.).

10. „Lenis animus cum incandescit, vehementius commovetur“ Erasmus. „Caecilii Balbi verba numeris sic concludas: Amicus laesus gravius multo irascitur“ Ribbeckius.

11. „Miseris mors est optanda quoque, ut quae finem adferat malorum“ Erasmus. Cf. Plaut. Rud. III. 3, 12. neque est melius morte in malis rebus miseris. Sall. Cat. 51, 20. Sen. ad Marc. de consol. XIX. 5. mors dolorum omnium exsolutio est et finis. Nat. Quaest. VI. 32, 12. mors malorum omnium remedium est. ep. XIV. 3 (91) 21. XVII. 1 (101) 12. Sen. Herc. Fur. 510—512.

12. Erasmus nulla versus interpretatione praemissa haec: Hunc versum nominatim citat Aulus Gellius inter mimos Laberianos (Kremsier. p. 7. v. 46: Publianos). Cf. Plaut. Capt. II. 2, 108 (cf. Fabr. ap. Zell. p. 77. v. 295. Kremsier. p. 55. v. 590). Plaut. Rud. IV. 3, 2. Senecae sententiam Publilianam obversatam esse nemo erit, qui neget, cum comparaverit Sen. de benef. I. 1, 2. prima illa est, quod non eligimus dignos, quibus tribuamus. ibid. I. 7, 1. qui accipere se putavit beneficium, cum daret. ibid. V. 8, 6. accipiendo das, dando accipis. de vit. beat. XXIV. 3. ep. XI. 2 (81) 19. magna pars eius in se redit. Nemo non, cum alteri prodest sibi profuit.

13. „Iucundum est cum ex animo quis redamatur. non cum extorquetur mulieris obsequium" Erasmus. Cf. Publ. I 46 (276).

14. „Qui probus est ipse, nunquam alteri peccanti assentitur" Erasmus.

15. „Commemoratio beneficii dati est reposcentis gratiam" Erasmus. Cf. Sen. de benef. II. 11, 2. non est dicendum, quid tribuerimus: qui admonet, repetit. Mart. epigr. suppos. XVI. multa mihi donas, vereor ne multa requiras. nolo mihi dones, Aulice, si repetas.

16. Haec tanta scripturae varietas inde orta est, quod sunt in hoc versu, quae offensionem moveant. Primum enim v. coniunctio per se prosam orationem redolet. tum coniunctio benivoli animi ambiguam interpretationem admittit, denique ne hoc quidem nomine opus videtur. Nam coniunctio benivoli animi aut ea est, quae benivolo animo est cum altero, aut ea, quae alteri est cum alterius benivolo animo. Haec interpretatio cum sola probari posse videatur, si quidem haec versus sententia sit: „ea coniunctio, quae tibi cum altero intercedit. quod animi erga te benevolentia utitur, maxima cognatio est" eo ipso nomine coniunctionis carere potest. Eo enim sublato sic scribendus interpretandusque versus est: Benivoli animi maxima est cognatio i. e. cum benivoli animo cognatio est eaque maxima cognatio est. Quae sententia ut perficiatur et quasi acuatur, accedat necesse est, quo significetur. animi benevolentiam eam esse, ut hominum ille quicunque eo animo in te utatur, meliore quam sanguinis cognatione tecum coniunctus sit. Quo factum est. ut cuiusvis pro coniunctio scribendum mihi videretur.

17. „Qui saepius bene meretur de aliquo. is provocat ad gratitudinem quadam pertinacia bene faciendi" Erasmus. Cf. Plaut. Trin. II. 2, 41. Sen. de benef. V. 25, 3. VII. 23, 3. ep. XI. 2 (81) 10: itaque negamus quemquam scire gratiam referre nisi sapientem: non magis quam beneficium dare quisquam scit nisi sapiens, hic scilicet, qui magis dato gaudet, quam alius accepto. Quint. VII. 4, 23.

18. „Qui malus est et bene loquitur. is plus quam malus est" Erasmus. Ut est bonitas animi illa simplicitas ac sinceritas, quae sibi dari putet beneficium, quod ulli datur (cf. Sen. de benef. V. 1. 3): ita malitia est calliditas, vafrities, ut explicat Bentleius ad Ter. Andr. IV. 3, 7. 8. Cf. Men. monost. 352. μισῶ πονηρὸν, χρηστὸν ὅταν εἴπῃ λόγον. Publ. M 60 (368). N 24 (400). N 47 (423).

19. „Tutius est habere bonam famam. quam divitias" Erasmus, qui post homini interpunxit. Sed recte se habet hominum, cum ad bonam opinionem addendum sit, ut bona existimatio intellegatur, qua quis apud homines utatur. Cf. Publ. B 40 (83). H 15 (217). Men. Monost. 285: καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε. Pacuvius apud Fabr. vid. Zell. p. 68. v. 203. Kremsier. p. 47. v. 494. nummo tuam ne parvi pendas gratiam. Plaut. Most. I. 3. 71. ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. Sen. ep. XIX. 6 (115) 14. Francogalli: Bonne renommée vaut mieux que ceinture dorée cf. Mesanger. Dict. des prov. Franç p. 158. v. dorée.

20. Versum editores alii aliter scripserunt. Ac primum quidem non hoc videtur dicendum fuisse, quodcunque bonum est. id semper supprimi. sed fieri interdum. ut supprimatur. Hinc Buechelerus proposuit: bonum diu supprimitur, Ribbeckius in librorum scripturis quando interpolatum latere suspicatus est. Equidem est quidem ut reposui, qua scriptura fieri posse dicatur, ut bonum supprimatur. et quidem, quod est in P, revocetur. Frequentissima ea dicendi formula, cuius vis ac potestas eadem atque adverbii est aliquando saepius a Quintiliano usurpati (cf. IV. 1, 72. 2, 5.

6. 9. 83. 4. 2) apud Terentium cf. Ruhnken. ad Terent. Adelph. III. 5, 4. Zumpt. Gram. lat. §. 752. qui eam ne ab aliis quidem scriptoribus ut Cicerone. Horatio abesse locis allatis docet. Quae cum in hoc versu oblitteraretur, nec verbum simplex premere, quod Publilio videtur in deliciis fuisse [cf. Publ. B 9(52)] nec coniunctivus prematur retinebatur. Iam ut est ut contrarium est adverbio nunquam. sic premere habet, quo referatur. v. exstinguendi, quod idem significat atque delere vel e medio tollere. Cf. Quint. III. 7, 5. Itaque haec versus sententia est: Bonum (de num. sing. vid. Publ. A 28) fieri quidem potest ut supprimatur, nec vero exstingui potest. Idem fere Erasmus sua interpretatione assequitur: „Veritas et iustitia premi potest ad tempus, sed emergit postea." Cf. Tac. An. IV. 35.: Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Liv. 22, 39: veritatem laborare nimis saepe, exstingui nunquam. Gamaliel in Act. Apost. V. 38: *ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη ἢ τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται. εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι.* Woelfflinus quidem et Ribbeckius ediderunt: Bonum quod est supprimitur. nunquam exstinguitur, quamquam Ribbeckius eo inclinat, ut Bothii scripturam: Bonum supprimitur, at nequaquam exstinguitur praeferre malit. A. vero Spengelius Scaligero assensus Graece sic interpretanti *τἀγαθὸν ἐκρύφθη, τὸ δὲ κακὸν καὶ σβέννυται* versum ita scriptum edidit: Bonum quod est subprimitur. nequam exstinguitur. Nequam pro malo usitatum esse negat Bothius ad Publ. v. 114.

21. „Qui moderate utitur victoria. bis vincit. primum hostem. deinde animum" Erasmus. Cf. Sen. Nat. Quaest. III. praef. 10: „quid praecipuum in rebus humanis est? non classibus maria complesse . . ., sed animo omnia vidisse et qua maior nulla victoria, vitia domuisse."

22. „Qui liberalis est. non exspectat. ut rogetur. sed ultro quaeritat occasionem largiendi" Erasmus. Causam cum primaria sententiae notio sit, recte praemittendum videtur. Nec compositis excogitat vel incogitat (Hor. Ep. II. 1. 122) locus est: nam adamat Publilius cum verba simplicia, tum v. cogitare. Publ. D 5 (127). H 14 (216). M 27 (335). M 39 (347). M 61 (369). N 24 (400). N 37 (413). P 8 (457). P 23 (472). Q 8 (508). S 4 (587). Cf. Sen. de benef. I. 14, 4. ita qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitat. quomodo multi obligentur et tamen singuli habeant aliquid. quo se ceteris praeferant.

23. „Magis dolet nobis calamitas. cuius ipsi ministravimus occasionem. Veluti si quis hominem evehat ad magistratum, a quo postea subvertatur" Erasmus. Hoc. ut videtur. parum recte. Docet sententia ab eo exitium bis sentiri. cum iam iisdem artibus, quibus alios petierit, se interire senserit. Cf. Liv. 21. 34. sed suis artibus, fraude et insidiis. est prope circumventus. 22. 16. nec Hannibalem fefellit suis se artibus peti. Publ. R 14 (582).

24. „Cum abest sensus mali, nihil est mali. Veluti si quis alto somno obrutus non sentiat incommoditatem strati" Erasmus.

25. „Si calamitosus est. qui recte vivit. hoc imputatur virtuti. cui dicunt adversari fortunam" Erasmus. Officiosus est, qui omnibus liberaliter ac prompte operam suam praestat: nos dicimus zuvorkommend. Cf. Sen. ep. XVI. 4 (99) 19. officiosa pietas. XVII. 1 (101) 1. Senecionem Cornelium. equitem Romanum splendidum et officiosum. noveras etqs. Hinc haec potius versus sententia est: Hominis officiosi miseria merito bonis vitio vertitur. Officiosus pro adiectivo, miser pro substantivo accipiendum est cf. Cic. Att. XII. 21. quod ipsum erat fortis aegroti accipere medicinam. Fin. II. 34. doctissimi illi veteres.

26. Publilium verbis simplicibus delectari supra diximus cf. Publ. B 9 (52). B 20 (63). B 22 (65). Comparat Meyerus Publ. I 37 (267). Tenebras intellego vitae a rebus publicis et ab hominum coetu remotae obscuritatem, cui vitae magnificentia contraria est. Cf. Verg. Aen. II. 92. afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam. Plin. Paneg. 45. Salva est omnibus vita et dignitas vitae nec iam consideratus ac sapiens, qui aetatem in tenebris agit. Ut enim eo, quod sequitur, nomine splendoris explicantur: ita aliae tenebrae sunt apud Cic. pro Arch. VI. 14. quae iacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet, oblivionis, aliae apud Lucret. II. 15. qualibus in tenebris vitae quantisque periclis degitur hoc aevi quod cumquest! miseriae. Hinc haec versus sententia est: Probi hominis virtus, etiamsi ipse propter humilitatem in civium ignoratione versatur, famae claritate non caret. Cuius rei luculentum exemplum Abdalonymi narratur apud Curt. IV. 3. causa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat. Parum recte Erasmus: „Decus recte factorum non potest obscurari, lucet enim in ipso pectore, si non respondet opinio populi".

27. „Quod recte proposueris, etiamsi ad tempus excidit animo, tamen non omnino perit" Erasmus.

28. „Qui corrumpit iudicem pecunia, cum sit nocens, perdit eam, sed suo bono, proinde bene perdit" Erasmus. Cf. Ter. Ad. II. 2, 8. pecuniam in loco neglegere maximum interdumst lucrum. Petron. Sat. 14. quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat.

29. Quod libri habent veniunt, idem valet, quod obveniunt, ut apud Cic. de invent. I. 45. Neque hereditate venit: quod ei verbo, quod sequitur, opprimendi parum respondet. Poëta cum bona casu vel fortuito venientia (cf. Sen. ep. IX. 5 (76) 33) significari velit, magis ad veritatem Ribbeckii accidunt accedere videtur, sed pro composito, ut solet, simplici verbo cadere usus est, quod singulari captione praeditum est. Nam cum propriam decidendi (herabfallen) notionem continet, tum quoniam cadere per es vel communi Romanorum sermone significat casu evenire (cf. Cic. Or. II. 4, 15: sed hoc tamen cecidit mihi peropportune. ad Q. fratr. I. 3. ad Fam. V. 19) ea bona cadere (zufallen) dicunt, quae non ex propriis, sed alia quadam externa ratione vel casu adveniunt: unde adventicia appellantur Cf. Cic. de invent. II. 21. Arndts. Lehrb. d. Pandect. §. 432. Hinc etiam bona quaedam caduca dicunt, quae dominium non habent atque ab eo velut cadentia in aerarii vel aliorum heredum possessionem cedunt. Cf. Danz. Lehrb. d. Gesch. d. Roem. Rechts. I. §. 185. Quaritsch. Instit. p. 304. F. §.350. Hoc vero ipsum cadunt, quamvis alieno versus loco, meliores libri dederunt. Retinui deinde sustineantur, quod in libris est, quamquam raro apud Publilium paribus, quas vocant, senarii sedibus sive secunda sive quarta anapaestus apparet, scilicet tribus his versibus F 5 (170). I 45 (275). V 6 (634): quibus versibus aut pronuntiatione mitigandus aut emendatione ut aliis Publilii locis tollendus est. Cf. Publ. B 25 (68). F 16 (181). I 37 (267). I 52 (282) de Bothii coniect. Nec frequens anapaesti usus in quarta sede est apud Phaedrum, cuius numeri maxime cum Publilianis congruunt cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. III. p. 203. Sunt enim hi Phaedri versus viginti duo I. 13. 13. 14, 6. 15. 25, 4. 27. 5. II. 6, 2. epil. 17. III. 3, 10. 10, 41. 17, 7. 18, 3. epil. 8. IV. prol. 12. 2, 4. 5. 32. 6, 7. 21, 11. 21, 18. 23. 16. 5, 6. 30. 10, 5. quorum plures pronuntiationis excusationem habent. Sustinere est, quod Graeci dicunt ὑφιστάναι, excipere cf. Tac. An. XIV. 54. ita in hoc itinere vitae senex et levissimis quoque curis impar, cum opes meas sustinere non possum, praesidium peto. Hinc versus sententia hoc docet, nisi bonorum affluentium

molem fortis ac constans animus excipiat, fore ut eius pondere obrutus virtute privetur fractusque collabatur. Cf. Sen. ad. Marc. de consol. V. 6. proinde ne submiseris te, immo contra fige stabilem gradum et quicquid onerum supra cecidit, sustine, primo dumtaxat strepitu conterrita. de tranq. anim. VI. 4. necesse est opprimant onera, quae ferente maiora sunt.

30. Animus cum Publilio etiam animi libidinem (cf. A 41. 52) significet, eum h. l. bonum dici non vanum est. Versus haec sententia est: pecunia, si recte uti scis, bona est. Cf. Ter. Heaut. I. 2, 21. 22. atque haec perinde est, ut illius animus, qui ea possidet: qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, male. Sen. Nat. quaest. V. 18, s. ep. XX. 3 (120) 8.

31. Corruptelae suspicionem et codicis Pa lacuna et tertii pedis proceleusmaticus movet, cui hic nihil loci esse debet. Itaque Nauckio Mél. Gréco-Rom. III. p. 206. transpositis verbis scribi placuit: Bonum ad virum moritur cito iracundia. Nec tamen eo sibi ipse sanam sententiam expedivisse visus nec mala versus diaeresis ferenda est. Quod in libris est cito moritur, id interpretari videtur, quod scripsi: cita mors est. De praepositionis ad usu vide Haud. Turs. I. p. 93. v. ad. Nos dicimus bei vel auf Seiten. Ut hic iracundiae citam mortem esse dici videtur, ita Oridius A. A. I. 374: ut fragilis glacies, interit ira mora. Hinc versus hanc sententiam exsistere existimo: Boni viri esse non diu iram animo retinere, sed cito deponere. Cf. Petron. Sat. 99. incultis asperisque regionibus diutius nives haerent, ast ubi aratro domefacta tellus est, dum loqueris, levis pruina dilabitur, similiter in pectoribus ira concidit: feras quidem mentes obsidet, eruditas praeterlabitur. Recepta vero codicis Pa scriptura et eo supplemento, quod supra proposueram, scribendum est: Bonum ad ánimum citius móritur iracúndia.

32. Quod ego scripsi, eius hanc sententiam esse arbitror: breve tempus viget ipsa memoria iracundiae; ut enim iracundi hominis affectus brevi defervescit, sic etiam ipsa eius memoria brevi durat. Animans significat animam vel vitam vel spiritum habentem, ita ut brevi animans sit is, quem Graeci dicunt μικρόβιος vel ὀλιγόβιος vel βραχύβιος, nos dicimus kurzlebig. Cf. Cic. de nat. deor. II. 8. III. 4. Sen. ep. VI. 6 (58) 9. 10. Latinum in Germanicum ita vertere licet: „Kurzlebig ist des Jähzorns selbst Erinnerung."

33. „Aut sic, quae periculum vindicat. Satius est pudere, quam pigere. pudor utilis est, per quem arcemur ab iis, quae periculose faceremus" Erasmus. At turpitudo nec pudor est, ut Erasmo placet, nec oris deformitas, qua pudicitiae periculum defendatur, ut explicuerunt Orellius et Bothius, sed probrum, dedecus cf. Publ. H 5 (207): vindicat autem, quae sola scriptura probanda est, solvit, tollit, exstinguit. Cf. Vell. II. 126. fortuita non civium tantummodo, sed urbium damna principis munificentia vindicat. Scaliger. ad Varr. R. R.III. 9 f. (ed. Henr. Steph. p. 132. Scalig. not. p. 267): vindicta apud veteres erat ἀφαίρεσις et ἐξαίρεσις, ut vindicare ἀφελεῖν, ἐξελεῖν. Vindex apud Plaut. Trin. III. 2, 18. destructor vel exstinctor. Itaque sententia docet honestam esse turpitudinem, qua quis aut semetipse afficiat aut ab alio afficiatur, dummodo periculum amolitus fuerit.

34. „In alios misericors meretur, ut in se faventes sint alii, si quid inciderit" Erasmus. Cf. Publ. H 6 (208). M 21 (329).

35. Erasmus quidem versum ita explicat: „Virtuti enim datur, non homini! Et tuo beneficio bonus in ceteros omnes utitur." Cf. Sen. de benef. II. 24, 4. plures quam putas obligasti.

36. Sententia docet, cum brevior hominum vita sit, malis tamen eam videri propagari. Aliud Antigona patrem monet apud Sen. Theb.

79. ne mori properet; resistendum, tantis in malis vinci malum esse. Cf. Publ. A 26. O 3 (438).

37. Sen. ep. XI. 2 (81) 18: Nam in hoc quoque falluntur ingrati, quod creditori quidem praeter sortem extra ordinem numerant, beneficiorum autem usum esse gratuitum putant . . . Ingratus est, qui beneficium reddit sine usura. Mart. ep. suppos. XI. 4. dedecus est semper sumere nilque dare.

38. „Iuvat gaudium deponere, quo deposito dolor desinat.“ Cf. Sen. ad Marc. de consol. VI. 2. desinat dolor qui perit. ep. X. 2 (78) 13: levis est dolor, si nihil illi opinio adiecerit: contra, si exhortari te coeperis ac dicere: nihil est aut certe exiguum est. duremus: iam desinet: levem illum, dum putas, facies.

39. Pronomen is numerorum causa adscitum esse, ad sententiam nihil valere apparet. Quare sublato eo pro potui scripsi: potuerit. Sane sic tempora se excipere debuerunt, ut praemitteretur futurum exactum vixerit, sequeretur idem potuerit: sed perfectum vixit gravius etiam affirmat, quam si futura exacta posita essent vixerit, potuerit, si quidem ne futuri quidem significatio adest, sed una rei praeteritae. Cic. Verr. III. 62 145: nisi ita manifesta res erit allata, ut responderi nihil possit, vicimus. Liv. 21, 43: si tales animos in proelio habebitis, quales hic ostenditis, vicimus. Cf. Aug. Matthiae. Exc. de usu fut. exact. Latinorum in ed. Cic. orat. VII. (Lips. 1826) p. 241. Verbis posse (licere) non posse, velle, nolle inter se compositis nihil apud Publilium frequentius est cf. Publ. C 46 (106). M 39 (347). N. 21 (397). P 2 (451). P 4 (453). Q 16 (516). Q 27 (527). Q 29 (529). Q 34 (534). Q 76. S 1 (584). S 33 (616). Vide Quint. IV. 4, 37. V. 7, 17. Sententia docet eum bonum vitae finem habere, cui eo, quo voluerit, tempore mori licuerit. Cf. Publ. Q 4 (503). S 33 (616).

40. Vel manci versus sententiam coniectura assequi licet, praesertim cum et similis Menandri, monost. 285., καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε et huius Publilii plures exstent cf. Publ. B 19 (62). H 15 (217). P 49 (498). Qui tamen versus sic compositi mihi videntur, si iudicare licet de versibus non omni dubitatione vacuis, ut eorum sententiae aliqua inter se differant. Quamobrem Spengelio hunc interpolatori deberi scribenti (cf. praef. p. 12) non assentior. Hunc enim versum sic compositum esse arbitror, ut sententiae acumen in v. patrimonium sit. Neque iustum est bonam famam, qua fruatur filius, patrimonium dicere, nisi illa a patre accepta dicitur, cum filius suam sibi ipse bonam famam peperisse possit. Itaque prius quidem, inquit poëta, patrimonium sunt bona paterna, alterum vero bona patris existimatio, quam eadem quasi hereditate acceptam filius a patre ad suam existimationem redundare suisque rebus prodesse sentiat. Bene audire significare bona, male audire mala fama uti notum est cf. Cic. ad Att. VI. 1, 2. Verr. II. 1. 46. De praep. ex vi ac potestate disputavit Handius ad Tursell. vol. II. p. 635. Ablativum simplicem causam indicare, quae aliquid efficeret, proximam; ex praepositionem ipsum originem ita ante oculos ponere, ut alteram rem ex altera prodire videremus. Hinc haec versus sententia efficitur: Bona patris fama recte a filio pro altero patrimonio accipitur.

41. Scripturae discrepantiam si perpenderis, neminem recte, nullum praeter latine dicendi normam positum esse iudicabis. Ut enim certi quidem adiectivi nullus casus nullius, nulli, nullo substantivi instar scripti inveniuntur (cf. Haasii adnot. 361. ad Reisigii Vorles. über lat. Sprachwissensch. Krebs. Antib. v. nemo) ita neque nominativum nullus neque accusativum nullum pro nemo vel neminem apud bonos latinitatis auctores

me legere memini. Nam quem Feldbauschius (Gram. lat. §. 430. not. 8.) locum repetiit ex Verr. III. 24. nullus inimicior aut infestior fuit, eo de coniectura Hottomanni et Manutii recte Ernestius scripsit nullis. Neque alium quemquam earum formarum usum demonstravisse video. Nullum apud Sen. de clem. I. 3. 3. non pro neminem est. sed aut adendum hominem. ut apud Plaut. Amphitr. I. 1. 137., aut contra severiorem sermonis latini legem scriptum est. Eadem de causa apud Publ. I 5 (234) etiam repugnante Seneca in nullo scribendum existimo. Praeterea apud ipsum Publilium quater dativus nulli F. 18 (183). N 19 (395). N 55 (431). Q 68 (568). invenitur. Accusativum nullum pro neminem aut rarissimum (cf. Mart. epigr. VII. 42, 7) aut etiam infimae latinitatis esse testatur Jo. Saresb. Policr. III. 14, 43. cum scribit: ut omnibus prodesse nullumque punire studuerit, vel Pseudo-Sen. de remed. fort. X. 8.: nullum despicit, nullum destituit, nullum fallit (cf. Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 452). Quae cum ita sint. aut nolle fallere aut nulli imponere scribendum videtur. Frequens est apud Publilium usus verborum velle et nolle, quibus non ipsa voluntas, sed certum ac constans animi consilium significetur. Cf. Publ. Q 32 (532). R 9 (577). S 20 (603). S 28 (611). S 29 (612). Nec minus saepe iis utitur aut Seneca (cf. ad Marc. de consol. III. 3. de benef. II. 18, 7. III. 25, 1. IV. 40, 2. nat. quaest. IV. praef. 6. ep. XV. 3 (95) 49) aut Quintilianus (cf. Jnst. IX. 2, 72. 76. XI. 1, 65. XII. 1, 36). Possemus hic subsistere, nisi senarii exitus cogeret, ut pauca de quintae sedis iambo adderem. Constat enim inter omnes iambum uno verbo conclusum in hoc senariorum genere nec a Publilio nec a Phaedro eo loco usurpari solere nec tamen adeo devitari iambum alio modo effectum. praesertim cum aut diiambus aut paeon secundus aut longior etiam pes extremam senarii partem complet. Publilii autem versus, qui huc pertinent. cum ipsi tantum dubitationum habeant, ut vix uno versu Woelfflinus. Ribbeckius. Spengelius consentiant: ex Phaedro tantum exempla sumere licet, in quibus pes iambus quintae sedis deprehendatur. Sunt autem hi: I. 12, 12. edidisse dicitur. I. 16, 2. dare expetit. I. 19. 3. rogasset alteram. I. 19, 8. flagitare validius. I. 29, 6. III. 10, 19, 39. IV. 6, 7. 18. 3. V. 3, 8. Nec vero hinc etiam huius versus sive veniam sive iustam defensionem capiamus. sed magis eo inclinat animus, ut hic olim verbum lectum fuisse credam, ex quo illa corruptela cooriri posset. Quod non dubito quin fuerit imponere. Imponere, verbum illa aetate, ut videtur, vulgari coeptum significat idem, quod fallere, et cum dativo coniungitur. Cf. Cic. ep. ad Q. Fr. II. 5. sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis: cui tamen egregie imposuit Milo noster. Quint. declam. VI. 22. fefellit ingenitus honestis animis gloriae amor: spes tibi perpetuae laudis imposuit. Nep. Eum. V. 7. praefectis Antigoni imposuit. Petr. Sat. 102. Tac. Hist. I. 30. Plin. ep. III. 15. si modo mihi non imposuit recitatio tua. Sen. ep. III. 4 (25) 3. aliis haec intermissio eius imposuit. Cf. praef. p. 15. Versus haec erit sententia: Bonus vir cum in vita non fefellerit, ne in morte quidem fallere velit hereditate quemquam fraudaturus.

42. Proposuit Meyerus: B. c. nullum iudicem verebitur. Nescio an verba sic supplenda sint: B. c. casum nullum veretur. Fortunae vicem dixit Phaedr. fab. V. 1, 6. Hoc igitur docet sententia hominis innocentis bonam causam esse, ita ut nec iudicum sententias nec rerum momenta mirifice variantem saepe fortunam vereatur, sed quodcunque fuerit, aequo animo exspectet. Cf. Publ. L 8 (299). M 4 (312).

C 1. „Vitia communia et pervagata ferre, non notare solemus.“ Similis, sed diversa tamen illa sententia est, quam in ep. ad Laetam CVIII.

commemorat Hieronymus (cf. Gruteri de P. Syro mimo testim. Woelfflin. Proleg. p. 14). cod. O Veronensis Publilio tribuit. Cf. Publ. A 53.

2. „Consolandus est amicus, non obiurgandus in rebus afflictis“ Erasmus.

3. „Nunquam satis caveris. Aliquando nocendi est omittenda occasio, cavendi nunquam“ Erasmus. Cf. Cic. Off. I. 40. de invent. I. 27.

4. „Qui assueverit semper accipere, is putat iam sibi deberi quod datur, adeo ut si negaris, paratus sit eripere vi. Hoc ad principes peculiariter attinet.“ Erasmus.

5. „Aegroti intemperantia facit, ut medicus cogatur ad duriora remedia descendere, nempe sectionem aut ustionem et similia“ Erasmus. Cf. Sen. ep. XX. 6 (123) 17. nullam habet spem salutis aeger, quem ad intemperantiam medicus hortatur. Quint. II. 17, 25.

6. „Eius vita sit invisa oportet, cuius amici mortem optant“ Erasmus, ut ad v. o d e r u n t intellexisse videatur homines vel cives: quod omitti non debuit. Indicativus o d e r u n t recte se habet, sive sententiam sive numeros spectas. Hoc enim vult sententia, si cuius mortem avidius amici desideraverint, eius vitam civibus invisam putandam esse. Cf. Ennius apud Cic. Off. II. 7. quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit. Cic. pro Mil. 29. eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis. Quint. V. 14, 2. Sen. Oed. 243. queritur peremptum nemo, quem incolumem timet. Sen. de clem. I. 19, 6. 7. quid pulchrius est quam vivere optantibus cunctis et vota non sub custode nuncupantibus? si paullum valetudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum? — Cui sententiae nescio quid vernilius subesse videatur Grutero. Th. autem Fritzschius (cf. Ribbeck. Coroll. p. CII.) coniecit: C. m. a. e. filius v. oderat, cum nescio an spectaret Quint. IX. 3. 68. Bothius coniunctivum, quem vocant potentialem, explicat: odisse merito possunt. E x s p e c t a r e est cupide optare, desiderare cf. Ruhnken. ad Ter. Adelph. I. 2, 29 (ad Rut. Lup. I. p. 20). Penultimam in tertiae personae pluralis exitu perfecti correptam nec Phaedrus (cf. fab. II. 4, 24. III. 2, 19. III. epil. 24. IV. 15, 2.) nec Publilius fugit cf. Q 55 (555). S 26 (609). Cf. Woelfflin. Proleg. p. 56.

7. „Non est statim fidendum inimico. Facile dissolvitur benevolentia, at non facile sarcitur“ Erasmus. Cf. Pseudo-Sen. de remed. fort. XV. 1. (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 455): quomodo adversus feras munimenta conquireres, quomodo adversus serpentes, sic adversus inimicos auxilia circumspice, quibus illos aut arceas aut compescas aut quod optimum est, places.

8. „Magis nocet periculum his, qui neglegunt, quam qui cavent“ Erasmus.

9. „Pudica uxor hoc impetrat obsequio suo, ut quicquid velit faciat maritus et magis impetrat, cum obsequitur, quam cum exigit“ Erasmus. Cf. Eurip. ap. Stob. Flor. t. 67. 2. *πᾶσα γὰρ δούλη πέφυκεν ἀνδρὸς ἡ σώφρων γυνή.*

10. „Arrogantiam semper sequitur infamia. Et qui insolenter utitur gloria, incidit in ignominiam“ Erasmus.

11. „Ira praeceps est, prudentia sedata. Hac citius efficies, quae voles, quam violentia et ferocitate“ Erasmus. Cf. Sen. de ir. I. 11, 1: sed adversus hostes, inquit, ira est necessaria? nusquam minus: ubi non effusos esse oportet impetus, sed temperatos et obedientes. Nat. quaest. II. 43, 2. hoc sibi proponant, ubi aliquid percuti debet, ne Jovi quidem suum satis esse consilium. Quint. VI. 4, 10. quare bonus altercator vitio

iracundiae careat. 5, 11. illud dicere satis habeo nihil esse non modo in orando, sed in omni vita prius consilio.

12. Patientia cum summis veterum scriptorum laudibus efferri soleat, quod omnium dolorum unum fere, commune, certum remedium sit: nec alteri scripturae codicis H sapientia, cuius in ferendis doloribus angustiores partes sint, nec remedium librorum ei concedere debet, quod Bentleius proposuit remedio: quo dativo patientia inter alia quaedam dolorum remedia adiuvare, non sola omnes dolores tollere dicatur. Hinc versus sententiam recte assecutus est Erasmus sic interpretatus: „Omnis dolor lenitur patientia. Alia aliis malis sunt remedia et patientia commune est malorum omnium lenimentum.“ Cf. Plaut. Rud. II. 3, 71. nam animus aequus optimum est aerumnae condimentum. Verg. Aen. V. 710. quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est. Pseudo-Sen. de mor. 6.

13. „Qui sibi conscius semper timet supplicium, is cotidie damnatur“ Erasmus. Damnari dicitur propterea quod semper timeat, ne delicti poenam subeat: nemo enim potest significari nisi qui criminis alicuius sibi conscius est. Unde efficitur Nauckii emendatione, cum pro damnatur scribi malit exanimatur non opus esse (Mél. Gréco-Rom. III. p. 193). Cf. Sen. ep. XVI. 2 (97) 14. 16. multos fortuna liberat poena, metu neminem.

14. „Cum expedit esse malos, tum nocet esse bonos. Et cum praemium est male factis, tum bene factis poena est“ Erasmus.

15. Qui fecerunt, inquit Gruterus: „C. non fortis pote nec ingenuus pati“ proxime quidem accesserunt ad libros quosdam scriptos, sed longius ab illis membranis, in quibus erat expresse: Contumeliam nec facere fortis potest nec ingenuus pati et elegans est oppositio pati ac facere. Mihi quidem facere glossema videtur. Neque enim patet quibus in membranis illud facere sit, nec ea oppositio esse potest, ut contumeliam ut fortis non facere, ita ingenuus non pati dicatur. Nam ea elatio animi, quae cernitur in periculis et laboribus, quae fortitudo appellatur, saepenumero ita cupiditate sua impellitur, ut audaciae potius nomen habeat quam fortitudinis. Quo fit, ut vir fortis, quantum in ipso est, non semper contumeliam inferre reformidet. Cf. Cic. Off. I. 19. Contra illud evidens est virum fortem nunquam ipsum solere contumeliam sibi impositam ferre: id enim non viri fortis. sed ignavi est. At poëtam non de facienda. sed patienda contumelia dicere voluisse existimo. Itaque conclusione usus est, ita ut sententia omnibus probata priore alteram comprobaret posteriorem, perinde ac si dixisset: Ut virum fortem contumeliam pati non posse nemini non patet. quod cum fortitudine pugnaret: sic ne ingenuus quidem homo contumeliam pati potest, quippe qui ad omnem honestatem institutus sit. Eadem demonstrandi vel probandi ratione poëta usus est in aliis sententiis, quae nisi ut diximus acciperentur, futiles essent Publ. N 35 (411). N 57 (433). Cf. Seyfferti Schol. Lat. tom. I. p. 63. §. 36. Ribbeckius quidem affert Sen. Controv. III. praef. p. 200. ed. Bip. homo summae probitatis, qui nec facere iniuriam nec pati sciret: sed idem Sen. Controv. IV. 24. p. 268. ed. Bip. non potest generosus animus contumeliam pati, quae sententia repetitur in Sen. Excerpt. Controv. IX. 1. p. 474. ed. Bip. Homo autem ingenuus intellegitur qui et liber natus et liberaliter educatus est. Cf. Cic. Fin. III. 17. de orat. I. 31.

16. Probarem Bentleii emendationem bonae notae libris confirmatam, si conscientam animi bonam significari constaret. Sed Publilii locos si excussero, omnibus per se posita conscientia vel adiecto animi semper mala intellegenda est C 33 (118). H 25 (227). O 8 (443). S 49 (683).

Cf. Phaedr. fab. III. prol. 47. V. prol. 7. Bentl. Nec me fugit conscientiam animi mediam quam vocant vocem esse, qua et bona et mala indicari possit, ut docet Cic. pro Mil. 23.: magna vis est conscientiae, indices, et magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint: sed tamen utra ubique vis et potestas sit, ex ipsa sententiarum ac verborum notione solet significari. Ut Phaedrus ipse II. epil. 11. dixit conscientiam laudis, ita Seneca de tranq. anim. III. 4. bonam conscientiam. Quid quod etiam Caec. Balbi loci, quem scriptum videmus p. 39. Par. 17. „superat conscientia, quicquid mali (scr. mala) confinxerit lingua“ facile sententiam assequemur, cum viam nobis monstret lingua mala, cui oppositam intellegemus conscientiam bonam. Cf. Caec. Balb. Sent. 180. Quae cum ita sint, in scriptura nullius latere nimias videtur. Unde haec exsistit sententia: Qui sceleris vel facinoris sibi conscius culpam confitetur, immodicas pluresque quam quas probes aut audias, invenire solet preces, quibus culpam aut deprecetur aut excuset. Cf. Curt. VI. 10, 1. tum Philotas, verba, inquit, innocenti reperire facile est, modum verborum misero tenere difficile.

17. „Non est diuturna malorum felicitas“ Erasmus.

18. Erasmus quidem suam scripturam ita interpretatur: Satius est contemni ob virtutem, quam stultum quid agere. De qua interpretatione vide Swedberg. ad Publ. v. 129. Mihi quidem poëta nihil aliud videtur dicere voluisse nisi contemni gravius esse quam vapulare. Quam sententiam cum librarius nescio quis illi simillimam esse meminisset, quae in Salomonis proverbiis XVII. 10. scripta esset: aut in margine adscripsit aut scripturae sacrae loco abusus interpolavit. Nam ne poëtam dixisse credamus contemni sapienti gravius esse, quam virgis percuti, vulgaris aetatis illius de sapientis moribus opinio obstat, cum vere sapiens hominum contemtum nihil timendum esse censeret. Cf. Sen. ep. II. 2 (14) 11. haec (philosophia) quieta et sui negotii contemni non potest. VIII. 2 (71) 7. si vis, inquit, beatus esse, si fide bona vir bonus. sine contemnat te aliquis. XVIII. 2 (105) 1. ex omnibus istis adeo levissimum est contemptus. Prov. 97. Sent. falso inter Publ. recept. 244. Sed ut hic nulla sapientis mentio esse potuerit, ne stultus quidem locum obtinere potest. Neque enim dubito quin stulte, quod in codice Basiliensi est, corruptum sit ex fuste aut fusti (cf. Plaut. Asin. II. 4, 21. cum fusti est ambulandum. Capt. IV. 2, 116. fusti plectito, ubi Taubmannus fusti pro fuste vid. Leop. Schneideri Formenlehre d. lat. Sprache Berl. 1819. p. 229). Licuit hic subsistere atque versum ita reponere: c. gravius est quam fusti percuti, nisi et v. est arsi elata et corruptela stultitiae vel stultitia suspicionem moveret. Nam ea interpolationis ratio cum apud Publilium usitatissima sit, ut verba ex grammatica structurae ratione transposita sint verborumque ordo in hoc versu is fuerit ut ita sese exciperent: fustibus quam percuti: factum est, ut primum scriberetur: quam fustibus percuti, post pro fustibus mutaretur in stultitiae vel stultitia. Dici quidem solet, cum fustuarium supplicium militare significetur, singulari numero fuste vel fusti percutere (cf. Petron. Sat. 70): sed poëtam, cum de quovis verberandi modo diceret, eo dicendi genere de industria abstinuisse crediderim. Neque rarus numeri pluralis usus est cf. Cic. Verr. IV. 43, 94. male mulcati clavis ac fustibus repelluntur. Quint. IX. 2, 12. an ab reo fustibus vapulasset. Lamprid. Alex. Sev. 51. aut fustibus subiciebatur in conspectu eius aut virgis. De sententia cf. Sen. ad Helv. de consol. XIII. 9. Scio quosdam dicere contemptu nihil esse gravius. Quint. VI. 2, 23. ut cum in maledicto plus iniuriae, quam in

manu, in infamia plus poenae dicimus, quam in morte. ibid. XI. 1, 53.

19. „Semper aetas vergit in peius. hoc est mores hominum in dies magis ac magis degenerant“ Erasmus. Equidem sententiam sic intellego: Quodcunque assequi volueris, id primo quoque tempore, cum aetatis viribus floreas, fac assequaris. Cf. Paroemiogr. Gr. ed. Schneidewin. et a Leutsch. tom. I. p. 202. Diogenian. tom. II. p. 54.: *ἀεὶ τὰ πέρυσι βελτίω.* tom. II. p. 57. Greg. Cypr. I. 17. Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Sen. de brev. vit. IX. maxima porro vitae iactura dilatio est. Sen. Hippol. 773. horaque semper praeterita deterior subit. Nos: Wir kommen so jung nicht wieder zusammen. Contrarium discas ex Publ. D 1 (123).

20. „Iucundus confabulator facit, ut non sentias viae taedium, perinde ac vehiculo porteris“ Erasmus. Cf. Sen. de brev. rit. IX. 5: quemadmodum aut sermo aut lectio aut aliqua intentior cogitatio iter facientis decipit etqs. Ovid. ep. ex Pont. II. 10, 35. Ut Goethius (Sprüche in Prosa tom. III. p. 174): Ein lustiger Gefährte ist ein Rollwagen auf der Wanderschaft.

21. „Videtur accusare vitam, qui mortem appetit“ Erasmus. Cf. Sen. Excerpt. Controv. VIII. 4. p. 469. ed. Bip. nescio cuius criminis sibi conscius confugit ad mortem. Epicurus quidem suos mortem et concupiscere et sibi consciscere vetuerat: qua de re cf. Sen. de vit. beat. XIX. 1. ep. III. 3 (24) 22. X. 2 (78) 26. Sen. Herc. Oct. 889. nocens videri qui petit, mortem cupit. Quint. VII. 4, 39. an is demum prohibendus sit, qui mori vult, ut se legum actionibus subtrahat.

22. Imprudens h. l. intellegitur eius ipsius liberalitatis, qua contra eum ingenuus utitur, rudis, ignarus, imperitus, ut apud Sen. ep. XIV. 2 (90) 33. sapienti opponitur, apud Phaedr. fab. I. 22, 12. imprudentes rerum nescientes. Ingenuitas autem animi est liberalitas ex honesta educatione cf. Schuetz. Lex. Cic. v. Praepositio c o n t r a non idem quod i n vel e r g a significat (cf. Plin. NH. VIII. 7, 7. Hand. Tursell. II. p. 118) sed propriam vim et potestatem retinet, ex qua animus alienus et adversarius indicatur, proinde ac si ita dixerit poëta ab imprudente sic se defendere, ut nimis honeste ac liberaliter eum habeat, ea non ingenuitas, sed stultitia est. „Vix aptum huic loco ingenuitas. Malim impunitas vel quiddam simile“ Bothius.

24. Debilem viribus aut inermem opprimere crudelitatis est, quae virtutem mentitur. Cf. Sen. Troad. 755. 756. hoc est pectoris facinus tui, nocturne miles, fortis in pueri necem. Quint. IV. 2, 55.

25. Sententia Publiliana sinistram illam doctorum hominum mentem perstringi, qua quamvis docti sint tamen consilium ad rem expediendam aptum adeo invenire non possint, ut iuniores vel indocti eo genere plus sapiant, propterea nego, quod totius antiquitatis opinioni contraria videtur cf. Hom. Il. III. 108. Plaut. Most. V. 2, 27. sapere istac aetate oportet, qui sunt capite candido. Cic. Cat. Mai. VI. 20. temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis. Publ. Q 54 (554). Scilicet quaedam proverbia, quae id proclamant, Francogallorum Henricus Stephanus in eo libro affert, quem scripsit sur la précellence du langage Français (à Paris a. 1559): „Un fol avise bien un sage“ vel: „Au defaut d'un sage monte un fol en chaire“. Nec magis Gruteri sententia placet, quam sic interpretatur: „Multi homines consiliorum quidem copiam inveniunt; sed cum non possint optimum ex tanta copia eligere: iis opus est consultore quodam docto, qui ipsis consilium optimum monstret“. Quare respici putat ad Publ. H 27 (229). At quid, quaeso, consultore opus est iam invento consilio? Iam vero adiectivum d o c t u s cum apud comicos latinos tum apud Plautum saepissime callidum, astutum, sollertem, sapientem

significat cf. Epid. III. 3. 47. minus hominem doctum minusque ad hanc rem callidum. Pseud. I. 3, 151. ad eam rem usu'st hominem astutum, doctum, scitum et callidum. I. 5. 70. 113. II. 4. 35. 39. IV. 1. 3. tam doctum hominem atque astutum. IV. 8, 6. Pers. IV. 3, 11. 45. Asin. III. 1, 22. Trin. II. 2, 99. Cas. III. 1, 15. (Sen. Troad. 886.). Hinc apud eundem indoctus est stultus, stolidus, insipiens cf. Plaut. Pers. II. 1. 1. Pseud. I. 2, 72. (Sen. ad Marc. de consol. VII. 3. de benef. II. 17, 4.). Itaque si docte, idem est ac si dicas: recte, scite, callide aliquid facere cf. Plaut. Pseud. II. 4, 75. IV. 1, 31. 7. 63. 108. Rud. IV. 2, 23. Stich. IV. 1. 55. Eademque significatione hoc adverbio utitur Publilius Q 44 (544). Explicare i. e. expedire, exsolvere, liberare, ut apud Plaut. Pseud. IV. 1. 18. pulchre ego hanc explicatam tibi rem dabo. Petron. Sat. 79. tandem expliciti acumine Gitonis sumus. Sen. Agam. 308. 309. ut rerum statum dubium ac minacem iuncta consilia explicent. Haec igitur versus sententia est, saepe multos unius sapientis ac consulti hominis consilio ex angustiis satis scite ac probe se liberare unumque illum ceteris multo acutius videre. Sic deam Fortunam centum doctorum hominum consilia devincere dicit Plaut. Pseud. II. 3, 12. 13. Cf. ibid. II. 1, 1. Ter. Ad. III. 2, 1—3. Phaedr. fab. IV. 5, 47. 48. ita quod multorum fugit imprudentiam, unius hominis reperit sollertia.

26. Additum videtur quicquam, ut maiore vi efferatur, quod pronomine quid dici solet, perinde ac si dicas: „minimam rem“. Quod ne particula post quicquam recessit, factum est, ut in VH transponeretur, in F omitteretur. Iam vero verborum ordo eo perturbatus videtur, quod verbum coeperis in versus exitu positum ex grammatica ratione ad ne vel quicquam adscitum est. Qua verborum permutatione vel perversione nihil in Publilii versibus constituendis solemnius est: cuius rei luculentum exemplum vides F 26 (191). Cf. praef. p. 14. Raro quidem coepisse coniungitur cum accusativo, quem vocant, obiecti, coniungitur tamen cf. Plaut. Cas. III. 5, 57. nam cur non ego id perpetrem quod coepi. Sil. Ital. XV. 418. novam coepere mapalibus urbem. Post autem, quod in codicibus invenitur, sed a Bothio numerorum causa in postea mutatum est, recte videtur se habere. Hoc enim inter post et postea interesse puto, quod significet postea incertum nescio quod tempus praeteritum, post id significet, quod factum aliquod statim subsequatur. Hinc quod post poeniteat, est quod post coeptum statim poeniteat. Cf. Plaut. Asin. II. 2, 58. fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum. Ter. Hec. V. 1, 4. videndum est ne quid faciam plus, quod post me minus fecisse satis sit. Phorm. III. 3, 21. ne quid plus minusve faxit, quod post pigeat, Geta. Verg. Aen. II. 216. post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem corripiunt. Similem Periandri sententiam scriptam legimus apud Diog. Laërt. I. 97. πρᾶττε ἀμεταμέλητα. Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Pseudo-Sen. de mor. 7.

27. Rectius h. l. bene dicunt divisim scribitur, quo bene et bona sibi opponantur. Plaut. Mil. IV. 8, 31. Cic. pro Sest. 52. Ovid. Trist. V. 9, 9. Ceterum bene monosyllabum pronuntiandum est, ut in beneficium (cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. Act. Petrop. III. p. 204). Neque enim vulgo in senarii quarta neque in secunda sede anapaestus apud Publilium admittitur, nisi qua vocabula pronuntiationis excusationem habent. Eius modi hi inveniuntur versus Publ. B 4 (47) bonum est fugienda. F 21 (186) falsum maledictum. I 6 (235) inopi beneficium. L 6 (297) lucrum sine damno. M 19 (327) mala est medicina. P 6 (455) pudorem alienum. P 44 (493) probo beneficium. S 24 (607) semper metuendo. S 37 (620) semper metuendum est. Sunt igitur litterae potis-

simum vocales i et u. quae pronuntiatione tanquam per synaloephen delitescunt. Cf. ad Publ. B 29 (72). Apud Phaedrum quidem haec vocabula. quibus anapaestus inclusus est. in secunda senarii sede posita inveniuntur: I. 5. 10. afficietur. II. 4, 9. insidiosum. II. 5, 1. ardelionum. II. 8. 1. nemorosis. III. 19, 5. circueunti. IV. 2. 7. interiora. IV. 5, 8. condicione. IV. 16. 10. quia vitam. V. 7, 17. incipiebat. Populi bona non possessiones, quales agri sunt vel pecuniae. sed voluntas et favor intellegenda sunt. quibus superantibus populus sua beneficia conferre solet. Cf. Quint. VI. 1. 52. nam ex his, si bene diximus reliqua. possidemus iam iudicum bona. VIII. 3. 89. quid facies. cum in bona tua invasero? hoc est, si te docuero nescire maledicere? Caes. BC. I. 9. Cic. Cat. III. 11, 26. IV. 11, 23. Hinc haec versus sententia est: Cui populus bene loquitur, huic bene facere consuevit. Cf. Ter. Ad. V. 4, 11. sibi vixit. sibi sumptum fecit: omnes benedicunt. amant.

28. Si cui saepe irasci molestum sit. id age, ut semel, sed iusta causa et opportuno tempore locoque iratus abeo poenas repetas. De sententia cf. Publ. P 53.

29. Iure durus. asper, humanitatis expers habetur. qui miseri questu non movetur. sed delectatur. Cf. Ovid. Met. VI. 280. Quint. VI. 1, 44.

30. Aliud vel alias res agere significat animum ab iis, quae aguntur. habere aversum. Cf. Sen. Controv. praef. I. ed. Bip. p. 60. saepe, quod quaerenti non comparuit. aliud agenti praesto est. Sen. ad Polyb. de consol. XI. 11. 1. ep. I. 1. 1. XV. 3 (95) 69. Quint. I. 1. 35. X. 3, 25. Demosthenes melius. qui se in locum. ex quo nulla exaudiri vox et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Sententia docet animum ab iis, quae aguntur. rebus aversum atque aliis intentum etiam oculorum aciem retundere. Cf. Cic. Tusc. I. 20, 46. viae quasi quaedam sunt ad oculos. ad auris. ad naris a sede animi perforatae.

31. Nullo non tempore securitati prospiciendum est. Cf. Publ. M 51 (359).

32. Amans sic mente captus videtur. ut si ad sanam mentem redire velit. exuere debeat amorem. Hinc apud Ovid. Am. I. 2, 31. bona mens ipsa in Amoris triumpho manibus ducitur post tergum revinctis. Cf. Publ. A. 15. 22.

33. Tanta facinoris conscientia est, ut quamvis nihil ex eo restet. quod curationis indigeat. tamen ipsa maleficii cogitatio quasi sempiternum quendam vulneris alicuius sensum animo iniciat. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 187 (116). Plut. de tranq. 19. *ἡ σύνεσις . . . . οἷον ἕλκος ἐν σαρκὶ τῇ ψυχῇ τὴν μεταμέλειαν αἱμάσσουσαν ἀεὶ καὶ νύσσουσαν ἐναπολείπει.* Ribbeck. Coroll. p. XCVII.

34. Cuivis — cuiquam Sen. de tranq. anim. XI. 8. Publilius tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit. inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora et hoc ait: cuivis p. a. q. cuiquam p. Idem ad Marc. de consol. IX. 5. Quicquam tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri. quod multis vides evenisse? Egregium versum et dignum qui non e pulpito (sic Haupt. in ind. schol. Berolin. aest. 1866. p. 5. librorum scripturam populo emendavit) exiret: cuivis p. a. q. cuiquam p. cunctis — cuiquam FVH, quod dubitat Woelfflinus an retinendum sit. improbante Ribbeckio. Opponuntur pronomina cuivis et cuiquam: ille semper et ubique est. hic non est, sed esse potest. Cf. Zumpt. Gram. lat. §. 709b. Itaque hoc dicit poëta nihil esse, quod cum uni acciderit. singulis accidere non possit. Nemo hominum infirmitatis casibus non est obnoxius:

hodie mihi, ut est in proverbio, cras tibi. Cf. Sen. ep. VIII. 2 (71) 26. XVI. 3 (98) 14. XVII. 1 (101) 7.

35. Nisi re probaveris scripsi de coniectura, cum saepissime his in Publilianis versibus vocabula, quae minoris ad sententiam momenti essent, a librariis praetermissa videam. Re i. e. facto, durch die That, verbo credendi opponitur. Cf. Ter. Andr. V. 1, 5: ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes. Heaut. 1. 1. 34. aut consolando aut consilio aut re iuvero. Ovid. Met. III. 349. exitus illam resque probat. Cic. Verr. IV. 13. 31. re probatos. Planc. ap. Cic. Fam. X. 11. me, si quem voluisti, eum exitu rebusque cognoscis, defende ac suscipe. Liv. II. 65. clamorem res est secuta. „Nemo amicus certus nisi re probatus“. Cf. Cic. Lael. XVII. 64.

36. Tanta est hominis felicis fiducia, ut vix deum sibi parem credat. Cf. Publ. D 24 (146). Sen. ep. IX. 2 (73) 12: sic deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate. Apud Hannibalem Samnitium legati sic loquuntur (Liv. 23. 42): tua nos . . virtus fortunaque . . . ita conciliavit tibi, ut te salvo atque incolumi amico non modo populum Romanum, sed ne deos quidem iratos, si dici fas est, timeremus. Contra ea Sen. ep. XVII. 1 (101) 5: Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt.

37. Nihil tam improbum est, quod non, ut faciat avarus, pecunia efficere possis. Da semissem, gladiatorem habebis.

38. Viri boni, quem eundem sapientem appellant, virtus non potest maior aut minor fieri: unius staturae est. Nihil interest, utrum Pharsalica acie Cato vincatur an vincat. Cf. Sen. ep. VIII. 2 (71) 8.

39. Aut sine missione ad certam usque mortem pugnandum aut victae manus dandae sunt.

41. Hunc Woelfflinus Publilii I 1 (230) esse putat immerito. Cf. Meyer. Act. Mon. p. 549. v. 34. Periculosum est inferiorem detegere velle, quae sedulo tegere studeat superior.

42. Adversis dativus est cf. Publ. C 12 (96). Consilium prudens misero datum quasi medici quoddam est remedium aegroto adhibitum.

43. Ut uni et plures recte inter se componi videntur [cf. Publ. Q 35 (535)]: ita nomen amici, in quo primaria sententiae notio inest, ad utrumque referendum est.

44. Contubernium singulariter usurpari solet cf. Sen. nat. quaest. IV. 1, 2. ep. II. 8 (20) 10. (fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 460). VIII. 1 (70) 17. XII. 3 (85) 41. XVIII. 1 (104) 20. 4 (107) 3. Vid. Forcellini. Lex. Pluralis legitur apud Plin. NH. XI. 11, 10. si speratur largior proventus, adiciuntur contubernia et fucis, et apud Veget. II. 13. rursus ipsae centuriae in contubernia (Quartiere) divisae sunt. Cf. Sen. de. clem. II. 6, 4. misericordia vicina est miseriae: habet enim aliquid trahitque ex ea. Sent. falso inter Publ. recept. 194 (205). Petron. Sat. fragm. 42 (p. 222. ed. Buecheler.): funera coniungunt miseros orbique parentes coniungunt gemitus et facit hora pares.

45. Si cui stulto saepius delicta ignoveris, ex stulto improbum reddas. Cf. Publ. S 9 (592).

46. „Hunc versiculum adscripsi ex Gellio. Cui plus permittitur, quam aequum est, is plus sibi sumit, quam oportet. Hoc convenit in tyrannos et uxores.“ Erasmus. Varie luserunt veteres similibus sententiis. Ut Woelfflinus comparat Sen. Troad. 337: Minimum decet libere, cui multum licet, et Hippol. 214: quod non potest, vult posse, qui nimium potest: sic comparare licet Sen. Agam. 270—272: nobis maligni iudices, aequi sibi, id esse regni pignus putant, si quicquid aliis non licet, solis licet, et Oct. 454. id facere laus est, quod decet, non quod licet. Sall. Cat.

51, 13. ita in maxima fortuna minima licentia est. Sen. de ir. II. 21, 6. ideo unicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est.

D 1. „Cotidiana rerum experientia reddimur prudentiores" Erasmus. Cf. Publ. C 19 (103). Liv. 22, 39. meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit.

2. „Cum amicus afflictus eget auxilio, tum obiurgare non est officiosum, sed damnare est. Primum eximendus est calamitate, postea obiurgandus, quod sua culpa in eam inciderit" Erasmus.

3. Parare bellum dicitur, qui bellare parat vel bellum moturus est apparare bellum, qui ea, quae bello administrando opus sunt, providet et comparat. Cf. Liv. 7, 20, 2. Drakenb. Quint. XII. 3, 5. „Qui in aggrediendo nimium properant. aliquando tardius conficiunt. Mora in apparando non dispendium est, sed lucrum ad negotium cito conficiendum" Erasmus.

4. Non dubito, cum et in iis, quae in Pb aduotata sunt, legam in libris quibusdam scriptum fuisse cum ingratum hominis et in PR scriptum videam hominis, quin haec vera sit scriptura et interciderit nomen, ex quo genetivus penderet. Atque id ipsum cumulum fuisse ex eo suspicor, quod sequente particula cum ipsum nomen facile videtur praeteriri potuisse. Quid autem sit cumulus, bene exposuit Quintilianus VII. praef. 1. „ut opera exstruentibus satis non est saxa atque materiam et cetera aedificanti utilia congerere, nisi disponendis iis collocandisque artificum manus adhibeatur: sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congestum, nisi illas eadem dispositio in ordinem digestas atque inter se commissas devinxerit. Recte interpretatur Gesnerus in Thes. molem congestam, acervum, speciatim illum acervum, qui in rebus aridis ultra plenam et exaequatam mensuram assurgit. Hinc etiam perorationem eloquentiae magistri quidam dixerunt cumulum cf. Quint. VI. 1. 1.: peroratio sequebatur, quam cumulum quidam, conclusionem alii vocant coll. Quint. VIII. 3. 88. Quare cumulus dicitur id quod in rei apice vel acumine altissimum est, res summa vel extrema, ut nostro sermone dicimus das Höchste vel Aeusserste vel etiam die Krone. Ut dixit Cic. pater ep. ad Fam. XIII. 15. cumulum commendationis meae, Cic. filius ep. ad. Fam. XVI. 21. cumulum gaudii; Ovid. Met. XI. 206. perfidiae cumulum, XIV. 472. cumulum cladis; Plin. NH. XIII. 1, 17. nunc dicetur cumulus ipse deliciarum et summa auctoritas rei; Sen. Hippol. 1117. malorum maximum hunc cumulum reor. De maledicto cf. Plaut. Curc. IV. 2, 27. indignis si male dicitur, maledictum id esse dico. Quint. VI. 2, 23. ut cum in maledicto plus iniuriae, quam in manu; in infamia plus poenae dicimus, quam in morte. Est igitur maledicti cumulus summum ac gravissimum convicium. Maledictum dicere formula dicendi etymologica, qua usus etiam est Plaut. Pseud. I. 3, 138: sed quamquam multa malaque in me dicta dixistis mihi coll. Rud. IV. 7. 24. Eas comicis in deliciis fuisse multi loci probant: servitutem servire Plaut. Capt. III. 4, 12. Mil. II. 1. 17. II. 6, 2. III. 1, 147. Pers. I. 1. 7. 35. Rud. III. 4, 42. Trin. II. 2, 21. 23. facta facere Mil. III. 1, 136. vitam vivere Pers. IV. 3, 24. coenam coenare Rud. II. 6, 24. vomitum vomere Rud. II. 6, 27. somnium somniare Rud. III. 1, 5. praedam praedare Rud. IV. 7, 16. obsonium obsonare Stich. III. 1, 36. gaudia gaudere Ter. Andr. V. 5. 8. donum donare Eun. II. 3, 64. Iam vero si ea sequimur, quae in Pb adnotata sunt, tres potissimum huius versus scripturas exstitisse credendum est, unam hanc: Dixeris maledicti cumulum, cum ingrati hominis dixeris, alteram hanc: D. maledicti cumulum, cum ingratum hominem d.,

tertiam hanc: D. maledicta cuncta, cum ingratum (ingrati) hominem (hominis) d. Quarum tertia videtur ex praecedentium altera utra ita corrupta esse, ut pro cumulum vel per errorem vel per interpolationem scriberetur cuncta: quo facto etiam reliqua mutata sunt. Restant duae priores scripturae, quarum quidem ipsam priorem anteferre non dubito, ut ingrati hominis, quod PR exhibent, vera habenda videatur. Ut enim genetivorum alter maledicti ex v. cumulum, sic alter ingrati hominis ex v. maledictum pendet, ut plena haec oratio sit: Dixeris maledicti cumulum, cum ingrati hominis maledictum (nos: „das Schimpfwort: undankbarer Mensch!") dixeris. Quae si vere disputata fuerint, huius versus sententia haec erit: „Gravissimum maledictum ieceris. si quem ingrati hominis infamia notaveris". Interpretatur Erasmus: „Ingratitudo omnia vitia in se complectitur. Nullum igitur convicium dici potest contumeliosius". Cf. Xen. Cyrop. I. 2, 7. *οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν καὶ περὶ γονέας καὶ πατρίδα καὶ φίλους· ἕπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ καὶ ἡ ἀναισχυντία.* Sen. de benef. IV. 27, 4. nemo non ingratus est, qui malus. habet enim omnia nequitiae semina coll. Sen. de benef. III. 6, 2. Quint. VII. 4, 37. 38. XII. 7, 11. Caesarem quoque narrant, cum primum se uni ex veteranis in iudicio ipsum affore negasset, tandem in advocationem venisse, cum erubuisset veritus, ne non tantum superbus, sed ingratus videretur. Cf. Macrob. Sat. II. 4 (ed. Bip. I. p. 344). Caec. Balb. Fragm. Lindenbr. ed. Woelfflin. p. 13, 2. Io. Saresb. Policr. III. 14. ap. Caec. Balb. p. 10, 29.

5. Particulis negativis non aut ne locum negat, quem Woelfflinus attulit, Quintilianus I. 5, 50 (et ne ac non adverbia: qui tamen dicat pro illo, Ne feceris, Non feceris, in idem incidat vitium, quia alterum negandi est, alterum vetandi). Publilium vero neque particula vetandi ne cum praesenti (cf. Madvig. Gram. lat. §. 386) aut perfecto coniuncta usum esse, sed aut noli cum infinitivo (cf. Publ. N 48 (424) aut cave cum praesenti (cf. Publ. C 26 (111). C 35 (120) coniunxisse, negandi autem particulam non etiam cum vetetur non usurpasse reperio, nisi cum imperandi modus, qui Publilio coniunctivus praesentis est, vetandi modo opponatur. Cf. Publ. A 58. F 11 (176). Praeterea praesentis coniunctivo, quo vetetur, ita utitur, ut vetandi particula pronominibus nil aut nullus exprimatur cf. Publ. N 47 (423). N 62. Quae cum ita sint, pro non, quod in libris est, scribendum puto noli, nisi forte scribere mavis: cave loquare. Sed ea ipsa librorum discrepantia, ut partim loquaris, partim loqueris, partim loquares, partim loquere praebeant, eo ducit, ut noli loquier verisimilius esse videatur. Neque enim dubium est, quin cum alii optimae notae poëtae infinitivi in ier exeuntis formam non defugerint (cf. Neuii librum, quem inscripsit Formenlehre der lat. Sprache tom. II. p. 309. Ramshorn. Gram. lat. §. 62. 5 h.) ne Publilius quidem ab ea abhorruerit. Cf. Publ. H 11 (213). P 53: quamquam eo loco dubitationem movit Meyerus (cf. Spruchv. p. 52). Male loqui idem est atque male dicere cf. Plaut. Truc. II. 2, 10. Ter. Phorm. II. 3, 25. male autem cogitare significat consilium adversus aliquem agitare. Cf. Sen. ep. I. 9, 8. Publ. M 27 (335). M 39 (347). M 61 (369). P 8 (457). Hinc versus sententiam ita explicat Erasmus: „Si cogitas nocere inimico, cave loquaris male, cavebit enim ille. Stultum est igitur maledicere. Nam si amicus est, inique facis, sin inimicus, minus illi nocebis". Cf. Sen. Med. 154: professa produnt odia ivndictae locum.

6. „Tutissimum est lentas esse consultationes. Nam praecipitata consilia plerumque sunt inauspicata" Erasmus.

7. Quo non est qua re, ut videtur Orellio et Schwarzio interpreti

sic explicanti: wenn ihm die Nahrung fehlt (cf. Sen. Herc. Oct. 448) sed in quem locum, in quam partem vel quorsum. Cf. Ovid. Trist. II. 67. 68. nec quo . . . crescere possit habet. Quint. VIII. 5, 26. nihil ad iustam magnitudinem adolescere potest, quod loco, in quem crescat caret. „Cum malum venerit ad summum, tum necesse est, ut fiat remissius" Erasmus. Similiter Sen. Agam. 697. nec si velint saevire, quo noceant, habent; et Theb. 198. 199. cuius haud ultra mala exire possunt, in loco tuto est situs. Sen. ad Marc. de consol. XXIII. 3. 4. quicquid ad summum pervenit, ad exitum prope est. Nat. Quaest. VII. 9, 3. venti si ad summum venerunt, remittuntur omni violentia. ep. IX. 3 (74) 11. quod non pervenimus ad illud bonum immensum et insuperabile, ubi necesse est resistat voluntas nostra, quia ultra summum non est locus. Quint. VIII. 4, 7. hoc augendi genus est tantum aliquid efficere, ut non possit augeri.

8. Recepimus Pithoei emendationem, quae quamquam habet quod improbes tamen ad probabilitatem maxime accedere videtur. Versus sententia haec est: „Feminae si quid dolo assequi volunt, quae mentiuntur, non loquendo, sed flendo proferunt. In mendacium non multum ab eo differre videtur, quod Ribbeckius scripsit: illud est enim ad rem effingendam, hoc ad rem fictam fletus fundere. Cf. Sen. ad. Marc. de consol. X. 6. de vit. beat. XXVI. 5. ep. II. 8 (20) 7. V. 1 (42) 1. XV. 3 (95) 1. Sua Erasmus sic interpretatur: „Id est femina nunquam hoc dediscet". Restat ut aliorum virorum doctorum coniecturas afferam. Buechelerus quidem coniecit: Decenter flere feminaest mendacium, probante Ribbeckio, praeterquam quod pro decenter mavult decore. Cf. Ovid. A. A. III. 291. discunt lacrimare decenter. Dubitat Ribbeckius an poëta scripserit: Didicere f. f. at mendaciumst. Andreas autem Spengelius proposuit: Didicere flere feminae mendacium, non male, si quidem dixit Hor. Ep. XIV. 11. testudine flevit amorem, vel Columella X. 350. feralia carmina flere. De sententia cf. Publ. M 35 (343). Petron. Sat. 17. 42. Sen. fragm. III. p. 429. ed. Fr. Haasii. Caec. Balb. p. 26. Mon. XVII. 5 (Sent. 67).

9. Comparat Woelfflinus Publ. E 18 (164) „unde liquet discordia esse ablativum instrumenti, non comparationis". Erasmus haec: „Amantium irae amoris integratio est". Qui versus Terentianus (cf. Andr. III. 3, 23) falso inter Publilianos receptus est. Cf. Publ. A 37.

10. Mihi nec diu nec saepe verum, sed ex interpretamento eius adverbii numeralis ortum videtur, cui semel respondeat. Cf. Meyer. p. 9. 26. Saepissime enim et apud comicos et apud alios scriptores numero denario tanquam proverbii loco multa et incerta quaedam repetitio indicatur, ut decem, deni multos, decies saepenumero significet. Cf. Plaut. Amphitr. II. 1, 27. equidem decies dixi. Aul. I. 1, 31. decies die uno. Poen. I. 2, 124. haud semel, sed decies iurasti mihi. Stich. III. 1, 25. 2, 45. Truc. II. 4. 22. 6. 8. pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. (Plaut. Pseud. IV. 2, 17). Ter. Heaut. III. 1, 42. Prop. II. 3, 8. Mart. Epigr. XII. 56, 1. aegrotas uno decies aut saepius anno. Sen. de clem. I. 4, 1. suam itaque incolumitatem amant, cum pro uno homine denas (Lips. „immo vel tricenas, si opus, et tot habuerunt) legiones in aciem deducunt. Versus sententia fere eadem videtur, quam expressit Sall. Cat. I. 6. et priusquam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est. Erasmus haec: „De quo non potes nisi semel statuere velut de matrimonio, de sacerdotio, de hoc diu deliberandum est, priusquam aggrediaris". Sententia multum apud scriptores agitata. Cf. Caec. Balb. p. 18. Mon. I. 5 (Sent. 57) coll. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 57. Sen. de clem. II. 1. 2. ep. VIII. 2 (71) 2. Mart. Dum. de form. hon. vit. II. 4. (Fr. Haasii Sen. fragm. vol. III. p. 469. Weidener. progr.

Parthenopol. 1872. p. 21. 22.). Quod Bothius scripsit: Diu deliberandum, st. c. s., commendavit Hauptius, id etsi ex dilibcrandum ortum explicari possit, tamen improbandum videtur, quod et ea corruptela rarissime ipsum initium versus insidet et diliberandum pro deliberandum scribendi error tam solitus est, ut non maiore emendandi molimine egeat. Cf. Publ. D 8 (130).

11. „Ne facile credas accusanti quempiam" Erasmus. Cf. Plaut. Pseud. I. 5, 12. Sen. de clem. I. 20, 2. Plin. Paneg. 34.

12. „Tum optimum est mori, cum adhuc dulce est vivere" Erasmus. Cf. Publ. M 5 (313). Ter. Eun. III. 5, 3. 4. Sen. ep. VI. 2 (54) 7. illum lauda et imitare, quam non piget mori, cum iuvet vivere. Sen. ad Marc. de consol XX. 1. ad. Polyb. de consol. IX. 9. est, mihi crede, magna felicitas in ipsa felicitate moriendi. Pseudo-Sen. de remed. fort. IV. 1. Mart. epigr. XI. 56. 15.

13. „Lucrum cum iactura famae damnum est, non lucrum" Erasmus. Cf. Menand. Monost. 6. *ἅπαν τὸ κέρδος ἄδικον ὂν φέρει βλάβην.* 301. *κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει.* 586. *τὰ δ' αἰσχρὰ κέρδη συμφορὰς ἐργάζεται.* Ribbeckii testim. ad h. l. Publ. P 30 (479). Caec. Balb. p. 18. Mon. I. 3 (Sent. 106).

14. „Frustra sunt fortes milites, ni ducis prudentia regantur" Erasmus.

15. Timere est metuere i. e. acceptum prudenter custodire, ne effluat, ut Publ. Q 42 (542). Verg. Aen. II. 50. „Quod subito contingit, subito solet auferre fortuna" Erasmus. Cf. Sen. nat. quaest. III. praef. 14. cetera magno aestimata mortalibus, etiamsi quis domum casus adtulerit, sic intueri quasi exitura, qua venerunt. ep. XVI. 3 (98) 9. mortale est omne mortalium bonum. ep. XIX. 1 (110) 4. est autem tanti nihil diu gaudere, ne quid diu timeas. Sen. Thyest. 534. 535. quis influentis dona fortunae abnuit? expertus est quicunque, quam facile effluant.

16. Amissum a Fabro propositum Bothius et Ribbeckius probant, Bentleius explicare studet. „Quod enim Dimittitur, inquit, seu a volente sive ab invito, certe a conscio dimittitur et nesciri non potest". Accedit quod Sen. ep. I. 4, 6 cum nullius rei faciliorem amissionem esse dixerit, quam quae desiderari amissa non posset, verbum amittendi repetitum agnovisse videtur. Verumtamen quamvis hoc inter dimittere et amittere intercedere recte statuatur, quod dimittatur a prudente, amittatur ab imprudente (cf. Quint. IX. 4, 143. XI. 2, 9. 44. Fabri. ad Liv. 23, 42): fieri potest, ut quod quis olim dimiserit, postea ab se dimissum obliviscatur atque omnino nesciat. Atque ut quod dimissum est, idem certe amittitur, ita non amittitur dimissum, quod nescitur i. e. non sentitur nec desideratur. Quare nesciri quod hoc versu dimissum dicitur, idem significat, quod non sentíri vel non desiderari. Ut Seneca et eo quem attulimus, et aliis locis locutus est cf. ep. XIII. 2 (87) 1: interim hoc me iter docuit, quam multa haberemus supervacua et quam facile iudicio possemus deponere, quae si quando necessitas abstulit, non sentimus ablata. ep. IV. 1 (30) 6. qui timet, quod non est sensurus. V 1 (42) 10. nemo illa perisse sentit, sed cogitat. Sen. Controv. I. 7. p. 120. ed. Bip. qui desiderasset amissum, quod non vindicasset. Versum quem Erasmus breviter ita explicuit: „Non est damnum, quod non sentis" nescio an accuratius ita interpreteris: Quod abs te sive prudenter datum sive temere proiectum non sentis, eius detrimenti nulla icactura est. De qua sententia cf. Sen. de brev. vit. VIII. 4. tolerabilis est illis iactura detrimenti latentis. ad Marc. de consol. XVI. 8. ep. XVI. 3 (98) 11.

17. Nisi res multum ac saepe tecum reputaveris, nunquam te ad sapientiae laudem adspiraturum credas. Ribbeckius haec addit: „Magis

probarem desiderando discitur patientia cf. Publ. M 3 (311); sed contra valet Publ. I 52 (282)".

18. Noli nimis longis deliberationibus tempus terere, ne interea occasio rei bene gerendae aut corrumpatur aut praetermittatur. Perire pro passivo v. perdendi usurpari notum est cf. Quint. XI. 1, 10.

19. Versum Bothius sic scriptum: „Duplicatur bonitas, simul accessit celeritas" in suspectorum numero habet (cf. ad. v. 967). Ribbeckius olim ad Publ. I 6 (235) adscripsit, Woelfflinus ut spurium notavit. Verum quamquam maximam esse similitudinem apparet inter hunc versum et illum, quem modo attuli, Publilianum, non tamen ea per se satis idonea causa est, quod hic Publilio abrogandus videatur. Cf. Spengel. praef. p. 12. At sunt sane in versu, quae vitio laborent. Primum enim simul, ut idem sit atque ubi, hoc uno loco invenias; tum pro simul exspectas si; denique maxime offendit id quod in libris est celeritas. Non equidem suspicionem moveo de pari verbi sono, qui ante tertii pedis caesuram et in exitu adsonat: is enim poëtae satis frequens est cf. Publ. F 10 (175). P 36 (485). N 51 (427). A 29. B 5 (48). F 7 (172). L 2 (293). N 38 (414). Q 5 (573). C 10 (94). S 39 (622). V 3 (631). V 6 (634). C 21 (105). N 11 (387). Q 15 (515). Q 21 (521). T 1 (626). P 1 (450). Q 23 (523). R 10 (578). Sed cum bonitas et celeritas duae sint, difficile est fingi bonitatem accedente vel adiuncta celeritate ita fieri duplicem, ut in duplici tamen una maneat. Quibus ego causis adducor, ut pro simul ut vel si simul scribendum existimem si inopi: unde haec versus sententia exsistat: „Geminatur beneficium, si celeriter inopi supervenit". De vi ac potestate v. accedendi cum dativo coniuncti cf. Cic. pro Quinct. 1. illud quoque nobis accedit incommodum. pro Cluent. 5. huic autem, pro quo dicitur, nihil possit offensionis accedere sine acerbissimo animi sensu ac dolore. ep. ad Att. I. 16. dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta. Sall. Iug. 44, 2. ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxili aut spei bonae accedebat.

20. „Quamvis damnatus se iniuria damnatum esse magna voce proclamet, tamen illi ipsi, qui iudicarunt, surdis auribus adsident nec quicquam damnati clamoribus moventur". Cf. Quint. Declam. 372. sera post damnationem innocentiae defensio est. (tom IV. p. 375. ed. Bip.). Sen. Med. 198. vox constituto sera decreto venit. Curt. VI. 10, 37. sed quamquam vincti hominis non supervacanea solum, sed etiam invisa defensio est etqs.

21. Versus Spengelio (cf. praef. p. 12) prosa oratione videtur scriptus esse, ductus ex Menandri monost. 75. *βέλτιόν ἐστι σῶμα γ' ἢ ψυχὴν νοσεῖν*. Hic ipse Menandri versus mihi coniciendi ansam fecit. Homo aeger ex animi dolore gravius quam ex corporis dolore laborat. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 172 (386).

22. Noli dulcia appetere, quia verendum est, ne quae dulcia fuerunt, brevi in amaritudinem vertant.

23. Duo sunt, quae offendant, et diaeresis, quae vocatur, in versu quadrato neglecta et ea scripturae variatio, qua scribitur in FHV dolori — cum sapientia, apud Caec. Balb. et W. Burl. iniuriae (iniuriam) — cum patientia. Versus ut legitima diaeresis esset, primus Bothius his propositis coniecturis providebat, ut scribendum censeret aut: „Difficulter cum dolore convenit sapientia" aut: „Convenire cum dolore difficile est sapientiae". Illud quidem propter adverbii formam difficulter, quam apud poëtas aegre reperias, et propter v. conveniendi structuram, quod impersonaliter quam personaliter coniunctum malis; hoc propter trans-

positorum verborum turbam displicere arbitror. Quod ipse scripsi non multum a tradita librorum scriptura recedit, praeterquam quod hos versus potius interpretationem, quam verba secutos esse iudico, ut pro difficilius c. d. convenit sapientiae ponerent difficile est dolori convenire c. s. cf. praefat. p. 16. Quod autem codicum FHV scripturam praetuli, ea quae apud Caecilium Balbum et W. Burleium scripta video, mihi parodiae speciem prae se videntur ferre: cuius rei insigne exemplum exstat apud Caec. Balb. p. 26. Mon. XVII. 2 (Sent. 134). Sent. falso inter Publ. recept. 235 (252). Unde etiam quod in FHV est, nomen sapientiae non ablegandum est, praesertim cum pro eo loquatur Ciceronis illa in Tusc. disp. II. 25, 61. de Posidonio philosopho narratio. Affert praeterea Gruterus Sen. Med. 155: levis est dolor, qui capere consilium potest. Quid quod patienti vincere non tam difficile, quam facile esse dicitur dolorem? Cf. Pseudo-Sen. de remed. fort. IX. 1. (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 451): Non potest homo par dolori esse. Nec rationi dolor.

24. Versus, qualem scripsimus, haec sententia est: Felix deum votis vocatum suis muneribus ita vinctum credit, ut illum sibi debere, se illi credere credat. Quod quidem contra est, atque vulgo veteres credebant. Hi enim si quid magnum et difficile aggressuri erant, diis ita vota facere solebant, ut iis nuncupatis se debere putarent, dum rebus feliciter gestis voti rei sive compotes seu damnati vota solvissent. Cf. Plaut. Rud. prol. 60. Cic. Cat. IV. 2, 3. Verg. Aen. XI. 52. Ovid. ep. ex Pont. II. 9, 23. Prop. II. 21, 43. 60. Liv. 21, 45. Sen. nat. quaest. IV. 7, 1. de benef. VII. 4, 6. ad Marc. de consol. XIII. 3. Quint. XI. 2, 12. 20. Hinc recte Heynius ad Vergilii, quem attulimus, locum: qui vota facit. inquit, debere dicitur diis, si rata sunt; sin irrita sunt, nihil debet. Iam elatus hominis felicis animus sic notatur, ut vota praestanda velut fenerator a deo exigere dicatur. Quod eo insolentius existimandum est, quod, ut ait Seneca de benef. IV. 9, 1., plurima beneficia ac maxima in nos deus confert sine spe recipiendi. quoniam nec ille collato eget nec nos ei quicquam conferre possumus. Cf. Sen. de benef. III. 7, 1. IV. 3, 3. 12, 1. 25, 3. pudeat ullum venale esse beneficium; gratuitos habemus deos. Quodsi hoc loco vota aguntur, sine dubio vovet recte se habet: aliud enim est simpliciter vocare, ut auxilio adsit, aliud votis (cf. Verg. Aen. I. 290) vel in vota (cf. Verg. Aen. V. 234) vocare deum, quod solum huic loco convenit. Annominatio autem quae inest in verbis credere credit, eo aptior est, quod nemo erit, quin una captionem in verbis diversae notionis coniunctis inesse intellegat. Cf. Ter. Andr. V. 4. 44. te credo credere. — ita me di ament, credo.

26. Woelfflinus quidem hunc versum in Publ. P 19 (468) latere putat, Hauptius (Phil. I. p. 665) sic reposuit: Dissolvit protinus legem iudex misericors, Spengelius ita: D. legem iudex misericordia, Meyerus adv. protinus interpolatum ratus ita: Dissolvitur lex, misericors cum iudicat. Nescio an temere pro protinus substituendum sit cf. Plaut. Bach. I. 1, 52. Ter. Phorm. IV. 5, 2. Hor. Ep. II. 2, 13. Serm. II. 2, 116. Nep. Att. 20.

27. Woelfflinus scripturum se fuisse dicit: Dominatur partim, superior cum supplicat, nisi frigeret partim atque huius versus eandem quam v. 136. Bothii esse sententiam suspicio esset. Cf. Publ. Q 44 (544).

28. Ad coenam plures, quam ad salutationem amici adesse solent. Cf. Mart. Epigr. IV. 8, 6. Auct. ad Her. IV. 51. Plin. ep. III. 1.

29. Ex abundanti i. e. ex pleno et affluenti cf. Sen. de brev. vit. III. 4. non observatis quantum iam temporis transierit. Velut ex pleno et abundanti perditis. Quint. IV. 5, 15. V. 6, 2. VIII. 3, 88. Versus etiam

propter numeros memorabilis est, quippe qui caesura carens triplici diaeresi discindatur. Similiter compositi sunt Publ. C 5 (89). C 33 (118). D 9 (131). N 49 (425). Q 3 (503). Iam vero haec versus sententia est: Non facile damno afficitur, nisi qui opibus abundat: cantat vacuus coram latrone viator. Cf. Sen. de tranq. anim. VIII. 2: intellegemus paupertati eo minorem tormentorum, quo minorem damnorum esse materiam. Bothius versum ut insulsum omisit (cf. v. 173) Pithoeus sic scripsit: D. n. ex abundantia raro venit cf. Sent. falso inter Publ. recept. 74 (90). Ribbeckius hoc modo: D. n. ex opuléntia raro évenit.

E 1. „In tormentis saepe mentiuntur et innocentes adacti cruciatu" Erasmus. Cf. Quint. II. 17, 27. nam et mendacium dicere etiam sapienti aliquando concessum est. Publ. V 8 (636).

2. Periurus, quod ipse scripsi, vocabulum Plautinum, non tam eum significat, qui conceptis verbis periurium fecit, quam qui mendacium dicit, hominem vanum et mendacem cf. Plaut. Mil. I. 1, 21. periuriorem hoc hominem si quis viderit. IV. 2, 74. heu ecastor hominem periurum. Verg. Aen. II. 195. periuri — Sinonis. Sen. de ir. II. 28, 7. et mendacia persequitur ipse periurus. Hinc peierare apud Plaut. Poen. II. 34. idem valet, quod mentiri. Haec igitur versus sententia: Vel mendaci, quamvis ipse fidem fallat, tu quidem fidem serva. Cf. Sen. de ir. II. 28, 7. Longe nimirum aliter Erasmus: „Adeo servanda est fides, ut etiam malis in rebus aliquando praestanda sit."

3. „Cupienti etiam festinatio videtur mora" Erasmus. Hic versus etsi sententia cum Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 15 (Sent. 183) coll. Sent. falso inter Publ. recept. 365 (89) congruit, verbis tamen ita differt, ut similem potius alterum, quam eundem esse existimen. Vide Meyer. p. 44. cf. Publ. L 11 (302). Sen. Agam. 425. omnis nimium longa properanti mora est. Sall. Iug. 64, 6. animo cupienti nihil satis festinatur.

4. Transpositis verbis scripsi: sapiens alieno. Nec enim alterius nec alius recte se habere videtur, cum pronomini suus non alius genetivum, sed adiectivum alienus respondere frequentissimus scriptorum usus probet. Satis est Senecae aliquot, qui illud testentur, aliorumque scriptorum locos attulisse cf. ep. XX. 6 (123) 11. istos tristes et superciliosos alienae vitae censores, suae hostes etqs. de brev. vit. II. 1. quosdam torquet cupido malitiae nunquam non aut alienis periculis intentos aut suis auxios. 2. multos aut adfectatio alienae fortunae aut suae [cura] detinuit. Caes. BG. VI. 31. multi ex suis finibus egressi se suaque omnia alienissimis crediderunt coll. Herzogii adnot. Liv. 22, 1. pro eo ut ipsi ex alieno agro raperent agerentque, suas terras sedem belli esse viderunt. Vid. praeterea Sen. de clem. I. 17. 3. 21, 1. II. 2. de tranq. anim. XV. 6. nat. quaest. I. prol. 6. IV. praef. 22. de benef. IV. 13, 3. de ir. II. 11, 4. ad Marc. de consol. XI. 3. ep. XI. 2 (81) 22. XVI. 4 (99) 16. XVIII. 6 (109) 16. XX. 6 (123) 10. Alterius vitium vereor ne alterius sapientis significet: id quod a sententia abhorret. Cf. Publ. A 2. Eodemque modo Publilii locum, in quem alterius pro alienus per librariorum interpretationem incuriamque invectum est, emendandum esse arbitror. Cf. Publ. B 7 (50). „Ex alienis erratis sapiens colligit, quid sibi sit cavendum" Erasmus. Cf. Publ. B 4 (47). Ter. Ad. III. 3, 62. Heaut. I. 2, 36. II. 1, 9. Hor. Serm. I. 4, 106. 128. 129. Erasm. Adag. p. 40.

5. Tuetur vulgarem scripturam Cic. de or. II. 19, 83. deinde singulorum generum partes, in quo et deesse aliquam partem et superare mendosum est. De v. superare cf. Verg. Georg. I. 189. III. 63. Liv. V. 21. „Deest quia non vident, quo pacto possint mederi malis. et superest,

quia intellegunt, quid debuerint cavere, sed sero" Erasmus. Cf. Sen. ep. X. 2 (78) 13. tam miser est quisque, quam credidit.

6. Cum de aliquo homine quaeritur, quis sit, natales, cum quaeritur, quid sit, vitae genus ac condicio, cum quaeritur, qui sit, personae dignitas et virtus quaeruntur. Cf. Cic. Cat. III. 5, 12. Sall. Cat. 44, 5. Nep. Them. VIII. 6. Quint. VII. 2, 4. 5. VIII. prooem. 8. Oblivisci i. e. dissimulare: unde haec versus sententia: „Aliquando cum in aliquo rerum discrimine versaris, qualis vel quantus sis, dissimulare utile est." Atque hoc captionis videtur, quod oblivisci cum alioquin hominis imprudentis sit, hic prudentis esse dicitur. Quod Erasmus nescio quo auctore scripsit: Etiam oblivisci, quod scis, interdum expedit, sic interpretatur: „Quaedam huiusmodi sunt, ut sint dediscenda; additque: „Legi poterat, quod sis, ut sit sensus: Expedit aliquoties meminisse magis quid praesens tempus et res postulet, quam tua dignitas."

7. „Studium lucri facit, ut fortuna credatur esse dea quae faveat. Aut ex questu i. e. querimonia, nam illi imputant, si quid acciderit adversi" Erasmus. Saepe quidem in libris e et ae confundi notum est, ita ut hic nulla fere librorum auctoritate lis possit diiudicari, utra scriptura potior sit. Attamen omnis deorum cultus qua ratione inter homines exortus sit reputanti mihi questu praeferendum videtur. Ut enim coquus ille Plautinus in Pseud. III. 2, 13. hominum avaritia ego, inquit, sum factus improbior coquus: ita cum deos omnes, tum Fortunam ex eo hominum sensu quo et timerent et sperarent factos esse recte docuit Bursianus in libro, quem scripsit „über den religiösen Character des griech. Mythos" (Monac. 1875) p. 12. Hinc Capaneus ille apud Stat. Theb. III. 661. primus in orbe deos fecit timor cf. Petron. fragm. ed. Buecheler. XXVII. p. 215. Testatur etiam Martialis epigr. VIII. 24, 55. 56. non qui ex auro vel marmore fingat, sed qui roget, eum deos facere. Atque hoc in ipsam Fortunam deam cadere affirmat Iuvenalis Sat. X. 366. cum a nobis illam deam fieri coeloque locari dicat. Unde maxime Fortunae humilitas cognoscitur, quod in ea non, ut in ceteris diis, ipsius naturae maiestatem aut utiliter inventa venerantur, sed eius vim pariter levitate ac saevitia insignem verentur. Cf. Quint. III. 7, 6—9. Quam postquam cum omnium vitae bonorum commoditatumque effectricem, tum divitiarum atque opum parentem prope ipsis diis potentiorem arbitrabantur: fieri non potuit, quin aut suam ex aliena condicione metiendo aut res adversas indigne ferendo Fortunam ut culpae proximam incusarent quererenturque et plura ab ea maioraque peterent. Illa autem ipsa hominum voluntas, quae suis rebus non contenta atque indignabunda in querelas effunditur (cf. Casaub. ad Plaut. Pseud. I. 3, 78) eo questus nomine significatur. Cf. Verg. Aen. VII. 501. Hor. Carm. I. 25, 16. Phaedr. fab. I. 9, 7. Val. Flacc. qui eo imprimis usus est, Arg. II. 364. 402. III. 291. 639. magnoque implorat numina questu. V. 624. VII. 312. questu superos questuque fatigat Tartara. His expositis rebus questu veram scripturam commendare non dubito versus sententiam sic interpretatus: Fortuna dea non hominum pietate et veneratione, sed indignatione animoque ingrato in deorum numerum recepta est. Cf. Caec. Balb. p. 23. Mon. XIII. 1. Sen. de provid. VI. 3. puta itaque deum dicere: quid habetis quod de me queri possitis. de tranq. anim. XI. 2. quandocunque autem reddere iubebitur, non queretur cum fortuna. ep. XX. 3 (120) 12. 13. nunquam vir ille perfectus adeptusque virtutem fortunae maledixit — — nunquam itaque magnus adparuit, qui nunquam malis ingemuit, nunquam de fato suo questus est. de benef. IV. 4, 3 ipsos illos complorantes sortem suam et querulos circumspice. ep. IX. 3 (74) 10. 11. nam si ullum aliud esse

existimat, primum male providentia iudicat — Ex hac deploratione nascitur, ut ingrati divinorum interpretes simus: querimur, quod non semper, quod et pauca nobis et incerta et abitura contingant. de tranq. anim. IX. 2. discamus — id agere, ut divitias a nobis potius, quam a fortuna petamus. nat. quaest. III. praef. 11. quid est praecipuum? erigere animum supra minas et promissa fortunae. Quod vero displicet quaestu, licet faciliorem interpretationem habere videatur, hoc maxime premendum est, quod quaestus non tam quaestus faciendi studium libidinemque (nos: die Sucht zu erwerben) vel etiam ut verbo dicam, avaritiam, quam aut industriam in re facienda positam aut ipsum ex vitae genere proventum significat. Atqui hoc ipsum poëta dicere vult non hominum virtute, sed vitio factum esse, ut dea fieret Fortuna: quaestus autem is, quem explicui, per se non vitiosus est. Cf. Plaut. Cist. I. 2, 2. Rud. I. 3, 63. II. 1. 2. quibus nec quaestus est nec didicere artem ullam. V. 2, 58. Nep. Att. IX. 5. maximum existimans quaestum memorem gratumque cognosci. Caes. BG. VI. 17. hunc (Mercuriam) ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Sall. Cat. XIII. extr. Cels. III. 4.

8. „Vincere avaritiam aut iram plus est quam regnum" Erasmus. Cf. Cic. Cat. Mai. XII. 41. nec enim libidine dominante temperantiae locum esse neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere.

9. Nihil est dubitationis de versus sententia: describitur enim omnis exsulis miseria, cui nec ulla usquam domus sit et ei similis videatur, cui mortuo ne sepulcrum quidem obtigerit. Exsuli enim cum nulla domus esset, quae nisi in patria esse non poterat, apud Romanos nec civitas erat nec bonorum possessio cf. Jacobs. ad Sall. Cat. 51. 22. Walter. Hist. iur. Roman. p. 846. Hinc recte Erasmus: „Exsul, qui nusquam habet domum, perinde est ut mortuus insepultus, aut cui non est sepulchrum". Quam triste ex veterum opinione fuerit non sepeliri notum est cf. Sen. ep. XIV. 4 (92) 35. de tranq. anim. XIV. 3. Sen. Excerpt. Controv. VIII. 4. ed. Bip. p. 468. Verg. Aen. II. 646. Exsilii vero incommoditates et miserias omnes ut Stoicus profligare conatur Seneca ab imperatore Claudio in Corsicam relegatus consolatione illa ad Helviam matrem scripta. Cf. Pseudo-Sen. de remed. fort. VIII. 1 (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 450). Quod autem in PR mortua, in F mortuum scriptum legitur, sic explicandum videtur, ut mortua a librario relatum ad domum, quae gentem significaret, mortuum ad exsili, quod cum pro exsuli scriptum esset, non pro relegatione, sed pro ipso relegato (cf. Tac. Hist. I. 2.) acceptum esse putemus. De sententia cf. Publ. E 12 (158). V 7 (635). Sen. Epigr. I. 7. 8 (ad Corsicam) Parce relegatis, hoc est, iam parce sepultis: vivorum cineri sit tua terra levis. Ovid. Trist. III. 3, 53. 54. cum patriam amisi, tum me periisse putato: et prior et gravior mors fuit illa mihi.

10. Versum sic interpretatur Erasmus: „Nolunt sibi fieri iniuriam nec ii, qui faciunt aliis". Nisi forte poëta hoc dici voluit, hominum animis maleficii odium sic insitum esse, ut quamvis male faciant, tamen maleficia detestentur. Illud male cum velut vocabulum minoris momenti intercidisset, varias inde scripturas ortas esse credendum est. De verbis cf. Sen. Controv. I. 1. p. 74. ed. Bip. etiamsi tu non odisti eum, qui mihi fecit iniuriam: ego odi eum, qui fecit tibi; de sententia cf. Quint. III. 8, 44. nec enim est quisquam tam malus, ut malus videri malit. Sic Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione videatur audere. Sen. de const. sap. VII. 2. mali [non] tam bonis perniciosi, quam inter se. de ir. II. 28, 7. et mendacia persequitur ipse periurus. de benef. III. 1, 1, ideo de ingratis etiam ingrati

queruntur, cum interim hoc omnibus haeret, quod omnibus displicet. IV. 17, 2. adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit et malis probare meliora. quis est qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis adfectet? IV. 17, 4. neminem reperies, qui non nequitiae praemiis sine nequitia frui malit. Compara Pauli ep. ad Rom. VII. 15. *οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω, ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ.*

11. „Irato non est danda occasio nocendi, sed potius adimenda“ Erasmus. Publilii versum videtur respexisse Sen. de ir. I. 19, 8 male irato ferrum committitur. Woelfflin. Phil. XXII. p. 463. Cf. Cic. off. III. 25. Cat. I. 6, 16.

12. „Se denegare patriae exsilium est pati. Sic enim versiculum hunc mutavimus. Qui latet et non versatur in republica, is sua sponte exsul est“ Erasmus. Quod libri exhibent p a t i e s t, aut librariorum error est aut interpolatio. Publilius enim vario dicendi genere utitur vel eo, ut infinitivum infinitivo explicet, velut Publ. B 5 (48). B. 17 (60). D 2 (123). E 8 (154). F 22 (187). I 2 (231). I 53 (283). P 21 (470). P 24 (473); vel eo, ut pro altero infinitivo verbum finitum, pro altero relativam enuntiationem substituat, velut Publ. A 12. B 8 (51). B 15 (58). B 21 (64). B 23 (66). C 13 (97); vel eo, ut alterum infinitivum nomine permutet, velut Publ. A 29. B 18 (61). B 40 (83). D 6 (128). P 41 (490). P 55. De verbis cf. Sen. ad Helv. de consol. XVI. 7.

13. „Nihil est tam minutum, quod non possit aliquid“ Erasmus.

14. „Miserrimum est consenescere metu mali, quod nondum advenerit“ Erasmus. Cf. Publ. V 3 (631).

15. Fidem in consilio habere significat fidem in consiliis ineundis tanquam assidentem habere, nos: Treu und Glauben in seinem Rathe wohnen lassen. Cf. Cic. off. I. 13. atque etiam si quid singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda. „Qui sequitur, quod dictat fides, non quod dolor, is etiam hostibus erit aequus“ Erasmus. Cf. Publ. E 2 (148).

16. Multo facilius nocet i. e. multo facilius fit ut noceat. „Ex alto cadentibus periculosior est ruina. Ita periculosius deicimur ex alta fortuna“ Erasmus. Cf. Publ. H. 28 (667).

17. Exitus rerum de summa decernit.

18. Versus sententiam quamquam illustravit Gruterus loco ex Ciceronis, quae vulgo fertur, ad Quirites oratione post reditum cap. I. allato: Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique et dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo; tamen adeo sibi ipse non persuasit, ut se nescire subiciat, an verum dicat. Sunt profecto in vulgata scriptura: E x l i t e m u l t a g r a t i a f i t f o r m o s i o r quae offendant. Primum enim non intellegitur, quo iure dicat fieri, ut ex multa i. e. acri lite gratia vel reconciliatio pulchrior sit, quam ex lite minus vehementi. Nemo enim contendet, quo maior inter duos quosdam lis oriatur, eo speciosiorem fore animorum reconciliationem. Quod cum intellectum esset, exstiterunt, qui pro m u l t a scribendum putarent m u l t o. Sed ne id quidem multum valet ad sententiam, cum comparativus f o r m o s i o r satis fuisset, ut hoc intellegeretur ex lite ferme solere concordiam laetiorem exsistere, quam quae ex consensu esset. Quae sententia cum vix cuiquam probetur vitiumque in v. m u l t a latere manifestum sit, Ribbeckius versum coniectura sanare studuit, ut pro m u l t a scriberet i n u l t a. Nec tamen facilis explicatio est litis inultae, nisi forte est rixa (cf. Sen. de ir. III. 9, 5. adeo ut quosdam salutatio et epistula et oratio et interrogatio in litem evocent. de brev. vit. III. 2. lis uxoria) quam impunitam relictam non persecutus es. Sed ex rixa ita sedata vel omissa, ut eius

posthac non memor sis, non est quod statim gratia coeat, atque eam ipsam rem, ut eveniat, tamen ita praeter consuetudinem evenire credo, vix ut in sententiam aliquam communem intrare possit. Quare cum aliud loco remedium quaerendum videretur, pro multa scripsi inita. Est autem gratiam inire benevolentiam conciliare cf. Cic. off. I. 15. sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia, maior quaedam cura adhibenda est. ep. ad Att. I. 14. utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset. Liv. 36, 5. apud regem gratiam initam volebant; gratia ex lite inita benevolentia ex rixa vel altercatione collecta. Sic aliis etiam locis Publilius ad nomen cum praepositione iunctum participium verbi addit cf. Publ. Q 47 (547) vita sine negotiis transita. V 2 (630) voluptas e difficili data. Iam ea gratia formosa dici videtur, quae iucundis humanitatis ac liberalitatis significationibus conspiciatur. Ut dixit Seneca de ir. II. 5, 4. o formosum spectaculum! aut II. 36, 3. iratis quidem nulla est formosior effigies, quam atrox et horrida. Eodem modo deformis vel informis est, qui turpi corporis habitu et specie est cf. Sen. de ir. II. 11, 2. II. 35, 3. III. 12, 6. Sententia igitur docet, si qua gratia ex lite nascatur vel renascatur, eam fieri, quam antea fuerit, formosiorem vel speciosiorem. Cf. Publ. D 9 (131).

19. Haec versus sententia videtur: Etiamsi quis vitae rebus bonis animum adsueverit, saepe ex eo ipso detrimentum capit. Adsuescere verbum activum cum accusativo coniungitur cf. Hor. Serm. II. 2, 109. Flor. II. 32, 43. Bonum neutr. gen. sing. (cf. Publ. A 28) captiose dictum videtur, ut haesites, utrum physico sensu, ut ait Schuetzius in lex. Cic. res iucundas vel prosperas an morali sensu res honestas vel virtutes intellegas. Utrumque autem recte dici videtur saepe obesse, si quis rebus sive incundis sive honestis adsueverit: illud quod semper parvo contentum esse prodest cf. Publ. B 2 (45), hoc quod etiam virtus nocet, cum quis ea sic adsueverit, ut improborum vim dolosque pati, quam aequis armis propulsare malit. De sententia compara quem supra dixi Hor. locum Serm. II. 2, 107—111. uterne ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui pluribus adsuevit mentem corpusque superbum an qui contentus parvo metuensque futuri in pace ut sapiens aptarit idonea bello?

20. Verbi substantivi forma est a Publilio in versus initio non collocatur cf. ad Caec. Balb. Sent. 96. Nimia animi stupiditas est, quae ubi peccarit nesciat.

F 1. Cum ceterorum codicum, tum codicis Rheinaugiensis scriptura aperte docet, unde rem, cuius vis ac potestas fidei opponitur (cf. Cic. Cat. II. 5, 10. res eos iam pridem, fides nuper deficere coepit) vitium traxerit. Quod nomen cum vel corruptum vel nullum esset, non est quod ne exitum quidem versus constitisse, sed in alia omnia abiisse miremur. Relicuam plerumque quattuor, raro trium syllabarum fuisse docuerunt Bentleius ad Phaedr. fab. I. 31, 13. et Lachmannus ad Lucret. V. 679. p. 305 Haec igitur versus sententia est: Qui fidem perdit, quo eam rem, quae ipsi relicta est, servat? Verendum est enim, ne fide perdita omnia, quae in possessione restiterunt, brevi perdat. Erasmus autem suam scripturam sic interpretatus est: „Qui perdit pecuniam, habet in quod se servet, qui fidem, nihil habet qui se servet.“

2. Captare i. e. insidiari cf. Sen ep. XVII. 3 (103) 1. Hinc Erasmus: Insidiatur fortuna, cum blanda est, ita tum maxime habenda est suspecta, cum maxime prospera est. Cf. Sen. ep. I. 8, 3. munera ista fortunae putatis? insidiae sunt. Quint. VI. prooem. 8. illud vero insidiantis, quo me validius cruciaret, fortunae fuit etqs. 10. et esse nescio quam quae spes

tantas decerpat, invidiam, ne videlicet ultra quam homini datum est, nostra provehantur. De structura captatum venit cf. Publ. D 15 (137).

3. „Difficillimum est retinere fortunam, ne mutetur. Et maior virtus est tueri parta, quam parare“ Erasmus. Cf. Sen. de tranq. anim. XIII. 2.

4. „Favetur enim formosis, etiamsi nihil dicant“ Erasmus. Scitum illud Aristotelis philosophi apud Diog. Laërt. V. 1, 11. *τὸ κάλλος παντὸς ἔλεγεν ἐπιστολίου συστατικώτερον.* Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII.

5. De quarti pedis anapaesto cf. Publ. B 29 (72). „Qui non potest mollescere precibus. quid opus est hunc rogare?“ Erasmus.

6. Docet sententia Fortunam, a qua re partem fregerit, eius partes omnes concutere, ut tota periclitetur. Ut singula persequamur, adverbium unde i. e. a qua re cum verbo frangendi aptius coniungi apparet, quam ubi, quod cod. Basiliensis exhibet. Ut autem quatere suspensum et vicinum alicuius rei motum significat, non ut Verrius putabat, ferire: sic quassare est saepe ac vehementer quatere, maxime ea, quae aliqua arte et consilio composita et contexta et constructa sunt. Cf. Fest. Fragm. v. quatere p. 260. 261. ed. Mueller. Quod verbum cum alii scriptores usurpaverunt, tum Seneca tragicus in deliciis habet. Cf. Verg. Aen. IV. 53. quassataeque rates. Liv. 23, 34 ext. adeo non armamenta modo, sed etiam alvei navium quassati erant. Sen. nat. quaest. V. 17, 5. cui (vento) aedificia quassanti tamen incolae gratias agunt. VI. 14, 2. spiritu illo-icto vehementius et quassante venas suas. de ir. I. 19, 2. caput quassans. de const. sap. VI. 1. artem quassandarum urbium professus. de benef. VI. 3. 2. quassatis urbes. Petror. Sat. 91. singultibus crebris amabile pectus quassaverat coll. 97. Sen. Herc. Fur. 815. vastas furens quassat catenas. Theb. 529. membra quassantur metu. Theb. 565. 566. poteris has Amphionis quassare moles? Theb. 1032. os quassat tremor. Oed. 912. 913. famulus manu regius quassat caput. Troad. 167. artus horridus quassat tremor. Troad. 452. tum quassans caput. Herc. Oct. 1878. arma Idaea quassate manu. Hinc proficiscitur quassatio cf. Sen. nat. quaest. III. 11. 1. 15, 4. ep, XV. 3 (95) 17. Saeva Fortunae violentia in eo cernitur, quod non in fracta aliqua parte acquiescit, sed omnes laesae rei partes, rem totam, omnia, ut sunt vicinitate propinqua, concutit. Sic unum vel aliquid toti rei, quam omnia efficiunt vel qua omnia continentur, opponitur. Cf. Ov. Trist. II. 469. 470. ne qua tot iere carinae neufraga servatis omnibus una foret. Sen. ep. XVI. 3 (98) 10. amissuri uno die omnia. ep. XVI. 4 (99) 6. deinde iniquum est queri de eo. quod uni accidit, omnibus restat. ep. XX. 2 (119) 2. inventus est, qui concupisceret aliquid, post omnia. Cic. Verr. IV. 40, 86. non omnia in uno vitia. pro Mil. 24. timebat Pompeius omnia, ne aliquid vos timeretis. Quint. VIII. 3, 69. licet enim haec omnia, ut dixi, complectatur eversio, minus est tamen totum, quam omnia. De sententia cf. Ov. Trist. II. 85. Cunctaque fortuna rimam faciente dehiscunt. Sen. de brev. vit. IV. 1. nam ut nihil extra lacessat aut quatiat, in se ipsa fortuna ruit. ep. XIV. 3 (91) 4. quid enim est, quod non fortuna, cum voluit, ex florentissimo detrahat? Quint. Declam. II. 9. totius hominis debilitas est oculos perdidisse (vol. III. p. 27. ed. Bip.).

7. „Dolus est accipere beneficium a quoquam, cui non possis tantundem reddere“ Erasmus. Cf. Sen. de benef. V. 6, 2. Socrates dixit se nolle beneficia ab eo accipere, cui non possit paria reddere. Ribbeck. Coroll. XCVII. Publ. R 5 (573).

8. „Magnae felicitatis comites sunt stultitia et arrogantia“ Erasmus. Cf. Caec. Balb. p. 23. Mon. XIII. 3 (Sent. 71).

9. Et his, quae duorum codicum scriptura est, et erasae ante is litterae

nota videtur indicare hic olim vocabulum lectum esse, quod nescio quo modo inversum et mutatum in pronomen is abiret. Hoc vero pronomine determinativo, quod vocant, ante relativum non addito, nisi cum vi elatum sit, tanquam unum omnium maxime dicere voluerit cf. Publ. I 56 (286). Q 22 (522) Publilium tam constanter abstinere observo, ut pro eo, si quidem opus est, utatur pronomine demonstrativo ille vel ipse cf. Publ. F 31 (260). P 23 (472). Q 32 (532). Q 57 (557). Quibus causis eo perductus sum, ut pro is reponendum existimem pes. Quod autem poëta pedem fateri dixit, id pro suo more fecit, ut in sententia captio quaedam esset, cum pes linguae vel vocis vice fungi diceretur. Frequens est enim apud omnes scriptores hoc metonymiae genus. cf. Cic. leg. I. 9. Verg. Ecl. V. 28. Ov. Met. X. 42. XI. 46. Trist. I. 2, 32. V. 14, 34. Fast. II. 635. Am. II. 5, 17. III. 10, 42. Hor. Carm. I. 14, 5. 6. II. 3, 11. 12. 9, 7. III. 11, 3. 4. IV. 11, 6. Serm. II. 2, 5. 5, 32. 8, 5. Ep. I. 7, 87. 15, 7. Sen. Thyest. 516. Theb. 10. 11. (Reisig. ad Oed. Col. 174). Sen. Troad. 693. 694. Nec vero solum fateri est loqui vel pronuntiare, sed multis etiam locis nihil aliud significat nisi indicare, ostendere, prodere, coarguere. Cf. Iuv. Sat. X. 172. 173. mors sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula. Sen. Herc. Fur. 476. hoc Euryti fatetur eversi domus. Quint. V. 14, 32. magistrum fateri ubique videantur. VIII. prooem. 23. illa, quae curam fatentur. XI. 3, 52. cui contrarium est vitium nimiae tarditatis, nam et difficultatem inveniendi fatetur. 3, 158. suspiratione sollicitudinem fateri. Mart. Epigr. XII. 32, 15. 16. fuisse gerres aut inutiles maenas odor impudicus urcei fatebatur. Plin. NH. XXXVI. 26, 190. (Belus amnis) non nisi refuso mari harenas fatetur. Hinc haec versus sententia est: Hominem fuga se iudicio subtrahentem ipsa fuga damnat. De sententia cf. Cic. Verr. IV. 13, 30. veritos poenam iudicii ac legis domo profugisse. Erasmus suam scripturam sic interpretatur: Qui detrectat iudicium, iudicat se sibi male conscium esse.

10. „Quoties fortuna favet improbis, hoc fit calamitate et malo optimorum“ Erasmus.

11. De particula negativa non cum coniunctivo vetandi coniuncto cf. Publ. B 5 (127). „Hic versus nominatim citatur a Gellio. Quod mutari corrigique non potest, id tacite ferendum est, non vituperandum“ Erasmus. Cf. Ter. Andr. V. 1, 13. impetrasti: incepi, dum res tetulit. nunc non fert: feras. Adelph. IV. 7, 19. 20. placet tibi factum, Micio? — Non si queam mutare: nunc cum non queo, animo aequo fero. Sen. de provid. II. 4. Non quid, sed quemadmodum feras interest. de tranq. anim. XIV. 1. utrumque infestum est tranquillitati et nihil mutare posse et nihil pati. nat. quaest. III. praef. 12. quid est praecipuum? posse laeto animo adversa tolerare. quicquid acciderit, sic ferre, quasi volueris tibi accidere. debuisses etiam velle, si scisses omnia ex decreto dei fieri. flere, queri, gemere desciscere est. ep. VIII. 2 (71) 11. (Cato) omnia quae acciderant, ferenda esse persuaserat sibi. IX. 5 (76) 23. virum bonum concedas necesse est summae pietatis erga deos esse. itaque quicquid illi accidit, aequo animo sustinebit. XVI. 4 (99) 22. aequo animo excipe necessaria. XVIII. 4 (107) 9. optimum est pati, quod emendare non possis.

12. Huic versui quot tenebrae offunduntur, una illa, quam proposui, mutatione evanescunt, ut pro pugnant scribatur: pugna ut. Quae verba cum in unum pugnant confluxissent, ut alterum enuntiationis membrum cum altero coniungeretur, negatio non in aliis libris in particulam nec, in aliis in ne abiit, in aliis etiam praemissa eadem negatione non pugnant ne scriptum est. Sed nescio quomodo et in Pb B et in Erasmi scriptura verae vestigia apparent. Particulam ut, quam ex v. pugnant enucleavi,

exclamationi inservire multis locis probatur cf. Plaut. Capt. I. 2, 62. ut saepe summa ingenia in occulto latent! Ter. Heaut. IV. 1, 51. ut praeter spem evenit! Eun. II. 2, 43. ut falsus animi es! Verg. Ecl. VIII. 41. ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error! Aen. II. 283—285. exspectate venis? ut te post multa tuorum funera — — adspicimus! Aen. VIII. 154—156. ut te, fortissime Teucrum, accipio agnoscoque libens! ut verba parentis et vocem Anchisae magni vultumque recordor! Hor. Serm. II. 8, 62. ut semper gaudes illudere rebus humanis! — Quae cum ita sint, hoc sententia docet res futuras nulla pugna posse repelli ac superari. Cf. Publ. F 26 (191). Ut hoc loco pugna superari, ita dicitur Ov. Fast. II. 801. pugna vinci. Pugna autem non solum de armorum conflictione, sed etiam de quavis violenta atque infesta congressione dicitur. Cf. Sen. nat. quaest. V. 12, 2. sed laborat (ventus) et iter sibi vi ac pugna parat. V. 16, 2. et qui locum in illa (ventorum) pugna non habuit, Aquilo (cf. Verg. Aen. I. 85. 86). VI. 14, 3 id sine pugna non potest fieri nec pugna sine motu. Quid vero significent verba: Futura pugnant, nec Tzschuckius apud Orellium, cum haec scriberet: „tempus futurum eadem refert, ne a praeterito superetur", nec Erasmus satis explicuit: is enim sic interpretatus est: „sic instant futura mala, ut tamen vinci vitarique possint prudentia".

13. „Et hoc carmen citatur a Gellio. Lenes cum saepius provocantur, tandem irritati gravius irascuntur, quia rarius et serius commoventur" Erasmus. „Sententia est Mimi Publiliani, quae vice proverbii in eos conveniet, qui dum externa experiuntur, alienant a se eos, cum quibus agunt: et universae rei iacturam faciunt, dum plus satis attenti sunt ad lucrum" M. Gesner. Ling. lat. thes. v. patientia.

14. Fides cum pudicitia comparanda est, qua amissa, ut ait Hieronymus adv. Jovin. l. I. de matrimonio p. 192 (cf. Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 432, 78.) omnis virtus ruit. Hinc Erasmus: „Omnia perdidit, qui fidem perdidit." Cf. Publ. F 1 (166).

15. Nihil sani est in librorum scriptura vel sapit vel rapit: illi verborum structura, huic sententia contraria est, quoniam facilitas animi in iis virtutibus est, quae ducant vel etiam inducant, non rapiant. Quamobrem facit scribendum existimo. Est autem facere ad aliquid congruere vel convenire cum aliqua re, nos dicimus: zu etwas stimmen vel passen. Cf. Ov. A. A. III. 540: et facit ad mores ars quoque nostra suos. Her. VI. 128. Medeae faciunt ad scelus omne manus. Her. XVI. 190. ad talem formam non facit iste locus. Trist. I. 10, 44. non facit ad nostras hostia maior opes. Am. III. 11, 42, non facit ad mores tam bona forma malos. I. 2, 16. frena minus sentit, quisquis ad arma facit. Mart. Epigr. X. 45, 6. non facit ad stomachum nostra lagona tuum. Sen. de tranq. anim. VI. 3. quorumdam contumacia non facit ad aulam: ad quem locum haec Lipsius: „nam Aula vult obsequentes. Tacitus: Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior, Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur." Quint. II. 12, 10. iam collidere manus, terrae pedem incutere, femur, pectus, frontem caedere mire ad pullatum circulum facit. Quint. X. 1, 33. nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere. Nec molestum est ad facilitatem addi animi et nimia facilitas non modo ad partem stultitiae, sed etiam ad stultitiam ipsam facere videtur. Neque igitur est quod durum hoc de morum humanitate et comitate iudicium miremur: nam et indulgentiam poëta intellegi vult et vituperationem elevat, quod eam non ad stultitiam, sed ad partem stultitiae (nos dicimus halbe Dummheit) facere dicit. Ut Sen. ep. IV. 5 (34) 3. partem magnam

bonitatis esse velle fieri bonum ait. Ceterum eandem sententiam poëta aliis locis simillimis verbis persecutus est. Cf. Publ. I 48 (278). N 16 (392). Aliter sentit Demea Terentianus ille in Adelph. V. 4, 6. 7. re ipsa repperi facilitate nihil esse homini melius neque clementia. Vix est quod in facilitas et facit annominationem cerni moneam, quam Publilium in deliciis habere supra commemoravi. Cf. Publ. A 24. Stultitiae genus, quale poëta significat in Glauci simplicitate ingenii luculenter depinxit Homerus Il. VI. 235. 236. De levitate animi sententiam interpretatur Erasmus. „Facile, inquit, adducitur ad vitia, qui facilis est animo, ut Micio ille Terentianus, qui ob facilitatem sexagenarius novus factus est maritus.“

16. Ex variis librorum corruptelis haec reponere conatus sum, ut pro unanima scriberem ut anima, pro nunquam scriberem non unquam. Quae negatio paullo plus intentionis videtur habere, quam nunquam: nos dicimus „nicht einmal“ cf. Verg. Ecl. I. 36. non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat. Ter. Adelph. II. 1, 5. quamquam est scelestus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet. Ex hoc adverbio perperam mutato ea quoque corruptela profecta est, ut numeris deficientibus succurrendum putarent addito adverbio loci eo: quo tamen Publilius eadem ratione ductus (cf. Bentl. et Peerlkamp. ad Hor. Carm. III. 11, 18) qua pronomine is abstinuit uti noluit. Cf. Publ. F 9 (174). „Ut vita semel amissa nunquam revertitur, sic nec fides“ Erasmus. Cf. Publ. F 1 (166). F 14 (179).

17. „Pecuniam non perdit, nisi qui habuit. At fidem is dicitur perdi disse, qui non habuit, id est qui perfidus fuit“ Erasmus. Cf. Quint. V. 10, 74. quod quis non habuit, non perdidit.

18. „Nullum malum venit sine incursu alterius mali“ Erasmus. Cf. Plaut. Trin. V. 2, 61. miseria una uni quidem hominist affatim. — Imo huic parumst. Cic. pro Sull. 32, 91. urget eadem fortuna, quae coepit: reperit novum moerorem: non patitur hominem calamitosum uno modo afflictum uno in luctu perire. Sen. nat. quaest. VI. 1, 13. circuit fatum et si quid diu praeteriit, repetit. Pseudo-Sen. de remed. fort. XVI. 10 (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 457): mors, exsilium, luctus, dolor non sunt supplicia, sed tributa vivendi. Neminem illaesum fata transmittunt. Sen. Her. Fur. 208. 209. finis alterius mali gradus est futuri coll. V. 324 sqq. Herc. Oct. 713. 714. semel profecto premere felices deus cum coepit, urget. hos habent magna exitus.

19. „Versus est trochaicus. Potens cum irascitur, fulminat, non irascitur“ Erasmus. „Ut enim fulmen caeco quasi impetu, quemcunque vult, concutit: sic potentis ira in omnes grassatur. Cf. Eurip. Med. 93. 94. *οὐδὲ παύσεται χόλου, σάφ' οἶδα, πρὶν κατασκῆψαί τινα.*“ Gruterus. Cf. Sen. nat. quaest. II. 57, 3. eodem autem modo fit fulgur, quod tantum splendet, et fulmen, quod incendit. Sed illi levior vis alimentique minus est, et ut breviter dicam quod sentio, fulmen est fulgur intentum.

20. Inter repetere et recipere cum hoc intersit, quod id repetitur, quod cum ademtum sit nullum est, recipitur id, quod ademtum in medio positum est: huic loco unum repetas convenit. „Et hic trochaicus est. Non licet rursus iuvenescere, proinde seni tractanda sunt senilia“ Erasmus. Erasmi reiuvenescere non est latina vox cf. Nolten. lex. lat. ling. antibarb. tom. I. p. 717. v. reiuvenescere. Gesner thes. tom. IV. p. 133.

21. Frigida omnino sententia.“ Orellius. „Sententia nimium quantum languet“ Ribbeckius. Esse in versibus qui feruntur Publilianis, qui non admodum sint reconditae et exquisitae sapientiae, salvis scilicet huius poëtae laudibus concedere licet, dummodo eorum, qui vituperantur, auctoritas satis constet. Gruterus quidem ad Publ. D 21 (143): „fateor, in-

quit. in Pall. et Frisingensib. membranis exstitisse nonnunquam versus non magnae rei, qualis est et iste. sed omnes duxi repraesentandos, tanquam si Quaestor potius essem quam Censor aut Aedilis fastidiosus. Alioquin exturbassem et hunc: Avarus damno potius quam sapiens dolet — cf. Publ. A 25 — aliosque plures monetae minus probatae: nisi nesciremus quid in mimis praecesserit. a quo vires sumpsisse poterant.“ Sed ut de aliis versibus, qui magistrum puerorum, non poëtam videntur redolere (cf. Spengel. praef. p. 14) nescio an aliud indicium fieret, si veram versuum scripturam reponere contigisset: ita interdum hoc poëta vel quicunque optimam quamque ex poëtae mimis sententiam decerpsit, videtur spectavisse, ut verbis luderet potius et iocaretur, quam nescio quid gravius mente conciperet. In iis sententiis, quae verborum potius lusu, quam iudicii gravitate et acumine conspiciuntur, etiam hunc versum numerandum esse censeo. Poëta enim quattuor huius sententiae verba, quorum tria ab eadem littera m incipiunt, ita permutavit, ut quasi per ludibrium adiectivum substantivo alterum alteri substitueret. Quo factum est, ut quod falsum maledictum dixit, diceret quidem fere idem, sed ita tamen, ut hominis dicacis dolus malus significaretur mutatis in eum, quem demonstravi, modum verbis malevolum mendacium, proinde ac si nos diceremus: „Ein unwahr Rügewort Ein boshaft Lügewort.“ Cf. Publ. I 42 (272). Comparare licet ludicrum Chamissonis nostratis poëtae carmen, quod inscripsit Kanon (cf. tom. III. p. 114): Das ist die Noth der schweren Zeit etqs. Hunc Publilii versum Erasmus ita interpretatur: „Qui conviciatur et mentitur, is malitiose mentitur.“

22. Hic otium et odium aeque confunduntur atque supra item et idem: quo de antiquo scribendi modo vide Lachmann. ad Lucret. III. 317. p. 155. „ne septimo quidem ab urbe condita saeculo certum scribendi discrimen fuit.“ Desperare otium recte Tzschuckius explicuit otii spem in perpetuum abicere et se infinito labori addicere; nos dicimus „auf Ruhe verzichten.“ Cf. Drakenb. ad Liv. X. 14. desperato improviso tumultu. Lucan. V. 605. desperare viam et vetitos convertere cursus sola salus. Sen. ep. III. 8 (29) 4. Marcellinum nostrum ego nondum despero. Sen. Med. 163. qui nil potest sperare, desperat nihil. Erasmus sua sic interpretatur: „Omnes desperant se posse regere mulieris ingenium.“ Pleni sunt veteres scriptores querelarum de difficilibus feminarum moribus et ingeniis cf. Alexis com. (Poët. gr. gnom. ed. Tauchn. p. 146): οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος οὔτε χρήματα οὔτ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή. Plaut. Poen. I. 2, 1—4. negotii sibi qui volet vim parare: navem et mulierem, haec duo comparato: nam nullae magis res duae plus negotii habent, eas forte si occeperis exornare. Plaut. Aul. II. 1, 19. nam optuma nulla potest eligi: alia alia peior, frater, est. Ter. Eun. V. 7, 42. 43. immo certe: novi ingenium mulierum: nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. Pseudo-Sen. de remed. fort. XVI. 4. (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 456): omnium quidem imperitorum animus, maxime tamen in lubrico muliebris . . . nihil est tam mobile quam feminarum voluntas, nihil tam vagum. Feminarum vero patrocinium ipse Seneca philosophus suscepit in consolatione ad Marciam XVI. 1.: quis autem dixit naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse et virtutes illarum in artum retraxisse? par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta, libeat, facultas est. Dolorem laboremque ex aequo, si consuevere, patiuntur. Nolo praetermittere, quod dubitanter propono. Codicum P scripturam rege redet spere mihi multum ac saepe reputanti in mentem venit hunc versum olim sic scriptum fuisse: Féminae natúram regere ac désperare odium ést idem. Unde haec sententia prodeat: „Feminae naturam sive

regere volueris an re desperata omittere utraque condicio est molestissima.“ Odium de re molesta et fastidiosa dici notum est cf. Schuetz. lex Cic. v. odium. Cf. Varr. fragm. p. 344. ap. Gruter. not. post. ad Publ. 29. p. 62. vitium uxoris tollendum est aut ferendum: qui tollit vitium, uxorem commodiorem praestat; qui fert, sese meliorem facit.

23. Hunc versum tot tantaeque turbae invaserunt, vix ut liceat dignoscere, quid poëta dictum voluerit. Atque eo audax illud Bentleii ingenium processit, ut verbis transpositis contrarium atque libri tradiderunt, reponendum censeret. Ita enim res se habet, ut explicuit Ribbeckius: „in utramque partem, inquit, vera haberi potest sententia, ut emendatione Bentlei opus non sit. immo perferendi notio ad facilia melius etiam quam ad difficilia quadrare videtur (cf. 190).“ Quod quo iure vir doctissimus dixerit, non intellego. Quid enim differant ferre et perferre optime cognoscitur ex Sen. Thyest. 304–306. Quo loco servo consolante tempus Thyestae fecisse aerumnas leves Atreus malorum sensum accrescere die obiciens leve est, inquit, miserias ferre, perferre est grave. Hinc ferre apparet esse per breve ferre quoddam temporis spatium, perferre autem per longam aliquam temporis vel vitae diuturnitatem: id quod quamvis numero sint plurima, non cadit in facilia, quae ut facilia, ita brevia sunt ad tolerandum. Nec ferre et perferre, ut hoc Senecae loco, ita apud Publilium opponuntur: difficilia facilibus contraria habentur. Hoc enim poëtam dicere voluisse existimo, prout difficilia ferrentur, sic ferri facilia, ita ut quo constantius illa ferrentur, eo facilius foret ut haec ferrentur. Ut nos hortamur: „Trage das Schwere, um so leichter wird dir das Leichte“ vel ut est hoc in nostris proverbiis: „Grosse Noth lehrt kleine tragen“ cf. Wander. Deutsches Sprichwörter-Lex. tom. III. p. 1047. Quod praeceptum etsi alteri, quod a faciliori initium capiendum monet, contrarium est, tamen in vita hominum eo maius ac gravius videtur, quod difficiliora multo rariora incidere solent quam faciliora. Quemadmodum illa summam animi constantiam, maximam virium contentionem consiliorumque inveniendorum facultatem requirunt, ita ne facilia quidem omni cura et labore vacant, sed quia numero sunt plura, quotidiana, nullo tempore intermissa, idcico animum fere magis etiam vexant ac fatigant, quam difficilia. Hinc sententiam ego ita interpretor: „Fer id quod laborem ac molestiam affert: quod si feceris, hoc assequeris, ut quod facile est ad ferendum, eo facilius feras. Ut Ti. Sempronius apud Liv. 23, 25, minore aliqua nuntiata clade patres adhortatur, ne qui Cannensi ruinae non succubuerint, ad minores calamitates animos submittant. Cf. Sen. ep. XX. 6 (123) 1. mecum enim de hoc ipso loquor, quam nihil sit grave, quod leviter excipias, quam indignandum nihil, si nihil ipse indignando adstruas. Restat ut de coniectura, quam proposui pauca addam. Facile quod inserui post difficile, multis aliis Publilii versibus accidisse demonstravi, ut verbum aut idem aut similis scripturae sonique in libris intercideret. Cf. Publ. A 40. B 30 (73). C 43 (658). I 15 (244). I 16 (245). I 61 (291). L 14 (305). N 10 (386). O 15. P 30 (479). P 46 (495). Q 32 (532). R 16 (675). S 20 (603). S 23 (606). V 7 (635). Vide praef. p. 18.

24. „Vitrum cum maxime lucet, tum facillime frangitur, ita splendidissima fortuna minime durabilis est“ Erasmus. Cf. Publ. F 1 (171). Sen. ad Marc. de consol. XXII. 1. Labant humana ac fluunt neque ulla pars vitae nostrae tam obnoxia aut tenera est, quam quae maxime placet, ideoque felicissimis optanda mors est, quia in tanta inconstantia turbaque rerum nihil nisi quod praeteriit certum est ep. X. 2 (78) 29. XIV. 3 (91) 4 Quid enim est, quod non fortuna, cum voluit, ex florentissimo

detrahat? quod non eo magis adgrediatur et quatiat, quo speciosius fulget? — Alludit ad hanc sententiam Rudolphus Amisianus in carmine, quod inscribitur Alexanderlied:

Der wîse meister Gotfried sanc
Daz veste sî bloede unde kranc;
Daz glesîno gelücke.
Ez breche in kleiniu stücke.

Cf. v. d. Hagen. Mus. I. 163.

25. Ut Bothio versus est in insulsis istis, quos praetermittat: sic Spengelius, cum uterque versus et F 23 (188) et F 25 (190) hoc dicat res adversas facilius ferri posse quam secundas, posteriorem damnandum esse censet, ita tamen ut hoc quoque versu perferas scriptum fuisse putet cum Panthaleone. Mihi quidem neque utriusque eadem versus sententia nec alteruter expellendus videtur. Priore enim poëta cum hortetur, ut labores difficiles ac molestos feras, quibus ferendis eo facilius faciles et tractabiles feras: tum posteriore admonet, ut dolores et acerbitates feras, quibus ferendis grata et commoda reportes. Quod laedit, asperum et acerbum, et quod prodest, gratum et commodum, opponuntur, ut apud Quint. IV. 1, 44. illud in universum praeceptum sit, ut ab iis, quae laedunt, ad ea, quae prosunt, refugiamus coll. VII. 4, 37. Verbum autem ferre hoc versu duplici vi et potestate praeditum est, ut nunc pati, nunc reportare significet: cuius rei exempla non desunt Cf. Plaut. Capt. V. 2, 11. tandem ista aufer dicque quid fers, ut feras hinc quod petis. Quint. V. 14, 30. locuples et speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si . . . . ex copia satietatem et ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non semitis, sed campis. Sen. ep. XV. 2 (94) 66. Marius exercitus, Marium ambitio ducebat. de benef. III. 5, 2. adeo enim ingratus est, qui oblitus est, ut ingratus (Lips. uti gratus sit) sit, cui beneficium in mentem venit. In adverbio relativo unde finis inest: quem cum explicare voluissent, scripserunt ut. Hinc haec versus sententia est, quam Erasmus expressit: „Ut potiare commodo, feras incommodum.“ Cf. Plaut. Asin. II. 2, 58 fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum: quam sententiam Fabricius apud Orell. p. 81. v. 73. et Kremsier. p. 34. v. 352. sic explicat: Tolerans in adversis qui est, e rebus secundis voluptatem capit. Pseudo-Sen. de remed. fort. VI. 1 (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 450) non in mari tantum aut in proelio vir fortis apparet: exhibetur etiam in lectulo virtus. IX. 1 (Sen. fragm. vol. III. p. 451) dolor imminet: si exiguus est, feramus: levis est patientia. Si gravis est, feramus: non levis est gloria.

26. Hic versus, si quis alius, conclamatus nisi valentibus remediis sanari non potest; qua ratione adhibita si versum sanavero, illud effecisse mihi videbor, ut de librorum manuscriptorum, quibus Publilii sententiae ad posteritatem transmissae sunt, natura rectius iudicemus. Ac primum quidem apparet a librariis vel quicunque fuerunt sententiarum verba neglectis numeris neque ullius rei nisi grammaticae structurae habita, qualis in scholis haberi solet, ratione transposita esse et perscripta. Cf. Publ. A 23. cod. C. Vide praef. p. 14. Quo factum est, ut gradum, quod in extrema versus sede esset, cum v. facit, quod in prima esset, coniungeretur. Accedebat ut ex ea ratione, quam supra demonstravimus cf. Publ. A 21. et F 23 (187) gradus et gratus confunderentur. Verborum ordine ita ut diximus perturbato illud postremum accidit, ut verba suo loco mota sive per errorem sive per interpolationem corrumperentur. Quid quod verba „quem non remoreris, quae enucleare contigit, in haec

abiisse credendum est: „quem nemo videt?“ Quibus rebus expositis ad singula transeamus. Facere gradum dicitur qui ab alia re ad aliam vel a re minore ad maiorem transgreditur cf. Cic. Ver. II. 1 gradus imperii factus est. Liv. 6. 35. conando agendoque iam eo gradum fecisse plebeios, unde . . pervenire ad summa . . possent. Liv. 27, 6. ex aedilitate gradum ad censorem fecit. Quint. III. 6, 8. interim ad ea, quae sunt potentiora, gradum ex his fecisse contenti. Hinc multae ac variae dictiones finguntur; gradum flectere, dicit Seneca tragicus, qui eo nomine centies usus est, Herc. Fur. 677., deflectere Theb. 4., sistere Herc. Fur. 71., inferre Hippol. 720. Oct. 74. Oed. 548., concitare Theb. 402., tentare Oed. 378., 889 referre Oed. 708., dirigere Theb. 62., ferre Troad. 1152., efferre Med. Oct. 160. 666., alii aliter. Iam vero Fortuna sic gradum facere dicitur, ut nemo remorari possit: cuius verbi activa vis et potestas nota est ex Ov. Fast. VI. 770. 771. tempora labuntur tacitisque senescimus annis et fugiunt freno non remorante dies. Eandem activam vides apud Cic. de imp. Cn. Pomp. XIV. 40. hae res quae ceteros remorari solent; intransitivam apud Sen. de brev. vit. VIII. 5. nusquam devertetur (aetas) nusquam remorabitur. Unus dies, inquit Sen. ep. I. 12. 6., gradus vitae est. Ut tempus, ita Fortuna gradum facit tum cum aliquam rerum vicissitudinem molitur, ut ait Sen. Herc. Fur. 208. 209: finis alterius mali gradus est futuri. Hinc haec versus sententia est: „Sic Fortuna firmo ac constanti pede gressum infert, ut nullo modo retardari aut sisti possit.“ De qua sententia multum ac saepe apud veteres decantata cf. Publ. F 12 (177). Sen. ad Polyb. de consol. IV. 1. diutius accusare fata possumus, mutare non possumus. nat. quaest. II. 35, 2. fata irrevocabiliter ius suum peragunt nec ulla commoventur prece. non misericordia flecti, non gratia sciunt. cursum inrevocabilem ingressa ex destinato fluunt. quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit nec moratur quidem, quia priorem superveniens praecipitat: sic ordinem fati rerum aeterna series rotat, cuius haec prima lex est: stare decreto. coll. nat. quaest. II. 37, 3. ep. II. 4 (16) 4. Auson. epigr. 137. Fortuna nunquam sistit in eodem statu. semper movetur: variat et mutat vices et summa in imum vertit ac versa erigit. Nec recentioris memoriae poëtae de insuperabili Fortunae vi et saevitia dubitant, velut Shakespearius in ea fabula, quam inscripsit Sommernachtstraum. I. 1 (ex vers. Schlegelii et Tieckii tom. IV. p. 264.):

> Doch eh' ein Mensch vermag zu sagen: schaut!
> Schlingt gierig ihn die Finsterniss hinab:
> So schnell verdunkelt sich des Glückes Schein.

aut Schillerus nostras poëta in carmine, quod inscripsit Kassandra, v. 7:

> Das Verhängte muss geschehen,
> Das Gefürchtete muss nahn.

Restat ut ceterorum editorum interpretationes enumerem. Erasmus quidem id quod scripsit sic interpretatur: „Fortuna facit invidiosum, nisi lateat, ergo dissimulanda est“: ad quam sententiam illustrandum afferunt Thaletis praeceptum apud Stob. Serm. III. *τὴν εὐτυχίαν κρύπτε φθόνου χάριν.* Et Gruterus, vere gratus est, inquit, qui est minute dives. Scaliger autem explicat: Dives etiam ignotus de facie gratus est h. e. omnes favent divitibus, quantum vis alioqui non dignis ac ne notis quidem. Woelfflinus vero sic sententiam exponit: Absenti. qui non in ore civium versatur, gratiam conciliat ipsa absentiae condicio. Denique Ribbeckius coniecturam

suam probare studet ex Cic. de divin. I. 39, 84. cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum.

27. Ad hominem significat apud hominem vel in homine cf. Publ. B 31 (74): unde haec versus sententia est fortunam, non consilium valere ad conformandam hominis vitam. Quam sententiam Nauckius versam putat ex Graeco Chaerem. fr. 2. p. 607.: *τύχη τὰ θνητῶν πράγματ᾽, οὐκ εὐβουλία.* Theophr. apud Cic. Tusc. V. 9, 25. vitam regit fortuna, non sapientia. Sall. Cat. 8, 1. sed profecto fortuna in omni re dominatur. Erasmus scilicet cum nulli legat, interpretatur: Consilium plus efficit, quam felicitas. Atque eam sententiam, cum semper fere in verba iuret Publilii, confirmat nescio quo modo Seneca ep. XVI. 3 (98) 2. cum scribit: „Valentior omni fortuna animus est. in utramque partem ipse res suas ducit beataeque ac miserae vitae sibi causa est. Q. Fabius apud Liv. 22, 39. sed ut agentem te, inquit, ratio ducat, non fortuna velim.

28. Hunc versum, qualem scripsimus, Bentleius egregie reposuit ceteris scripturis profligatis. Insertam Scaliger emblema, ut in anulo, vel institam, ut in veste, explicuerat: unde frugalitatem ornamentum vel accessionem bonae famae intellexerat. Quod Grutero adeo placuerat, ut plus quam stipitem esse diceret, qui non acquiesceret huic emendationi Scaligeranae. „Atqui illud inserta, inquit Bentleius, nusquam alibi Latinis cognitum: nec sententia illa quicquam habet Publiliani coloris.“ Neque eidem incerta, quae Salmasii est scriptura, probatur ab Salmasio sic explicatum, ut frugalitas incerti rumoris esse diceretur, quod nonnunquam avaritiae famam haberet atque ab his laudaretur, ab illis culparetur. Quod tamen Bentleio nec latine dictum nec ad Publilii acumen et elegantiam attingere videtur. Ita hic, inquit, accipitur miseria, ut Ter. Heaut. III. 2, 15. sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum, et Plaut. Capt. 1, 15. parce et misere victitare. In hac sententia non laudari, sed infamari frugalitatem testem ducit Io. Saresberiensem Policr. VIII. 13. Est autem frugalitas, cuius de nominis originatione commemorat Cic. Tusc. III. 8, 18. et Quint. I. 6, 17. 29., abstinentia (nos dicimus vernünftige Einschränkung) cui contraria luxuria est cf. Quint. V. 10, 73. Sen. de tranq. anim. I. 9. ep. I. 5, 5. V. 11 (51) 3. VI. 4 (56) 10. VIII. 2. (71) 23. Nec vero quisquam frugalitatem amplioribus laudibus extulit quam Seneca, proinde ac si quibus temporibus maxime desideraretur virtus illa, iis maxime celebraretur. Non potest, inquit ep. II. 5 (17) 5., studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est. Repetita haec sunt in Excerpt. e. Sen. ep. de paupertate (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 459). Laudatur ut virtus antiqua (Sen. ad Polyb. de consol. III. 5.) coniungitur cum continentia (Sen. ad Marc. de consol. II. 3.) vel cum parsimonia (Sen. ep. XIII. 3 (88) 30) cernitur non solum in cibo potuque, sed etiam in veste, in omni victu cultuque cf. Sen. ep. V. 11 (51) 2. de tranq. anim. IX. 1. de clem. I. 23, 2. ep. V. 9 (49) 12. XIII. 2 (87) 5. XV. 2 (94) 69. XVIII. 5 (108) 21. XX. 6 (123) 10. Ut nomen frequentatur, ita et adiectivum et adverbium apud Senecam reperitur cf. Sen. ep. XVI. 16 (97) q. frugalior. ep. XV. 3 (95) 41. frugalissimus. ep. XX. 5 (122) 16. frugaliter. Iam vero frugalitatem cum Seneca tantis laudibus tollat, est quod mireris, cur hoc versu, de quo quaerimus, virtutem illam elevarit Publilius. Nec profecto dubium est, quin hic de frugalitate dicentem fecerit mimographus dignam hac sententia personam sive hominem quendam prodigum sive parasitum, quales in comoedia quoque introduci videmus. Quamquam hoc frugalitas cum paupertate commune habet, quod nec sordida est nec incompta; tamen vulgo ut paupertas,

sic frugalitas, quae virtus est, miseria habetur. Cf. Sen. ep. I. 5, 5. Frugalitatem exigit philosophia, non poenam: potest autem esse non incompta frugalitas. ep. VIII. 2. (71) 23. Luxurioso frugalitas poena est. Sed ut imponam finem adnotationi, accipe Erasmi interpretationem: „Hunc versum addidi ex Gellio. Esse frugalem rumor quidem bonus est, sed infelix et parum vulgo laudatus, cui profusio magis placet. Nisi mavis miseriam accipere pro penuria sive inopia. Nam tum erit sensus: Qui laudatur ut frugalis, is non laudatur.“ Haec Nisardus: „La frugalité est une pauvreté de bon renom.“

31. „Ridiculum est, quod dicam; sed videtur in hoc v. latere: Frenos impone linguae, peni saepius. Scil. per mirum euphemismum in mediae aetatis latinitate atque etiamnunc apud Italos conscientia membrum genitale significat.“ Orellius. Hinc Nisardus: Mets un frein à la langue et surtout à la verge. i m p o n a s Woelfflinus. s a p i e n s scripsi ex coni. c o n c u p i s c e n t i a e i. e. libidini Woelfflinus cf. Diog. Laërt. I. 104. γλώσσης, γαστρὸς, αἰδοίων κρατεῖν. Pseudo-Sen. de mor. 117. Meyerus eandem huius versus sententiam esse putat atque Publ. C 16 (100). f. i. l. ventri saepius Buechlerus. f. i. l. si periures, conscientiae Ribbeckius. C o n s c i a e scripsi ex coni. Unde hoc docet sententia sapientem linguam sic coërcere, ut commissa taceat. Cf. Caec. Balb. p. 28. Mon. XXVI. 4 (Sent. 181).

32. Meyerus quod proposuit, cum quid sibi velit obscurum sit, id nos reposuimus, cuius sententiam hanc esse voluimus, perfacili negotio hominem fortem et constantem iis imperare, qui animo fluctuantes rem agere cunctantur.

33. Id quod superior constituit, licet falsum sit, eo ipso verum fit ex superioris auctoritate. Cf. Publ. V 8 (636).

G 1. „P r a e i u d i c i u m dicitur res, quae cum statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum, quod sequantur; i u d i c i u m autem res, quae causam litemque determinat.“ Asconius in Cic. Divin. in Q. Caec. IV. 12. „primum causam inimici tui sublevabis, de quo non p r a e i u d i c i u m („Vorentscheidung“) sed plane i u d i c i u m iam factum putatur“. Cf. Sen. Controv. II. 9. p. 148. ed. Bip. Sen. de benef. IV. 35, 2. Quint. V. 2, 1. Walter. Röm. Rechtsgesch. p. 733. Haec de praeiudiciis disserit Quaritschius in libro, quem inscripsit Instit. und Rechtsgesch. p. 83. §. 85. „Praeiudiciales actiones s. praeiudicia (wörtlich Vorklagen) sind Klagrechte auf Anerkennung eines rechtlichen oder faktischen Verhältnisses gegen jeden, der diese Anerkennung verweigert. Dabei verlangt der Kläger nicht Verurtheilung des Gegners zu einer Leistung, sondern lediglich die Feststellung des fraglichen Verhältnisses, insbesondere zu dem Zweck, um nach geschehener Feststellung mit einer anderen dadurch bedingten Klage eine Leistung nachzufordern. Dergleichen Praejudicialklagen sind namentlich die Statusklagen, wodurch die Freiheit oder Sclaverei, die Ingenuität oder Libertinität einer Person oder bestrittene Familienverhältnisse (Vaterschaft, väterliche Gewalt u. dergl.) festgestellt werden sollen. Eine Praejudicialklage, bei der es sich nicht um Statusverhältnisse handelte, war z. B. die über den Betrag des Heirathsguts (quanta dos sit), welche der Klage auf Rückgabe desselben (rei uxoriae actio) vorausgehen konnte“. Quare hoc docet sententia, si quid praeiudicio decretum sit, id ipsum nisi iudicio litem actor contestetur, ei, quem praeiudicium petebat, grave esse. A qua interpretatione non dissentit Erasmus, cum dicit: Post praeiudicia sequuntur iudicia, in quibus excutiuntur praeiudicia. At grave est illud praeiudicium, quod non sequitur aliud iudicium, sed ipsum iudicii loco est, veluti si princeps prae se fert inimicum animum in quempiam, nullus est iudex, qui secus ausit iudicare. Sunt qui

praeiudicium de opinione praeiudicata intellegant, ut Nisardus sic interpretatur: La prévention est odieuse, quand il n'y a pas iugement. Sed ea v. praeiudicium significatio vix latina est.

2. „Vir bonus ut tardior est ad iram, ita gravius irascitur, si victa sit illius bonitas“ Erasmus. Cf. Publ. B 10 (53). T 4 (685). Sen. de ir. I. 16, 6. nam si bono viro ob mala facinora irasci convenit, et ob secundas res malorum hominum invidere conveniet. — — sed tam commoda illorum sine invidia videbit, quam scelera sine ira. de clem. I. 22, 3. Gravior multo poena videtur, quae a miti viro constituitur. Comparat Gruterus Plut. Cat. min. 1. quo loco Cato dicitur *πρὸς ὀργὴν οὐ ταχὺς οὐδ' ὀλισθηρὸς, ὀργισθεὶς δὲ δυσπαραίτητος.*

3. Versum ut ineptum eiecit Bothius ad Publ. v. 264. Non ita est: nam poenitentiae gravissimum supplicium esse cum alii prudenter dixerunt, tum idem dixit Publilius eo, quem attuli, versu S 18 (601). Accedit quod nemo erit quin poena et poenitet annominationis causa sibi respondere videat: qua re Publilium delectari supra demonstravimus. Cf. Publ. A 24. Nos ita interpretamur: „Wie hart die Strafe, wenn den Thäter Reue straft“! — Nec vero dubito quin in verbis post facti vitium lateat. Primum enim aut post aut facti videtur abundare, quia satis erat dixisse: quem post poenitet, ut dixit Publ. C 26 (111) aut quem facti poenitet, ut dixit idem I 41 (271). Cf. Plaut. Trin. I. 2, 90. dedisti argentum? Factum: neque facti piget. Ter. Andr. V. 3, 6. num facti piget? — Nec facile inducor ad credendum Publilium orationem sic compositurum fuisse, ut verba post facti poenitere coniungeret, quod molestum fuisset audientibus. Cuius rei documento est altera librorum scriptura post factum. Cf. Plaut. Rud. prolog. 30. post factum ut laetemini. Postremo codicis F rasura illa nescio an indicet hic scriptum fuisse vocabulum a vulgato diversum. Quod particulam iam fuisse suspicor, quam etiam aliis Publilii versibus M 58 (366) et S 18 (601) reposuimus. Usurpatur enim de re proxime futura et de tempore instante, sicut nos dicimus: gleich darauf. Cuius potestatis plura exempla affert Handius ad Tursell. v. iam. vol. III. p. 124, 18. „Magnam poenam dedit, quem poenitet facti“ Erasmus. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 7.

4. De v. animus bisyllabo vid. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. tom. III. p. 205. 206. Praeter hunc locum legitur Publ. A 5. B 10 (53). B 14 (57). D 21 (143). G 3 (196). M 61 (369). P 32 (482). „Vir constans certa habet consilia“ Erasmus.

5. Recte, ut opinor, Erasmus, sed ne omne otiosum sit, verba sic ordina: grave malum est quod omne s. a. l., unde haec sententia exsistit grave malum esse, quod ita lateat, ut ne minima quidem eius pars medicis inspicientibus appareat. Similis sententia exstat apud Quint. XII. 8, 10. Nam ut medicis non apparentia modo vitia curanda sunt, sed etiam invenienda, quae latent, saepe ipsis ea, qui sanandi sunt, occulentibus: ita advocatus plura, quam ostenduntur, aspiciat. Haec Erasmi interpretatio est: „Malum illud est immedicabile, quod praetextu bonae rei personatum est. Nam hic aspectum vocat personam.“ Immo idem est quod sub oculis ap. Caes. BC. I. 57. Liv. IV. 28. Casp. quidem Orellius aut legendum: Graviust malum comi q. s. a. l. aut si correptionem v. quod non feras, sub delendum censet. His vestigiis insistens Ribbeckius, post omne inseruit amoeno, ut hic fieret versus quadratus: Grávius est malum ómne, amoeno quód sub aspectú latet.

6. „Nova mala gravius dolent“ Erasmus.

7. Huius versus, qualem scripsimus, haec sententia est: Nihil animum magis mordet, quam inimici cogitatio, quem ulcisci vel opprimere opus

est. V. est i. e. edit cf. Verg. Aen. IV. 66. est mollis flamma medullas. Hor. ep. I. 2, 38. 39. cur. . si quid est animum, differs curandi tempus in annum? — Verbi autem vis ac potestas cum ignoraretur aut sententiae inhumanitas sentiretur: eo delati sunt pii homines, ut non de inimico qui extra corpus esset, sed de animi libidine vel conscientia cogitarent, quae sub pectore latens neminem non exagitaret. Cf. Ep. Paul. ad Rom. VII. 8. *οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν.* Itaque cum in sententia verba ista, quae inserui, nil animum. . quampraetermissa essent, factum est, ut pro gravius quod meliorum librorum est, mutaretur aut gravior aut gravis, quod ad inimicus referretur. Reliquum est, ut recenseam quid viri docti de hoc versu sentiant. Erasmus quidem versum sic interpretatur: „Affectus vitiosus maxime nocet homini et his (is!) latet sub pectore nec potest excuti“. Bothius versum sic scriptum: „Gravior i. est qui l. in p.“ ut minus probatum asterisco notavit, Woelfflinus uncinis inclusit, cum paraphrasis versus Publ. G 5 (198) ei videretur cf. Proleg. p. 42., Ribbeckius ex coni. scripsit: Gravis est i. si qui latet i. p., Spengelius (cf. praef. p. 20) sic scriptum: „Gravis est i. q. l. sub pectore“ ut suspectum uncinis inclusit, Meyerus (cf. p. 17) asterisco posito quod is tibicen esse videbatur ante qui lacunam notavit.

8. „Consuetudo plane tyrannidem quandam obtinet in rebus humanis adeo, ut stultissima quaeque si semel inoleverint evelli non possint“ Erasmus.

9. „Veluti si quis apud Anglos vel ioco vocet aliquem proditorem non caret periculo ob odium criminis“ Erasmus.

H 1. „Fama honesta facillime contaminatur, et difficilius est eam tueri, quam parare“ Erasmus. Cf. Publ. L 2 (293).

2. „Non est apud se, quisquis irascitur. Respondet cum illo superiori: Absenti loquitur, qui cum irato litigat“ Erasmus. Cf. Publ. A 12.

3. „Qui mortem contemnit, is vehementer est timendus: propterea quod alienae vitae dominus est, quisquis suae contemptor est“ Erasmus. Cf. Publ. M 56 (364). Cum ceteri scriptores, tum Senecae mortis contemtum celebraverunt. Sic Dido apud Verg. Aen. IV. 604. quem metui moritura? Sen. Controv. IV. 29. p. 310. ed. Bip. nullum magis adversarium timeas, quam qui vivere non potest, occidere potest coll. Excerpt. Controv. VIII. 4 p. 469 ed. Bip. nihil non ausurus fuit, qui se potuit occidere. Sen. de clem. I. 12. 5. acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. ad Helv. de consol. XIII. 2. nat. quaest. II. 59, 3. 5. VI. 32, 4. ep. I. 4. 8. ita dico: quisquis vitam suam contempsit, tuae dominus est. ep. III. 3 (24) 11. X. 2 (78) 5: totius vitae remedium est: contemne mortem: nihil triste est, cum huius metum effugimus. ep. XVII, 1 (101) 10. XIX. 2 (111) 5. Sen. Agam. 146. cui ultima fortuna, qui dubiam timet? Herc. Oct. 443. contemsit omnes ille, qui mortem prius. Troad. 577. 578. Herc. Fur. 425.

4. „Intellegit enim sibi posse accidere, ut sit opus auxilio. Versus est trochaicus.“ Erasmus. Cf. Publ. M 21 (329).

5. Nemo erit hodie qui dubitet quin mori glossema sit, quamquam in omnibus libris servatum est. Exspectas sane additum participium, velut suscepta, quod Latini addere solent ad nomen cum praepositione coniunctum cf. Publ. E 18 (164) nec tamen ita ut interdum ex Graeci sermonis usu non deficiat cf. Publ. D 13 (135) int. coniunctum. H 19 (221) int. celatus, I 45 (275) int. adspersa. Ceterum observasse mihi videor bonam causam, non causam bonam dici solere cf. Cic. leg. III. 15. III. 25. vi opprimi in bona causa est melius, quam malae cedere. Quint. IX. 2, 29. admirabiliter utriusque partis facit bonam causam. Idque fac-

tum propterea esse puto, quod bona causa per malam, quae bonae contraria est, intellegenda est cf. Ovid. Trist. I. 9, 46. ep. ex Pont. III. 1. 147. Docet sententia pro bona causa nihil esse quod honeste non fiat: quae sententia quamvis non recta tamen quod iuvet recta putanda est cf. Publ. Q 1 (501). Quid fuerit quod Erasmus, quem secutus Bentleius v. 251. est, verba transponeret, ut est in versus principio esset, nescio: illud scio praeter usum Publilianum esse ab hoc verbo versum exordiri. Cf. Caec. Balb. Sent. 95. Sua autem Erasmus sic explicat: „Gloriosa est infamia vitam impendere iustitiae. Et hic trochaicus est.“

6. Secunda et adversa plurali neutrius generis opposita sunt pro rebus secundis et adversis, ut apud Sen. nat. quaest. III. praef 7. itaque secundis nemo confidat, adversis nemo deficiat: alternae sunt rerum vices. „Et hic trochaicus est. Qui cum feliciter agit aliis subvenit, huic alii subveniunt in rebus adversis“ Erasmus. Cf. Publ. B. 34 (77). H 4 (206). M 21 (329). Mart. Epigr. V. 42, 7. 8. ed. Schneidewin. Extra fortunam est, si quid donatur amicis: quas dederis, solas semper habebis opes.

7. In hac tanta scripturae varietate cum illud maxime mirum sit, quod melior librorum pars in conpossit vel conpossis conspirat, quae verbi forma nulla est, ut ex possit vel possis verbis notissimis corrumpi non potuerit: hoc mihi persuasi latere in ea verbi forma verbum conpetere i. e. par vel aptum esse, convenire, congruere: unde conpetit absolute usurpatum idem est, quod nos dicimus: „es geht an, ist zuständig cf. Liv. 22, 5. ut vix ad arma capienda aptandaque competeret animus. Suet. Oct. 31. si cuiusquam neptium suarum competeret aetas. id. Oth. 12. tanto Othonis animo nequaquam corpus aut animus competiit. Sen. ep. IX. 4 (75) 6. si ita competit. Colum. de re rust. I. 6. p. 42. ed. Bip. area, si competit, ita constituenda est. Iam illa pronominis discrepantia, ut modo ab eo, modo ab illo, modo ab aliquo, modo ab eo laedi, modo laedi ab eo scriptum videamus, certo indicio esse potest eorum nihil hic olim scriptum aut lectum, sed ex eo, quod sequitur, pronomen facile intellectum fuisse. Cf. ad Publ. F 9 (174). Quae cum ita sint, sententia miseram eius condicionem queritur, qui cum laesus sit, queri de eo, qui laesit, non convenire videat. Haec Erasmi interpretatio versus est: Et hic trochaicus est. Durum est laedi vel ab amico vel a potente, quod queri de altero non est honestum, de altero non est tutum.“ Cf. Publ. H 9 (211). M 6 (314).

8. „Paupertas ingeniosa est et artium repertrix. Et ingenium mala saepe movent iuxta Nasonem“ Erasmus. Cf. Plaut. Stich. I. 3, 23. 24. eo, quia paupertas fecit, ridiculus forem: nam illa omnes artes perdocet, ubi quem attigit; vid. Taubmann. ad h. l. Theocr. Id. XXI. 1. *ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.* Apul. de mag. 18. p. II. p. 487. ed. Hildebrand. paupertas, inquam, prisca apud saecula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix etqs. Pseudo-Sen. de remed. fort. X. 1. (Sen. fragm. vol. III. p. 451.) „paupertas mihi gravis est.“ immo tu paupertati, non in paupertate vitium est, sed in paupere.

9. Hoc quidem cum ab eius generis versuum scriptoribus et Graecis et Romanis observatum, tum a veteribus grammaticis praeceptum video, ut post alteram dipodiam obtineret diaeresis. Cf. Rossbachii et Westphalii librum, quem inscripserunt Metrik d. Griech. Dram. u. Lyriker. tom. III. 1. II. 1. §. 23. p. 148. Godofr. Hermanni Elem. doctr. metr. II. 7. p. 18. Hanc legem quamquam a poëtis Graecis et Romanis comicis haud raro neglectam esse constat, nullum tamen certum neglectae illius diaeresis exemplum apud hunc Publilium reperitur. Omnes enim versus, qui laesam caesuram vel potius diaeresin ostendunt, vel ex falsa verbo-

rum transpositione, quam ex grammatica ratione factam esse demonstravimus (cf. Publ. F 26 (191). praef. p. 14.) vel ex aliis etiam erroribus vitium contraxisse video. Gruterus vero, ut neglectam diaeresin vitaret, eundem versum omisso v. dolor videtur posuisse, cum sic scriberet: Heu quám miser est, qui in tórmento vocem haúd habet! Cf. Edit. Bip. 263. Exstant autem hi apud Publilium, si Woelfflini editionem sequor, versus quadrati numero quadraginta: A 33. B 16 (59). C 6 (90). C 15 (99). C 16 (100). D 4 (126). D 23 (145). E 9 (155). F 19 (184). F 20 (185). F 22 (187). H 4 (206). H 6 (208). H 7 (209). H 9 (211). H 10 (212). I 12 (241). I 16 (245). I 22 (251). I 24 (253). I 34 (263). M 13 (321). M 18 (326). M 52 (360). N 5 (381). N 6 (382). N 8 (384). N 9 (385). N 55 (431). O 4 (439). O 9 (444). P 30 (479). Q 25 (525). Q 53 (553). Q 61 (561). S 1 (584). S 23 (606). T 1 (626). V 7 (635). V 10 (638). Ex his, quos enumeravimus, unus S 1 (584) mihi quidem, ut vulgo erat, senarius inter senarios reponendus videtur: ex reliquis vero undequadraginta triginta duo versus iusta diaeresi utuntur, ut ex eo ipso cognoscere liceat Publilium illam de diaeresi legem observare quam neglegere maluisse. Quamobrem ne septem quidem reliquos versus: D 23 (145). H 9 (211). H 10 (212). M 18 (326). M 52 (360). Q 53 (553). S 23 (606) carere iusta diaeresi debere censeo: ut igitur ceteros, ita hunc quoque versum, de quo disputamus, iustae diaeresis expertem non videri, dummodo versum cum Bothio et Antonio sic scribas: H. d. q. m. e. vocem qui in tormento non habet! Tormento autem numerum singularem Bentleius propterea plurali tormentis videtur praetulisse, quod nec supplicium illud nec animi corporisve cruciatus multos ac repetitos, sed unum aliquem dolorem vehementem aut curam innui crederet. Cf. Ov. Trist. V. 13. 3. Hor. Ep. I. 2, 58. Iuv. Sat. II. 147. IX. 18. Itaque haec versus senteutia est, eum miserrimum esse, qui quam vehementer crucietur, eloqui aut nolit aut non possit. Cf. Sen. Controv. II. 13. p. 176. ed. Bip. caeduntur flagellis artus, verberibus corpus abrumpitur exprimiturque ipsis vitalibus. Tacet. Excerpt. Controv. IV. 1. p. 416. ed. Bip. cum miserrimum sit flere, quam infelix sum, cui ne hoc quidem licet. Sen. Thyest. 951. flendi miseris cupido. Hippol. 602. vis magna vocem emittit, et maior tenet. 605. Curae leves loquuntur, ingentes stupent. Erasmus quidem cum in versu tormento scripserit, tamen tanquam tormentis scriptum legat, de supplicio interpretatur: „Et hic trochaicus est. In tormentis verum exquiritur. At quidem ita torquentur, ut non ausint verum dicere, scientes quid velit taceri, qui torquet.“ Restat ut duo novorum versuum quadratorum genera, alterum eorum, quos ex senariis mutavi, alterum eorum, quos nullis numeris adstrictos quadratos feci. Hi sunt quattuor: G 7 (200). H 11 (213). N 16 (392). P 42 (491); illi undecim: A 40. C 25 (110). H 25 (227). I 61 (291). N 24 (400). O 5 (440). O 13 (448). Q 63 (563). R 5 (573). S 9 (592). S 20 (603).

10. Verba ita interpretatur Erasmus: „In longa vita multa accidunt, quae nolis“: unde multa in verbis intercidisse suspiceris. Nec dubitandum videtur, quin Publilius, cum hunc versum funderet, respexerit ad Caecilii Statii versum eum, queḿ Cicero Cat. Mai. VIII. 25. attulit. Cf. Ribbeck. Com. Rom. fragm. p. 65. quam diú vivendo múlta quae non vólt videt. Sen. ep. XVI. 1 (96) 3. omnia ista in longa vita suut, quomodo in longa via et pulvis et lutum et pluvia.

11. Hic versus omnium maxime virorum ingenia exercuit. Spengelius quidem, qui ab R codice aberat, eum in margine olim scriptum fuisse suspicatus est, unde librariorum alteri (F) cum ab eisdem verbis

inciperet versus, a quibus v. 208., eius loco ponendum esse rati omisissent illum v. 208., alteri (PR: esse debet PB) utrumque recepissent. Nec minus versum exclusit Bothius ad Publ. v. 967. Nobis uterque Publilianus videtur. Tum Ribbeckius cum versum libris sane melioribus ita exhibitum vidisset: „Heu quam miserum est discere servire, ubi sis doctus dominari!" qui iustam sententiam praeberet, novi generis versum in his Publilii versibus senariis et quadratis exstitisse coniecit: hunc esse anapaesticum septenarium, qui sic legi deberet: Heu quám miserum est discére servire, ubi sís doctus dominári! Nihil movit Woelfflinus, nisi quod versum desperandum uncinis inclusit. Nihilotamensecius alii aliter versum emendare conati sunt. Ex quibus Gruterus versum quadratum effictum sic scripsit: Heú quam miserum est díscere servire úbi dominari dóctus es! quam emendationem secuti sunt editor Bipontinus et Orellius. Equidem cum nec novos numeros introducendos nec versum desperandum esse putarem, multas sane ac diversas vias ingressus nunc versum ita exire volebam: H. q. m. d. s. ubi sis doctus dominia; quae essent convivia, qualia dominus convivis praeberet („Herrenmähler" cf. Taubmann. ad Plaut. Mil. II. 2, 9. 10. Non. Marcell. IV. p. 281. ed. Gerlach. et Roth. p. 193. Lucil. fragm. XIII. 5. p. 37. ed. Gerlach. Gronov. ad Gell. NA. II. 24, 2. Schütz. ad Cic. Verr. III. 4. Sall. Iug. 85, 39. Liv. 23, 8. Sen. ep. V. 6, 2. Mommsen. Röm. Gesch. II. p. 282.) nunc: H. q. m. e. discere servitium, ubi sis doctus dominium," ut condicio servilis (Sclaventhum) dominicae (Herrenthum) opponeretur (cf. Tib. II. 1, 41. 42. 4, 1. Sen de vit. beat. IV. 4.) nunc: H. q. m. e. discere servire, ubi sis dominari catus (cf. ad Pub. A 33.): sed quicquid tentabam, frustra esse intellegebam. Sero animadverti, quod statim suspicionem movere oportuerat, codicis Frisingensis scripturam ubi non a Vincentio Bellovacensi particula nisi explicatam ab aliorum librorum scriptura adeo abhorrere, ut haec vestigia sequi operae pretium existimarem. Primum enim doctus, cum esset adiectivum, male pro verbo acceptum esse videbatur. Quo facto nemo miretur, ut esset quod verbo docendi opponeretur, ad v. servire velut interpretamentum additum esse discere. Quam suspicionem adiuvabat cod. C, a quo discere abesset. Cf H. Schütz. in act. diurn. quae inscribuntur Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen XI. 8. p. 619. Adnot. ad Publ. H 5 (207). Postremo illud in mentem venit posse, ut in ipsis extremis versuum Publilianorum verbis non semel observaveram maxima corruptelarum vitia insedisse (vid. praef. p. 20.) ita v. dominari corruptum esse. Cf. Publ. F 6 (171). I 13 (241). M 13 (321). M 17 (325). M 29 (337). M 52 (360). N 14 (390). N 16 (392), N 25 (401). N 36 (412). O 13 (448). P 19 (468). Q 29 (529). Q 32 (532). Q 36 (536). Q 47 (547). V 4 (632). Hinc pro dominari scribere dominarier pronum fuit cf. Publ. D 5 (127). Doctus autem i. e. peritus vel gnarus cum infinitivo coniungitur (cf. Sen. ep. XV. 2. (94) 32. nam hic quoque doctus quidem est facere, quae debet, sed haec non satis perspicit) ut indoctus i. e. imperitus vel rudis cf. Hor. Carm. II. 6. 2. Cantabrum indoctum iuga ferre). Ubi particula cum indicativo coniuncta aliquid certo quodam tempore esse, cum coniunctivo coniuncta quicquam quopiam tempore fieri posse significat: illud nos dicimus „zu der Zeit wo;" hoc: „im Fall dass:" id quod in hunc locum cadit. Quae cum ita sint, haec sententia illum miserum, esse docet, qui, cum tam imbecillo ingenio sit, ut dominari nesciat, servilia munera obire cogatur. Cf. Publ. Q 44 (544). R 5 (574). Plaut. Rud. I. 3, 34—37. 62. 63. Stich. I. 2, 65—68. 75—77. Sen. de ir. II. 15, 4. deinde omnes istae feritate liberae gentes leonum luporumque ritu ut servire non possunt, ita nec imperare.

non enim humani vim ingenii, sed feri et intractabilis habent. nemo autem regere potest nisi qui et regi. Sen. ep. II. 6 (18) 6. hoc secuti sunt, qui omnibus mensibus paupertatem imitati prope ad inopiam accesserunt, ne unquam expavescerent, quod saepe didicissent. Sen. Theb. 597. in servitutem cadere de regno grave est. Troad. 749. servire liceat. Aliquis hoc regi negat? — Quid quod eandem fere sententiam Goethius, poëta ille clarissimus, eo carmine persecutus est, quod Cophticum inscripsit (cf. Werke tom. I. p. 102. ed. a. 1840): cuius extremi hi sunt versus:

Du musst steigen oder sinken,
Du musst herrschen und gewinnen
Oder dienen und verlieren,
Leiden oder triumphiren,
Amboss oder Hammer sein!

Francogalli hodie dicunt „devenir d' évêque meunier“ cf. Mesanger. dict. des prov. Français. Ceterum ne quis me tantum tribuisse miretur codici Frisingensi, ut huius potissimum ope huic versui medelam afferendam putarem, alii quoque loci inveniuntur, quibus is ipse ceteris praestare videatur, Publ. D 7 (129). D 14 (136). L 9 (300). M 10 (318). M 11 (319). Vide Meyer. p. 9.

12. „Insidiosa est blandiloquentia“ Erasmus. Cf. Menand. Monost. 37. *ἄρ' ἐστὶ θυμοῦ φάρμακον χρηστὸς λόγος.* 313. *λόγῳ με πεῖσον, φαρμάκῳ σοφωτάτῳ.* Phaedr. fab. I. 19, 1. habent insidias hominis blanditiae mali. Ribbeckius.

13. T o t i e n s ut bisyllabum pronuntiandum videtur cf. Publ. A 5. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 206. „Orbitas mors quaedam est“ Erasmus. Cf. Niobe apud Ov. Met. VI. 282. 283. per funera septem efferor. Sen. ep. XVI. 4 (99) 15. inhumanitas est ista, non virtus, funera suorum iisdem oculis, quibus ipsos, videre nec commoveri ad primam familiarium divulsionem. de provid. IV. 5. ad Marc. de consol. II. 4. III. 2. Quint. VI. 3. 6. mihi filius minor quintum egressus annum prior alterum ex duobus eruit lumen. Ne tamen nimio dolore de nostris morte amissis conflictemur monet Sen. ep. XVI. 4, 6.

14. Versum foedissime corruptum viri docti alii aliter sanare conati sunt. Scaliger quidem versum sic scripsit, ut scriptus exstat apud Gruterum v. 270.: Homo sémper in os fert áliud, aliud cógitat. Sed idem Gruterus versum in trochaicis sic exhibet: Hómo semper aliúd fert in se, in álterum aliud cógitat: quae versus forma cum Erasmo congruit, nisi quod is verborum ordine mutato scripsit: „H. s. in sese aliud fert, in alterum aliud c.“ versumque non trochaicum, sed iambicum tetrametrum putavit. Gruterum secuti sunt, ut solet, ed. Bip. et Orellius; ineptum hunc versum: „H. s. in os fert aliud, aliud cogitat“ se omisisse ait Bothius ad Publ. v. 303. Iam Woelfflinus postquam olim Phil. XXII. p. 461. coniecit: „H. saepe f u r i t in aliud“ etqs. tum se malle dixit: „H. saepe f e r t u r in aliud“ etqs. (cf. Nauck. l. l. p. 206.) scripsit tamen, quod Halmius et Maehlyus scribendum proposuerant: „H. saepe in aliud fertur“ etqs. Ribbeckius autem ed. II. ita coniecit: „H. fért prae se aliud, áliud furtim cógitat,“ Spengelius haec proposuit: „H. semper aliud fruticat, aliud cogitat,“ Meyerus p. 8. sic malit: „H. semper aliud Fortuna aliud cogitat.“ Mihi quidem cum in universum de sententia constaret, quae esse doceret, ut homo aliud vel diceret vel faceret, aliud cogitaret, qua de malitia notum esset illud Homeri vel Achillis (Jl. IX. 312. 313): iam illud animo scrupulum iniecit, quod hominem s e m p e r aut quod alii substitu-

erunt, saepe sic consuesse doceret. Id enim adeo omni fide maius est, ut nemini nisi Didoni illud credamus, quod Verg. Aen. IV. 373. dicentem facit nusquam tutam fidem esse. Attamen Erasmus sua sic interpretatus est: „Nemo non est dissimulator." Tum vero mihi hoc persuadebam latere in prodigio illo furetina vel furetinat verbum iurare: ita ut ea sententia, quam verbis sane contineri credebam, paullo aliter sic expressa fuisse mihi videretur esse ut homo aliud iuraret, aliud cogitaret, qua de re Hippolyti illud esset apud Eurip. Hippol. v. 607. ed. Aug. Matthiae. coll. Stob. Flor. t. 28, 6. ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Quod in libris semper scriptum erat, id me eo deduxit, ut sententiam corruptam sic se habuisse existimarem: Homo semper aliud iurat, in aliud cogitat. Etsi in aliud cogitare ita dici potest, ut sit in aliam rem animum intendere dixitque Varro de ling. lat. V. p. 56. ed. Henr. Stephan., iusta tamen verbi structura haec est, ut cum accusativo coniungatur. Nec vero latet, qui factum sit, ut in aliud scriberetur pro eo, quod debuit scribi, aliud. Est enim haec librariorum interpretandi consuetudo, ut praepositione in cum pronomine vel adiectivo neutrius generis coniuncta utantur, si quo quid consilio aut modo factum sit significaturi sunt. Ad eam rem comprobandam unum exemplum proferre satis erit. Apud Pseudo-Sen. de mor. 35. cum haec scripta videamus: „Hoc habet omnis affectus, ut in quod ipse insanit, in idem etiam ceteros putet furere" latine sic scribi oportuit: Hoc h. o. a., ut quod vel quo modo i. i. idem vel eodem modo c. p. f. Quae autem antecedunt, aliud iurat, ea orta esse arbitror ex ubi deiuret. Sed iam singula videamus. Homo hoc loco cum contemtu dicitur, qua notione praesertim in comoedia nihil usitatius est, velut apud Plaut. Truc. II. 7, 35. V. 41. Ter. Andr. IV. 4. 5. 30. Deinde deiurare verbum satis frequens apud eosdem comicos significat sancte iurare, nos dicimus „hoch und theuer schwören." Cf. Lambin. ad Plaut. Cas. III. 5, 36. 37. per omnes deos et deas deiuravit. Rud. V. 2, 49. Altera eiusdem verbi forma est deierare cf. Plaut. Men. V. 2, 63. Ter. Hec. V. 2, 5. ad quem locum Donatus docet paenultimia correpta dici deiĕro, cum significet deos iuro, producta vero, cum valde iuro: sed opportune Forcellinius cave, inquit, homini quidquam creduis! Cf. Ruhnken. Dict. ad Ter. Eun. II. 3, 40. p. 232. ed Schopen. quo loco verba cum praepositione de composita vim verbi simplicis augere adnotat. Ad postremum aliud cogitat, qui id agit, ut secus faciat atque locutus est. Cf. Publ. M 61 (369). N 24 (400). Quibus rebus explicatis hoc videtur monere versus sententia, ut si quis semper sancte iuret, ab eo homine caveas, ne aliud atque iuraverit spectet. Iurisiurandi religio quam parvi, cum mores in dies magis a virtute deflexissent, etiam apud Romanos fuerit, ex ipsa eorum comoedia, quae hominum mores tanquam in speculo adspiciendos praebet, cognoscere licet. Cf. Plaut. Capt. IV. 2, 104. Bacch. IV. 8, 57. Vide praeterea Sen. ep. III. 3 (24) 19. turpe est aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius aliud scribere, aliud sentire. Quint. V. 6, 3. Idem virum malum aliud dicere necesse ese ostendit, quam sentiat, atque hoc in Bruto oratore laudat, quod quae dicat ipse sentiat. Quint. XII. 1, 29. X. 1, 123. Hinc Alexis in Olynthiis: οὐ τοῖς γὰρ ὀμνύουσι τὸν φρονοῦντα δεῖ, τοῖς πράγμασιν δ' αὐτοῖσι πιστεύειν ἀεί cf. Stob. Flor. t. 27, 9. atque Sophocles ap. Stob. Flor. t. 28, 5: ὅρκος γὰρ οὐδεὶς ἀνδρὶ φηλήτῃ βαρύς. Caec. Balb. p. 32. Mon. XXXVIII. 4 (Sent. 45).

15. Apparet, inquit Ernestius in Schuetzii Lex. Cic. v. rumorem popularem esse famam, laudem populi. Haec Quint. V. 3.: famam atque rumores pars altera consensum civitatis et velut publicum testimonium

vocat: altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum. cui malignitas initium dederit [cf. Publ. M 55 (363)] incrementum credulitas: quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere fraude inimicorum falsa vulgantium. Hinc honestus rumor est. quem a civibus collectum pater filio quasi hereditate relinquit. „Tantundem fere valet honesta fama. quam patrimonium" Erasmus. De qua sententia cf. Cic. pro dom. 58. liberis autem nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostrae memoriae relinquemus. Publ. B 19 (62). B 40 (83). P 49 (498). Hoc Francogallorum proverbium est: Bonne renommée vaut mieux que ceinture dorée cf. Mesanger. Dict. des prov. Franç. p. 158. qui cum Publilii versum affert. hunc affert: H. amor a. p. e.

16. Haec Erasmi interpretatio: „Non sentitur dolor, quo paratur aliquid commodi" ex iis, quae posuit. verbis expediri nullo modo potest. Fortuna si dea intellegatur. non hoc sententia videtur significari posse, quod supra Publ. E 7 (153) dixit Fortunam questu hominum deam factam esse. quoniam pro praesenti invenit exspecto perfectum, nisi forte hominem peregrinantem atque in itinere Fortunae deae obviam venientem comitemque eam accipientem fingere vis cf. Publ. F 2 (167). Equidem fortunam singulari numero beneficium vel bonum fortuna oblatum vel opes in pecuniis positas significare putem cf. Ov. Trist. V. 2, 57. Tac. An. IV. 23. Hist. I. 12. Ruhnken. ad Vell. II. 60. 1. Spalding ad Quint. VI. 1, 50. Iam invenire fortunam est casu aliquo in bonum aliquod incidere cf. Publ. B 29 (72): de qua verbi notione cf. Sen. de benef. III. 22, 1. beneficium est intra domum inventum. Ov. Am. III. 8, 54. possidet inventas sanguine miles opes (cf. Schilleri carmen. quod inscripsit „Wallenstein's Lager" Op. tom. IV. p. 31. „die Weltkugel liegt vor Ihm offen): ut sunt quaesitae opes industria ac labore partae. Cf. Ov. Am. III. 8. 64. Hinc non solum invenire dixit argentum Ter. Phorm. III. 3, 1. aurum Plaut. Bacch. II. 2, 41. thesaurum Hor. Serm. II. 6. 11. remedium Ter. Andr. III. 1, 10., sed etiam gloriam Sall. Iug. 94 extr., ad quem locum Fabrius, „invenire. inquit, ist passend gewählt, um das Zufällige zu bezeichnen", laudem Ter. Andr. I. 1, 39. gratiam Plin. NH. XIX. 5, 29. veniam Plaut. Rud. prol. 27. Versus igitur haec sententia est: Videtur tanquam fato fieri, ut homo. cum sine dolore esse posset, si praesentibus uti licuisset. subito opes nanciscatur: quibus tantum abest ut magis tranquilla et iucunda vitae condicione fruatur. ut curis et cupiditatibus accrescentibus plus dolere, quam gaudere coeperit. In Germanicum sic Latinum vertere licet: „Um Leid zu finden, macht der Mensch den Fund des Glücks." Addo Nisardi interpretationem: „L'homme serait sans douleur. s'il ne trouvait la fortune."

17. „Honestum est servire tempori et credere fortunae ad tempus" Erasmus. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 135. Dissentit Sen. ep. V. 11 (51) 9. libertas proposita est. Ad hoc praemium laboratur: quae sit libertas quaeris? Nulli rei servire, nulli necessitati. nullis casibus. fortunam in aequum deducere.

18. Versus exitus monosyllabus perraro apud Publilium invenitur cf. Publ. A 52. H 19 (221). [N 16 (392)]. [N 35 (411)]. Frequentior est apud Phaedrum cf. III. 15. 9. IV. 12 (11) 7. 23. 11. V. 5. 23. 9. 4. „Vita datur ad tempus. ut qui dedit exigat suo iure, quandocunque velit" Erasmus.

19. Sub persona] utitur ea dictione Sen. de. tranq. anim. XVII. 1. non iucunda vita aut secura est sub persona viventium. Nat. quaest. VII. 32. 3. deinde sub persona cum diu trita frons est. transitur ad galeam (al. ganeam). Quint. VI. 1, 26. ut scenicis actoribus eadem vox,

eadem pronuntiatio plus ad movendos affectus sub persona valet. Itaque risus sub persona personatus (cf. Sen. ep. XI. 1 (80) 8) risus est vel quem persona sive larva (cf. Gell. NA. V. 7) sic operuit, ut facies (Sen. de benef. II. 13, 2) spectari non possit. Sic Francogalli olim dicebant rire sous bourre vel sous le bourrelet de son chaperon i. e. sub pilei umbraculo (cf. Mesanger. Dict. des proverb. Franç. p. 81.) nunc dicunt rire sous cape vel rire dans la barbe (p. 88) nos dicimus: „sich in's Fäustchen lachen." Iam fictas saepe vel consuetudine vel consilio quasi ad spectaculum profundi lacrimas, quae non ex vero animi adfectu, sed ostentationis causa eiciuntur, quis est qui nesciat? Seneca quidem de tranq. anim. XV. 6. plerique homines, inquit, fundunt, ut ostendant, et totiens siccos oculos habent, quotiens spectator defuit, turpe iudicantes non flere, cum omnes faciant. Idem ep. XVI. 4 (99) 20. nec cessant, inquit, nec fluunt unquam tam turpiter, quam finguntur. Quid quod laudatur etiam a Grutero Lucanus Caesarem allato Pompeii capite illacrimantem his versibus (IX. 1041—1044) describens: „lacrimas non sponte cadentes effudit gemitusque expressit pectore laeto, non aliter manifesta putans abscondere mentis gaudia quam lacrimis? Ut hoc versu, de quo disputamus, Publilius hominem quendam inducit hereditatis avidum, qui vel amico aegro adsidens, ut ait Seneca ep. XV. 3 (95) 43. vulturis instar cadaver exspectet vel divitis alicuius funera heres scriptus videatur prosequi cum gemitu ac fletu, sed re vera cum risu prosequatur. Hinc recte Erasmus sententiam sic explicat: „Fletus heredis est risus personatus i. e. dissimulatus, gaudet enim etiamsi fleat. Cf. Hor. Serm. II 5, 102. Sen. ep. XX. 6 (123) 11. Phaedr. IV. 19, 18.

20. „Quidam codices habent ferre pro scire. Satius est ferre qualemcunque heredem quam nullum habere. Si legas scire, sensus est: praestat habere liberos, quibus tua relinquas, quam circumspicere alienos, quibus tua relinquas." Erasmus. Fieri et ferre confusa in cod. T cf. Publ. M 1 (309). Sententiae acumen in verbis fieri et quaerere esse cognoscitur, ut magis e re esse dicatur alienam capere hereditatem, quam quaerere, a quo tua capiatur: id quod a comoediae argutiis ac festivitate non videtur abhorrere. Heredem fieri dicit Ulpianus de legit. heredibus tit XXVI. de suis hered. 2. quamdiu suus heres speratur heres fieri posse, tamdiu locus agnatis non est. Cf. Publ. M 15 (323).

21. Locus maledicti est materia maledicendi vel argumenti sedes, ex qua iusta maledicendi causa petatur. Cf. Cic. Top. II. Or. 48, 162. Div. II. 1. Off. I. 14. Quint. IV. prooem 4. Sen. ep. V. 6 (47) 11. Habere autem significat afferre cf. Cic. pro Mur. 40. 41. Cat. IV. 4, 7. Off. I. 14. Caes. BC. I. 63. II. 31. Cum genetivo rei coniungitur locum habere a Ter. Andr. II. 1, 10. neque pol consili locum habeo neque auxilii copiam. Hinc sententia docet, si qua mulier sive divortio facto sive viro defuncto novas semper nuptias faciat, magnam in vulgus fieri copiam et materiam maledicendi. Haec Erasmus: „Vulgus male sentit de muliere saepius nupta." Cf. Publ. M 32 (340). Hieron. adv. Iovin. I. 15. p. 190. (Sen. fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 430, 61): illa (Terentia) interim coniux egregia et quae de fontibus Tullianis hauserat sapientiam, nupsit Salustio, inimico eius, et tertio Messallae Corvino et quasi per quosdam gradus eloquentiae devoluta est. Ibid. p. 191. (vol. III. p. 431, 68): Quasdam repudiatas altero nuptiarum die statim nupsisse legimus: uterque reprehendendus maritus et cui tam cito displicuit et cui tam cito placuit. Huic levitati contrarium exemplum Marciam fuisse narrat Catonis filiam minorem ibid. p. 188. (vol. III. p. 432, 73): quae cum lugeret virum et matronae ab ea quaererent, quem diem haberet luctus ultimum, dixisse,

quem et vitae; ad quam narratiunculam haec scriptor subicit: arbitror, quae ita virum quaerebat absentem, de secundo matrimonio non cogitabat."

22. Improbus cum deliquit puniendus est: sed ita licet ei parcere, ut probo alicui parcas. Cf. Publ. M 37 (345).

23. Dio Chrys. orat. Tars. II. p. 427 (tom. II. p. 57. ed. Reiskii): *τὸ μὲν γὰρ ἁμιλλᾶσθαι πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους ὑπὲρ δικαιοσύνης καὶ ἀρετῆς καὶ φιλίας καὶ ὁμονοίας καὶ τούτοις περιεῖναι τῶν ἄλλων καὶ κρατεῖν ἡ καλλίστη πασῶν νίκη καὶ ἀσφαλεστάτη.* Gruterus.

24. Honores viro bono laudi sunt, quod dignus iis habetur: qui si malo habentur, infamiae potius notae, quam virtutis ornamenta dicenda sunt. Cf. Publ. L 1 (291).

25. De hoc versu haec Spengelius in praef. p. 13.: „v. 226. ut nunc ex Gruteri coniectura legitur: Heu conscientia animi gravis est servitus! perperam legitur-debebat enim esse aut heu quam gravis (conf. 159, 202, 204, 208, 210, 211) aut heu gravem servitutem! Immo ita ut in codice exstant verba: Haec conscientia animi gravior est servitute prosae orationis sunt contextu suo destituta et abrupte in hunc versuum ordinem delata." Equidem versus verba numeris neglectis ex grammatica ratione ordinata vel potius turbata esse censeo. Vide praef. p. 29. Conscientiam animi malam significare solet Publilius cf. C 16 (100). Itaque versus sententia maleficiorum conscientiam iugum servitute gravius esse docet.

26. Ut homo frugi, ita frugi esse dixit Publilius cf. A 52. Flectere est a via proposita in aliud curriculum devocare cf. Cic. Att. XI. 18. Verg. Aen. VII. 312. Liv. 28, 22. Quint. VI. 1, 9. Vir etiam bonus saepe rerum opportunitatibus impellitur, ut ab eo, quod ipsi mente ac ratione propositum est, decedat et secus agat ac voluit. Sententiae exemplum ponit Quint. XII. 1, 43. Certe Fabricius Cornelium Rufum, alioquin et malum civem et sibi inimicum, tamen quia utilem sciebat ducem, imminente bello palam consulem suffragio suo fecit: atque id mirantibus quibusdam respondit a cive se spoliari malle, quam ab hoste venire. Scilicet Germani, non quo ipsi furandi studio trahantur, sed quod aliis saepe populis sui despoliandi copiam faciebant, dicunt: „Gelegenheit macht Diebe." Cf. grex v. 3. 4. ap. Plaut. Asin. nec quisquam est tam ingenio duro nec tam firmo pectore, quin ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat bene. Sall. Iug. VI. 3. opportunitas — quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit.

27. Verborum ordo etsi eo commendari videtur, quod primariae notionis nomen sub tertium senarii ictum cadit: tamen Publilius particulas tum (tunc), cum solet aut iuxta ponere, ut F 24 (189) aut minimo intervallo disponere, ut S 11 (594). „Quo plura sunt promiscua, quibus utaris, eo difficilius est, quid eorum unum omnium optimum sit, eligere."

28. De sententia conferri iubet Woelfflinus Cic. Or. 28, 98. „medius ille autem (orator) quem modicum et temperatum voco — — magnum tamen periculum non adibit. Alte enim cadere non potest." Publ. E 15 (162).

I 1. Recte mihi versum reposuisse Scaliger, interpretatus esse Gruterus videtur. Verbi rescire vim ac potestatem Gellius NA. II. 19, 2. ita explicat: „qui factum aliquod occultius aut inopinatum insperatumque cognoscit, is dicitur proprie rescire." Nec vero aliud in verbis cum praepositione compositis inest atque in hoc ipso verbo rescire. Quemadmodum enim reddere est non modo retro (wieder), sed etiam porro (weiter) dare, velut litteras reddere dicitur tabellarius (cf. Caes. BC. I. 1. II. 20) aut redire est et reverti et pervenire (cf. Caes. BC. I. 4. III. 93. Liv.

8, 8.) aut recipere et redimere et adimere, quod occupatum alius, quicunque erat, ante possederat (cf. Liv. 23, 44): sic est rescire, cum utrumque sit et nosse et comperire, id quod alius quidam homo novit aut comperit, ita accipere, ut ab altero profectum progressumque ad alterius notitiam cognitionemque pervenerit. Quae quidem verbi notio elucet ex Ter. Hec. V. 4, 27. 28. ubi haec leguntur: — — hic, quos fuerat par resciscere, sciunt: quos autem aequomst scire, neque resciscant neque scient: quo loco resciscere significat id quod nos dicimus „wieder erfahren." Non dissimulandum est breviorem verbi praesentis formam rescire nullo loco nec Plauti nec Terentii inveniri: illi enim praeterquam quod est rescitum iri apud Ter. Ad. I. 1, 45. rescitum est apud eundem Hec. III. 1, 7. aut verbi perfecto rescii (rescivi) utuntur (cf. Ter. Eun. II. 3, 96. Hec. II. 2. 20. IV. 1, 4.) in quo praesentis formam dignoscere non possis, aut verbi resciscere praesenti (cf. Plaut. Marc. I. 1. 106. II. 3, 46. 128. V. 4, 44. Ter. Andr. II. 3, 26. V. 6, 4. Heaut. IV. 2, 3. Ad. IV. 2, 7. Hec. III. 1. 5. 5. 23. V. 4, 27. Phorm. IV. 1, 19. V. 1, 37. 3, 36.) vel imperfecto (cf. Ter. Ad. IV. 5, 57. Phorm. V. 1, 19.) vel futuro (cf. Plaut. Bacch. IV. 7. 28. Most. III. 1, 9. Merc. V. 4, 44. Ter Heaut. IV. 3. 19. Hec. II. 1, 11. V, 2, 24. 4, 28.): non tamen quisquam erit, qui dubitet, quin quod verbum appellaverit Gellius, id verbum apud Latinos exstiterit. Iam vero superiorem potentiorem, potentiori inferiorem obnoxium esse vix exemplis opus est ad probandum cf. Publ. D 25 (660). D 27 (661). F 33. P 24 (473). Quare versus sententiam eam esse puto, quam et Erasmus hac interpretatione assecutus est: „Quod principes peccant, id recidit in malum plebis" et Horatius Ep. I. 2, 14. versu illo notissimo expressit: „Quicquid delirant reges plectuntur Achivi." Simile illud Phaedri I. 31, 1. humiles laborant, ubi potentes dissident. Cf. Publ. C 41.

2. „Iucundissima res est vindicta et velut altera vita. Primum vitam teutur suam, deinde capit voluptatem ex ultione" Erasmus.

3. „Qui non cupit manere, hunc quo magis retines, hoc magis cupit abire" Erasmus.

4. Indignum non est generis neutrius, ut vult Bothius, cum interpretetur: „rem indignam homine ingenuo h. e. καλοκἀγαθῷ," sed masculini, ut sit homo indignus i. e. non dignus, quem precibus adeas. Cf. Publ. B 35 (78). Haec Erasmus: „Servile est supplicem esse homini indigno, laeditur ingenuitas." Cf. Publ. H 29.

5. In nullo tuitus esse mihi videor ad Publ. B 41 (84). „Nulli benefacit avarus, se vero etiam discruciat custodia rerum suarum" Erasmus. Cf. Publ. A 26. Plaut. Trin. II. 2, 69—71. sed civi immunifico scis quid cantari solet? Quod habes, ne habeas, et illud, quod nunc non habes, habeas malum, quandoquidem nec tibi bene esse potes pati nec alteri.

6. „Bis gratum est beneficium, quod statim datur egenti" Erasmus. Cf. Publ. B 1 (44) D 19 (141). „Qui tôt donne, deux fois donne" Mesanger. Dict. des proverb. Franç. p. 157. cum haec addit: „C'est une pensée de Sénèque: Bis dat qui cito dat. — Au contraire une grâçe attendue perd le caractère de bienfait. Gratia quae tarda est, ingrata est gratia."

7. De hoc versu vix certi quicquam statuere licet. Quamquam credere Senecas aut patrem, qui luxuriae scriberet, aut filium, qui inopiae, ex memoriae lapsu falsa tradidisse non prorsus absonum videtur, ita ut utrum ad Publilium redeat ambigi possit, tamen id quod Publilium Ribbeckius duplicem hanc sententiam protulisse dixit, magis probandum est. Cf. praef. p. 4. Notandae avaritiae in comoedia mimove tam multa erat

copia, ut omnibus fabulae locis carpi posset: quare illa sententia in duobus Publilii mimis diversis audiri potuerat. Sed potuerat etiam Publilius quo magis inclinat animus, avaritiam, quo vitio pessimo bonos civitatis mores imprimis depravatos esse omnes Romanorum scriptores queruntur, uno maxime loco, ut in illo de luxuria carmine fecerat, quod Publilii nomine fertur, descripsisse et castigavisse plenius atque uberius. Quid si eo loco avaritiam cum ceteris, quibus civitas laborabat, malis luxuria et inopia comparando illud malum iis etiam maius ac gravius a poëta depictum fuisse putamus: nonne ex una illa morum notatione duae sententiae illae continuae sic fluere poterant, ut Senecae, uti vellent, suam quisque sententiam repeterent? Iam vero librorum manuscriptorum auctoritate constat non Senecae rhetoris, sed Senecae philosophi versum in sententiarum Publilianarum collectionem receptum esse. Quamobrem alter Senecae rhetoris versus nisi ad memoriam in hunc Publilii locum insinuare non debebat: cf. Erasm. v. 218, qui haec adnotat: „Hunc versum Seneca citat in controversiis. Multis eget profusor, avarus eget omnibus. Illi multis est opus, qui multum absumit, huic nihil est satis, cum sit insatiabilis." Bentl. v. 151. 171. Gruter. v. 314. 357. Ed. Bip. v. 320. 363. Orell. v. 325. 371. Both. v. 359. 416. Altero autem Senecae philosophi versu hoc factum est, sive culpa scholarum, quibus sententiae Publilianae tractabantur, sive librariorum, quorum opera perscribebantur, ut verborum ordo is, qui apud Senecam apparet, mutaretur. Quod cum factum esset, versus posthac a verbo inopiae incipiens, ut nunc legitur, in numero sententiarum a littera I incipientium legebatur, qui a verbo desunt incipiens, ut apud Senecam legitur, in sententiarum a littera D incipientium numero habendus erat. Praefero multa. Sic enim sententia videtur conformanda: „Luxuriae et inopiae ut multa desint, quae iis deesse concedo: tamen multo miseriorem, cui non multa, sed omnia desint, avaritiam existimo." Iam ut mihi propositum est, Erasmi adnotationem subiciam: „Opinor sic legendum: Inopiae multum deest, avaritiae omnia i. e. multis eget pauper, sed avarus omnibus, qui nec id habet, quod habet. Videtur hic versus depravatus. Nam in controversiis Seneca citat eiusmodi Publilii carmen: luxuriae desunt multa, avaritiae omnia, quamquam hic quoque versus constabit, si legas: desunt parva sive pauca, quod ego malim." Nihil sententia Publiliana a scriptoribus magis pertractatum est, a nullo saepius, quam a Seneca philosopho. Cf. Sen. ad Helv. de consol. X. 1. nat. quaest. I. prol. 6. de vit. beat. XIII. 1. ep. XIII. 2 (97) 39. paupertas enim est non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet. Luxuriam tangit Quint. III. 7. 24. 82.

8. „Cupere, cum abundes, inopia quaedam est non expedita, sed instructa, quasi dicas dives inopia" Erasmus. In divitiis i. e. quamvis divitiae possideantur, ut apud Sen. ep. IX. 3 (74) 4. in divitiis inopes.

9. Velle h. l. idem significat, quod cupere, optare, ut apud Plaut. Curc. III. 55. 56. quod istic scriptum est, id te orare iusserat, profecto ut faceres, suam si velles gratiam. Haec Erasmus: „Qui dissimulat peccatum, is invitat, ut iterum peccet."

10. „Nihil tam dulce, quod non pariat satietatem, nisi varietate condiatur." Erasmus. Cf. Quint. I. 12, 4. 5. cum praesertim reficiat animos ac reparet varietas ipsa. VIII. 3, 52. X. 2, 13.

11. Et numeri et ratio grammatica suadent, ut verba sic collocentur: N. r. i. c., sed is quicunque sententias Publilianas collegit aut litteris designavit, nomen subiecti, in quo praecipuam sententiam inesse putaret, in versus initio videtur posuisse. Eandem causam in Publ. I 7 (236) obtinuisse arbitror, quod verborum ordo mutaretur. Plus autem ponderis,

quam in ipsum ingenuitatis nomen, hoc loco in v. recipit cadit. Recipere est enim ita admittere vel accipere aliquid, ut admissum ipsam admittentis naturam atque indolem non solum tangat et afficiat, sed etiam commutet et convertat. Ingenuitas igitur ideo non recipit contumeliam, quod haec ex sua ipsius virtute ita a contumelia discrepat atque abhorret, ut eam in suam naturam intrare non patiatur. De qua v. recipere potestate cf. Cic. off. III. 33, 119: non recipit istam coniunctionem honestas, aspernatur, repellit. Vell. II. 52, 3. 130, 3. Colum. XII. 47. „Generosi et ingenui animi est neglegere contumeliam. Aut sic: Generosus animus impatiens est contumeliae" Erasmus. Quam sententiam Seneca cum aliis locis ostendit, ut ep. VIII. 2 (71) 7., cum dicit: „Quisquis volet, tibi contumeliam faciat et iniuriam: tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus." tum dialogo, quem inscripsit de constantia sapientis, nec iniuriam nec contumeliam accipere sapientem comprobavit. Cf. Publ. I 54 (284).

12. Irritare i. e. lacessere vel provocare, ut irruat atque hominem invadat. Praefero cum Woelfflino coniunctivum voces. De structura coniunctionis cum apud Publilium eadem lex valet, quae de coniunctione ubi definita est ad Publ. H 11 (213). Hoc autem loco cum poëta illud videatur dicere voluisse irritari abs te calamitatem, si ea te dementia ceperit, ut felicem te ipse praedices (nos: „wenn du dich einen Glücklichen nennen wolltest") coniunctivo locus est, ut aliis Publilii locis, quibus eadem incertae sive voluntatis sive actionis ipsius ratio ostenditur cf. C 32 (117). F 30. H 29. I 3 (232). I 4 (233). L 17 (308). M 26 (334). M 51 (359). N 54 (430). P 19 (468). Indicativum vides apud Publ. A 20. 23. 30. B 9 (52). B 28 (71). B 39 (82) C 8 (92). C 30 (115). C 31 (116). C 37 (122). C 38. D 2 (124). D 24 (146). D 25. F 2 (167). F 20 (185). F 24 (189). G 9 (202). H 2 (204). H 27 (229). I 28 (257). I 42 (272). I 43 (273). M 27 (335). N 2 (378). N 11 (387). N 24 (400). O 1 (436). P 27 (476). P 54. Q 1 (501). Q 2 (502). Q 6 (506). Q 18 (518). Q 23 (523). Q 52 (552). Q 60 (560). Q 63 (563). S 4 (587). S 11 (594). S 33 (616). S 34 (617). V 18 (646). Quamobrem hanc sententiam sic interpretor: Si ad eam arrogantiam procedas, ut te felicem voces: vereor ne fatum provoces.

13. Tot tantisque corruptelis hunc versum depravatum video, ut vix una vel altera vox recte in libris legatur. Ac primum quidem librorum scripturam qui peccat rarior ineptam esse vidit, qua erat ingenii sagacitate, vir incomparabilis Bentleius. Sic enim Gruterus codicum Σ scripturam interpretatur: i. i. e. p. q. p. rarior] quia se non vindicat: fert potius iniurias, quam refert; sic Orellius: In hominem iustum et innoxium, qui adeo peccat rarior, impune pecces, quia scil. potentes sceleratis favent eosque adiuvant! Sed pro praesenti peccat, quod tenet Bentleius, exspectas perfectum peccavit vel peccaverit, ut videre licet ex his locis. Scripsit Ter. Eun. prol. 4—6. tum si quis est, qui dictum in se inclementius existimarit esse, sic existimet, responsum, non dictum esse, qui laesit prior; Phaedr. fab. I. 26, 1. 2. nulli nocendum: si quis vero laeserit, multandum simili iure fabella admonet; Sen. de ir. II. 28, 4. dicetur aliquis male de te locutus: cogita an prior feceris, cogita de quam multis loquaris; id. II. 30, 1. laesus est: non est iniuria pati quod prior feceris. Quint. VII. 4. 6. nam et vis contra vim et talio nihil habent adversum eum qui prior fecit, iniustitiae. Tum suspicionem movet falsa illa in codice Turicensi traiectio pronominis determinativi cum praepositione coniuncti in eum, quod ut est vox fere humilior apud poëtas et frigidior (cf. Bentl. et Peerkamp. ad Hor. Carm. III. 11, 18) ita a

Publilio aut mutatur graviore ille cf. Publ. Q 32 (532) aut vitatur omnino. cf Publ. F 9 (174). H 7 (209). M 58 (366). O 9 (444). Itaque eo deductus sum, ut pro in eum quem scribendum in quem, variam autem illam scripturam peces, pecis, pecces, peccas corruptelam ex peccat vel peccat is ortam ducerem. His vero concessis aut probatis restat, ut pro peccaverit, quod certe pro peccat scribendum esse supra diximus. reponamus peccaris: unde cum verborum sonus alluderet. facile intellegitur, qui factum sit ut peccaris prior perperam mutaretur in peccat rarior. Variasse quidem videntur libri inter peccat et peccet: sed cum et P exhibeat pecas et adverbium profecto ad peccas in codice Turicensi additum indicativum ostendere videatur, peccat coniunctivo praetuli. Impune propterea mutavi, quod sententiam laborare intellexi: esse enim persona debuit, in quam impune peccares. Quae cum secunda esse deberet, pro impune scripsi iure in te: quam coniecturam habeo quo defendam. Commemorat enim Meyerus p. 22. apud Bartolommeum, clarissimum sententiarum editorem, quas vocant Itali ammaestramenti degli antichi, a quo parvam codicis Frisingensis epitomen a Meyero littera Ψ insignitam in veterem Italorum, qui nunc sunt, sermonem conversam exstare docet, hunc versum, de quo quaerimus, sic scriptum legi: Iniuste p̄cces (preces?) in eum qui peccat, quam sententiam in Italicum sic transfert: Non sono giuste le preghiere per colui, che falla i. e. non sunt iustae preces pro eo, qui fallit. In illo autem iniuste quid aliud latere possit nisi id quod pro impune reponendum censeo: „iure in te?“ — Quae cum ita sint, versus sententiam sic explico: Merito in te ille peccat. quem tu prior laeseris. Cf. Sen. de ir. II. 32, 1. „At enim ira habet aliquam voluptatem et dulce est dolorem reddere. Minime: non enim ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita iniurias iniuriis. Illic vinci turpe est, hic vincere. Inhumanum verbum est et quidem pro iusto receptum [ultio et] talio. Non multum differt nisi ordine: qui dolorem regerit, tantum excusatius peccat.“ Equidem non dubito, quin Seneca hunc ipsum Publilii versum spectaverit.

14. „Unius hominis ingratitudo (cf. Nolten. Lex. ling. lat. antib. tom. I. p. 425. 551. 584) facit, ut nec gratis succurratur, cum egent“ Erasmus. Cf. Publ. M 1 (309). Plaut. Bacch. III. 2. 10—13. Cic. off. II. 18. Sen. de benef. I. 1, 9. III. 1, 3. ingratus est, qui beneficium accepisse negat, quod accepit; ingratus est, qui dissimulat; ingratus, qui non reddit; ingratissimus omnium, qui oblitus est. VII. 32. „Auson. ex Menandro: Ingrato homine terra peius nil creat“ Fabricius ap. Kremsier. p. 39. v. 409. coll. Publ. ed. Bothii v. 343.

15. Mihi quidem versus sententiam recte assecutus videtur Halmius esse, contumeliam in neminem impunius fieri nisi in miserum: quam sententiam et ipse Publilius I 47 (277) repetiit et alii scriptores similem in modum decantaverunt. Plaut. Pers. III. 1, 19. 20. nam si ad paupertatem admigrant infamiae, gravior paupertas fit, fides sublestior. Sen. Excerpt. Controv. VIII. 1. p. 468. Facilius miserum, quam sceleratum fortuna vincit. Quint. XII. 8, 14. tertia (pars i. e. contemtus) humiliores premit. Sed id quod Halmius coniecit longius a librorum scriptura recedit, quamquam ne id quidem ego ut in hoc genere librorum verendum esse arbitror. Tamen quod post verba miseri vitam intercidisse credam inventa, eo perductus sum et quod nullum in illis libris vitium, quibus sententiae Publilianae ad hanc memoriam transmissae sunt, saepius observavi inveniri, quam illud, ut verbum simili scriptura aut sono praetermittatur. Cf. Publ. D 24 (146). F 23 (187). O 15. P 30

(479). P 46 (495). Q 21 (521). Q 35 (535). Q 36 (536). Q 75. V 7 (635). Vide praef. p. 18. Est autem hoc loco invenire novum aliquid felici quodam et repentino fortunae casu sic proferre, ut prolatum docte ac callide excogitatum videatur. Cf. Taubmann. ad Plaut. Epid. V. 2, 55. Qua de vi et potestate verbi cf. Sen. Controv. V. praef. p. 320. ed. Bip. in hunc (Labienum rhetorem) primum excogitata est nova poena. effectum est enim per inimicos, ut omnes eius libri incenderentur. res nova et insueta supplicia de studiis sumi. Bono hercle publico ista in poenas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inventa est. Sen. Excerpt. Controv. VIII. 4. p. 469. ed. Bip. cuius inter scelera etiam hoc est, quod damnari non potest. Contra hos inventum est, ut aliquid post mortem timerent, qui nec mortem timent. Quint. II. 10, 1. IV. 5, 4. 25. V. 12, 19. IX. 3, 34. XII. 8, 10. nam ut medicis non apparentia modo vitia curanda sunt, sed etiam invenienda, quae latent, saepe ipsis ea, qui sanandi sunt, occulentibus: ita advocatus plura quam ostenduntur, adspiciet. Sen. nat. quaest. I. 17, 4. de ir. I. 16, 6. quid enim est indignius, quam florere quosdam et eos indulgentia fortuna abuti, quibus nulla potest satis mala inveniri fortuna? ad Marc. de consol. XX. 1. O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur exspectaturque. ep. VIII. 1 (70) 25. ille vir magnus est, qui mortem sibi non tantum imperavit, sed invenit. Contumelia, ut ait Sen. de const. sap. XI. 2., a contemptu dicta est, quia nemo nisi quem contempsit, tali iniuria notat. Nemo enim maiorem melioremque contemnit. Atque in eo ipso Publilius liberioris animi et aetatis poëta et Seneca e Stoicorum grege philosophus inter se dissentiunt, quod ille contumeliam ingenuo homini haud ferendam, morte, flagellis peiorem, hic leviorem, iniuria minorem, delicatis tantum gravem censet., Cf. Publ. C 15 (99). C 18 (102). I 11 (240). M 46 (353). M 66 (374). Q 3 (502). coll. Sen. de const. sap. V. 1. 2. ad Marc. de consol. X. 1. Quae cum ita sint, sententia contumeliam non facile nisi in miseros exerceri docet, proinde ac si in eos ipsos tanquam debitum supplicium excogitatum sit. Cf. Sen. ad Marc. de consol. XI. 3. ut fortuna hominem, ita homines infelicem contemnunt coll. de ir. II. 8, 2. Minus placent, quae ad versum Publilianum adnotat Erasmus: „Hoc carmen varie reperi depravatum. Et haud scio an recte divinarim: Non videtur contumelia. quam facias in hominem malum et infelicem. Nisi sic mavis: In vitia miseri contumelia est dicere i. e. contumeliae genus est insectari vitia hominis miseri, qui magis eget consolatione."

16. Duo in hoc versu offenderunt viros doctos, alterum, quod, cum in plerisque Publilii codicibus facile ante fieri inveniatur, id in Gellii et Macrobii codicibus desideratur; alterum, quod nonnullis certe in libris ne hunc quidem traditum est cf. Bentl. adnot. ad Publ. v. 264. Accedit quod in PRB post hunc negatio ñ i. e. non inserta est. Mihi nec facile nec hunc colorem Publilianum videtur prae se ferre. Nam ut adverbium facile saepe cum v. fieri coniunctum videmus, ita ab hoc loco propterea alienum est, quod nec tantum ad sententiam valet ut salva sententia deesse non possit nec apud Cic. Lael. XVI. 59. ex quo loco sententia Publiliana repetita est, nihil legitur, quod adverbio facile suum concedat locum. Pronomen hunc nemo erit quin statim post amicum illatum frigere sentiat. Quid quod cum a libris olim afuisset, postea demum pronominis accusativus hunc vel ob numerorum ruinam vel ob grammaticam quandam rationem videtur invectus esse? Id quod eo facilius fiebat. quod hunc primis nomen inimicum litteris exordientibus absorptum videri poterat. Quanquam nemo locos esse

nescit, qui accusativum abesse potuisse latine scribendi lege doceant. Sed tantum abest, ut ad hanc rationem incertam ac lubricam confugere velim, ut certius remedium ex codicis Vossiani scriptura mihi videar invenisse. In quo cum amicum scriptum, supra scriptum inimicum appareat, ex ea scriptura utrumque hoc loco coniunctim lectum olim fuisse conicio, ut alterum amicum praeponeretur, alterum amicum subsequeretur. Quo facto hunc abundare intellegitur. Sed duae aliae causae sunt, quibus quod scripsi comprobandum videatur, una quod amicum et inimicum maiore cum vi sive componuntur sive opponuntur, ut fieri videmus apud Ter. Hec. II. 1. 14. ex amicis inimici ut sint nobis adfines, facis; altera quod Publilius eiusdem nominis vel verbi, in quo sententiae vis cernatur, geminare solet. Cf. Publ. A 40. Itaque haec versus sententia sic se habet: Ita amare oportet, ut ex amico inimicum fieri posse memineris. Eandem vel similem sententiam plures alii scriptores cum Graeci (cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII. tum Latini expresserunt. Ut eos praetermittam, quos supra dixi, cf. Soph. Ai. 663—668. Publ. I 32 (261). Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 11 (Sent. 101). Francogallis in proverbium abiit: Aujourd'hui ami, demain ennemi, ut ait Mesanger. Dict. des prov. Franç. p. 41. Melius Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 9 (Sent. 140); optime Sen. ep. XV. 3 (95) 63: Denique cum monemus aliquem, ut amicum eodem habeat loco, quo se, ut ex inimico cogitet fieri posse amicum: in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium, adicimus: iustum est et honestum.

17. De versus adnominatione cf. ad Publ. A 24. Praecipuum eius rei exemplum habes apud Sen. Troad. 870: Optanda mors est sine metu mortis mori. Cum fortitudinis sit quidvis adversi ferre, hoc ipsum primo loco poni debebat; sed praeter fortitudinem invidiae ferendae parem esse ita secundum est, ut in hoc sententiae acumen positum sit. Invidiam ferre cum fortis viri, tum hominis felicis est. Quamobrem verborum ordinem eum, quem tenent LH. praeferendum existimo. Haec Erasmus: „Fortunati neglegunt invidiam, vir fortis contemnit. Cf. Sen. Her. Fur. 352. Quint. XII. 8. 14.

18. „Eadem est sententia, quam ante dixit: Amans iratus multa mentitur sibi (Publ. A 13)" Erasmus. Cf. Publ. C 23 (108).

19. Ut citius ex tacite, quod praecedit, fictum est, ita particula sed languet, ita ut demum postquam vera scriptura oblitterata est ad numeros explendos addita videatur. Neque apte inimice irasci dicitur, cum quicquid irascitur tum ipsum inimicae mentis sit. Iam vero pluribus sententiis hoc expressit Publilius omnes animi adfectus eos, qui ex malignitate orirentur, cum tacerentur et dissimularentur, eo peiorem vim exserere. Cf. Publ. D 5 (127). G 7 (200). M 9 (317). M 27 (335). M 33 (341). M 39 (347). M 60 (368). M 61 (369). N 11 (387). N 24 (400). P 8 (457). Q 10 (510). Quamobrem non tam aptum est tacite et inimice opponi, quam utrumque ita inter se componi, ut quo magis taceat, eo peius inimiciusque cogitare invidia dicatur. Idque induxi scribendo comparativi formam inimiciora, quae exstat apud Sen. ep. VI. 8 (60) 1. O quam inimica nobis sunt vota nostrorum! eo quidem inimiciora, quo cessere felicius, cum verbo irasci ita coniungendam, ut ab homine invido inimicius cogitata exprimerentur. De verbo autem irasci cum accusativo obiecti, quem vocant, coniuncto vide Forcellinii Lex. v. coll. Zumpt. Gram. lat. §. 383. Tacita pro tacite reposui ex F. Cf. Cic. Cat. I. 7, 18. Sua Erasmus ita exponit: „Invidus habet iram suam, sed dissimulatam et minutam h. e. de re nihili.

20. „Ira statim subsidit, odium diuturnum est, odit autem, quisquis

est inimicus. Ab hoc igitur diu cavendum est, imo semper" Erasmus. Cf. Sen. de ir. II. 36, 5: Amicissimis hostes (int. iracundi) vitandique carissimis.

21. „Alium versum similis sententiae ex Fulgent. myth. I. 1. recepit Gruterus v. 397: medicina sola miseriarum oblivio. Cf. Fabric. ap. Kremsier. p. 59. v. 630: Semper remedium oblivio doloris est; ad quem versum adnotat: „In Evodio Ticinense legi. Qui oblivisci doloris potest, dolori medicinam invenit." Vide Meyer. p. 38, 40. Remedium esse medicamentum, quo adhibito malum tollatur, patet ex Ter. Eun. III. 1, 49. Heaut. III. 2, 28. Ad. III. 1, 7. Phorm. I. 4, 7. V. 4, 5. Recte Erasmus: „Vindicta non medetur iniuriis tibi factis, sed oblivio optime." Cf. Cic. pro Ligar. 12, 34. qui oblivisci nihil soles, nisi iniurias coll. Quint. VI. 3, 108. Sen. de ir. II. 32, 3. magni animi est iniurias despicere coll. de clem. I. 5, 5. Sent. falso inter Publ. recept. 175. Sen. ad Marc. de consol. VIII. 1.

22. „Trochaicus est. Fortissimum est iram suam vincere, hoc Alexander ille magnus orbis domitor non potuit" Erasmus. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 81.

23. Recte quidem Salmasius librorum scripturam iactum tuetur, sed ne ita quidem versus sententia patet. Praetermitto, quod Gruterus factum Pithoei emendatione recepta omnem versuum ordinem perturbavit, quippe qui versum a littera I incipere iubeat. Neque ei prodest, quod Plin. ep. IV. 9. cum haec dicit: praeterea rem manifestam infitiari augentis erat crimen, non diluentis, testem et fere auctorem illius sententiae suae attulit: aliud enim est crimen tacere, aliud infitiari, criminis autem taciti nec accusator nec index est. Cf. Publ. Q 41 (541). Quaeramus nunc, quae sententia sit eius versus, qui melioribus libris traditus est atque Salmasii eruditione defensus. Qui versum ita scriptum interpretari conati sunt, Panthaleonem secuti sunt sic explicantem, qui peccato etiam mendacium addat, eum bis peccare, eiusque explicationis auctorem ipsum Publilium appellaverunt, qui M 23 (331) maledictum interpretando acrius fieri dixisset. Quid quod Woelfflinus hunc versum ex illo ipso ortum esse et interpolatorem scripsisse suspicatur: Dictum iactando vel Iactando factum? — Sed aliud est iactum crimen tacere, aliud maledictum interpretari. Qui maledictum interpretatur, eum, cum subiectis causis elevare studeat, illustrare potius et augere consentaneum est: qui vero iactum crimen sive verum sive falsum non persequitur, sed tacet, ille tantum abest ut tacendo crimen acrius faciat, ut celare, comprimere, retractare videatur. Quoquo verteris, illud elucet sanam sententiam non fore, nisi iactum crimen in te intellexeris. Nam si ad illud crimen, quod in te iactum est, tacueris, tacendo ipse crimen acrius efficies, concedes, confiteberis. Necesse igitur est in te inter iactum et tacendo inseratur. Quod si feceris, versum iam ex senario fieri quadratum necesse est: id quod fieri posse videbam nomine crimen duplicato, ut duplicatum videmus vitium apud Publ. Q 41 (541). Sed duplicati nominis ratio ea est, ut aut in duobus enuntiationis membris nomen duplicetur aut duplicatum nomen casu differat cf. Publ. R 8 (576). Accedit quod cum crimen acrius facere dicaris, non iam crimen, sed quod crimine levius est, iactum oportuit, ex quo acrius crimen existeret. Denique ex varia illa librorum scriptura, cum P tacendum Bβ tacendo, RF tacentem exhibeant, extremam eius verbi syllabam elisam fuisse intellego. Quae cum ita sint, nomen acumen inter tacendo (dum, tem) et crimen intercidisse arbitror: quod nomen eo facilius intercidere potuit, cum utriusque scriptura, si litterarum figuras spectas, certe in

libris congrui aliquid habeat. Acumen autem est stimulus vel mucro teli alicuius aut ingenii, quo adversarius petitur cf. Cic. de orat. II. 38, 158. et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus. Unde haec versus sententia exsistit: „Iactum in te argutius salsiusque dicti quasi telum tacendo acrius crimen reddas.“ Cf. Publ. G 9 (202).

24. „Et hic trochaicus. Bona conscientia facit, ut in malis speremus superos auxiliaturos“ Erasmus. Cf. Caec. Balb. p. 28. Mon. XXV. 2 (Sent. 33). ibid. p. 28. Mon. XXV. 3 (Sent. 171). Sent. falso inter Publ. recept. 329.

25. Utra vera scriptura sit, diiudicare difficile est: pro altera scriptura loquuntur Publ. A 32. L 9 (300). M 3 (311). P 21 (470). Sed cum res iudiciaria agatur, iudex qui male iudicat, litem suam facit atque quasi ex delicto obligatur; qui vero iniuste vindicat, publice crimine obstringitur. Cf. v. Scheurl. Lehrb. d. Instit. §. 147. Hinc vindicando praeferendum videtur.

26. De adiectivo doctus dubitavit Nauckius Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 195. Sed doctus h. l. est prudens, catus, intellegens: nos dicimus gescheit. Cf. ad Publ. C 25 (110). H 11 (213). „Sapientis (imo prudentis) est non contemnere hostem quantumvis humilem: potest enim per occasionem nocere“ Erasmus. Cf. Phaedr. fab. I. 28, 1. Quamvis sublimes debent humiles metuere.

27. „Miseri risu etiam offenduntur“ Erasmus.

28. „Cum absolvitur nocens, tunc iudex non innocens sit oportet“ Erasmus. Cf. Quint. VI. 1, 11.

29. Hoc versu si poëta illud docere voluisset, clementis, quod homines deceret, ingenii esse ei, quem puderet, ignoscere: melius ceteris Erasmum scripsisse existimo, cum pro hominum scriberet humanum. At vel ita sententia friget, cum nihil habeat, quod acrius quam mitius Publilii ingenium referat. Accedit quod sive hominum sive humanum scripseris, in suspenso erit, utrum melius sit ubi pudet an nisi pudet: utrumque enim fit ex hominum natura ignoscere et ubi pudet et nisi pudet. Quid quod Gruterus versus, quorum in altero ubi pudet, in altero nisi pudet legeretur, duos admisit? Postremo est, quod in plerisque libris est, abesse debere probatur codicis Basiliensis scriptura. Quamobrem ego sententiae hoc remedium quaesivi, ut ignosse noli scriberem. Unde haec sententia exsistit: „Ne cui ignoveris, nisi eum, cui ignoveris, pudet.“ Ignosse perfecti temporis infinitivum cum iis verbis coniungi solere, quorum ea vis sit, ut tota ad futurum tempus spectet (cf. Zumpt. Gram. lat. §. 598. velle, nolle, cavere, posse) adnotat Horkelius ad Hor. A. P. 98. Cf. Hor. Serm. II. 3, 187. I. 2, 28. Ep. I. 17, 5. A. P. 168. 347. 435. 455. Quod ad pudet ex relativo accusativus eum intellegendus est, non est quod miremur: Publilium enim eo pronomine carere, quam uti maluisse puto, cum ex ipso sermonis tenore facile intellegeretur. Cf. ad Publ. F 9 (174). Spengelius quidem cui generis neutrius esse ratus interpretatur: „intellege eius cui.“ Erasmus cum explicet: „Non ignoscendum est, nisi poeniteat facti“ non sua, sed aliena explicuit.

30. „Forte legendum est, inquit Erasmus, plurimum vel plurimi. Multum valet audacia, cum res est dubia h. e. periculosa.“ Cf. Plaut. Epid. I. 2, 10.

31. Quid differant se damnat et damnatur videre licet coll. Publ. C 13 (97) et S 31 (614). „Quisquis admittit scelus, illico sibi damnatus est iudice conscientia, etiamsi iudex nemo pronuntiet“ Erasmus. Cf. Sen. ep. XVI. 2 (97) 14.

32. Imperativus quidem crede locum obtinere non debet, quod nullo imperativo Publilius usus est, nisi cave cf. Publ. C 26 (111). C 35 (120). M 71. et noli cf. D 5 (127). N 48 (424). Praeter hos duos imperativos offendebat tertius a Publilio alienus vide, quem pro stude perperam scripto reposui uno versu, qui tribus locis invenitur, in Prov. 12., in Pseudo-Sen. de mor. v. 8., in Sententiis falso inter Publ. recept. v. 239. Non convenit numeris credas, non Publilii dictioni, cum uno loco ea persona usus sit, credo. cf. Publ. R 9 (577). Itaque des scripsi, ad quod ex iis, quae sequuntur, intellegas locum. Locum dare significat facultatem vel copiam facere cf. Cic. Fam. III. 6 extr. de tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse. de nat. deor. III. 8. nec des respondendi locum. pro Cael. 3. nam quod aetas M. Caelii dare potuit isti suspicioni locum. pro Balb. 6 extr. cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret. de orat. I. 26, 118. si haec turba et barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus. Quam verborum structuram cum librarii non assecuti essent, factum est, ut sententiae causa pro des scriberent crede. Ita i. e. ea condicione, qua si quid caveatur ne fiat, aut ne aut ut ne sequi licet. Cf. Cic. off. II. 21, 72. sed ita ut ea res aut prosit aut certe ne obsit reipublicae. Cat. I. 2, 6. vives ita, ut nunc vivis multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rempublicam possis. Quare haec versus sententia est: „Ita locum amico concedas, ne quem idem ille inimicus factus nocendi locum obtineat“ cf. Bremi. ad Com. Nep. Han. 1, 2. De qua sententia cf. Publ. I 16 (245). Caec. Balb. p. 41. Par. 46. (Sent. 101) coll. Sent. falso inter Publ. recept. 165.

33. Verba recte videntur collocata; refertur enim particula etiam non ad consilium, sed ad facinus atque „affirmationi inservit, in qua vocabulo etiam exprimitur rem vere fieri vel vere factam esse, ubi nos wirklich dicimus“ Hand. Tursell. v. vol. II. p. 568. 4. qui rem exemplo illustravit Verg. Aen. IV. 395. dissimulare etiam sperasti i. e. hast du wirklich gehofft. Quare hoc sibi vult sententia irato, quod ab inimicis consultum sit, id non consultum modo, sed ipsum iam esse factum videri. Parum recte Erasmus: „Qui irascitur, etiam scelus putat iudicio recteque fieri.“ Cf. Sen. de ir. I. 3, 1. irascimur, inquit, saepe non illis, qui laeserunt, sed iis, laesuri sunt.

34. Hunc versum ut recte exhibuit H, ita recte reposuit Nauckius. Nec tamen in eo interpretando videtur satisfecisse, quod verba videre et subesse ita sibi respondere putat, ut illo id quod in summo spectetur, hoc id quod sub imo occulatur, significetur. Ad quam illustrandam interpretationem attulit Menandri verba illa Com. 4. p. 157.: *οὗτος μακάριος ἐν ἀγορᾷ νομίζεται· ὅταν δ' ἀνοίξῃς τὴν θύραν, τρὶς ἄθλιος.* Mihi quidem, ut Bothio, verbum subesse significare videtur non latere, ut apud Quint. III. 5, 9., sed pro fundamento vel causa suppositum esse, nos dicimus vorliegen. Quam verbi vim ac potestatem multi scriptorum loci comprobant cf. Plaut. Trin. V. 1, 2. Corn. Nep. Alc. 1, 4. neque causa suberat, quare animi laborem perferret. Sen. de brev. vit. X. 5. de ir. I. 20, 1. de benef. IV. 39, 4. V. 12, 6. ep. XVI. 2 (97) 12. Sen. Thyest. 965. Quint. I. 3, 5. 11, 19. III. 6, 80. nam primum oportet subesse aliquid, de quo ambigitur. IX. 3, 6. sed subest ratio, quia sexus uterque altero significatur. XI. 2, 9. XII. 2, 12. Invidia igitur alienis incrementis inimicissima (Sen. de tranq. anim. II. 10.) cum in eo maxime agat, quod aliena videt vel ut ait Cic. Tusc. III. 9, 20. nimis intuetur, quod nihil non alienis ac prope caecis oculis videt (Sen. de ir. I. 16, 6), quibus esse quod abest, abesse quod est, videre videatur, de

alienis virtutibus detrahit. aliena mala auget, denique spectando omnia quasi corrumpit: hoc dicitur loqui. quod ut diximus videt. non quod ipsa res demonstrat aut poscit. Cf. Plaut. Pers. III. 1, 23. nam inimici famam non ita ut nata est ferunt. Truc. IV. 2, 30—32.

35. De sententia cf. Quint. VI. 1, 30. 31.

36. Omnis virtus neglecta tacetur, nisi fando divulgatur. Cf. Plaut. Capt. I. 2, 62. saepe summa ingenia in occulto latent. Hor. Carm. IV. 9, 29. 30. Tac. An. IV. 38 extr. Quint. VIII. 5. 4. ad posteros enim virtus durabit. non durabit invidia. Sen. de tranq. anim. III. 6. nunquam enim quamvis obscura virtus latet, sed mittit sui signa: unde ei Publilii sententiam obversatam esse conicias cf. Publ. M 5 (313). coll. Sen. ad Marc. de consol. XX. 1 extr. Adde Sen. ep. X. 10 (79) 17. nulla virtus latet et latuisse non ipsius est damnum. ep. XV. 2 (94) 71.

37. Sententiam Tszchuckius quidem de amore interpretatus est, qui etiam duros alioquin animos occuparet, cum de gladio sit, qui cum igni excusus sit atque ductus, ab hominibus tanto pugnandi ardore incensis stringi soleat, ut igneae ipsius aliquid naturae retinuisse videatur. Cf. Tib. I. 3, 48. Quint. VI. 2, 28. nec incendit nisi ignis. VIII. 6, 7. 12. Sen. de ir. I. 19. 8. Sed quod apud Sen. in lud. de morte Claud. IX. 6. ferrum suum in igne esse legitur rem suam agi significat.

39. Ad amorem plus valet mulieris forma, quam cuiusvis suadentis auctoritas.

40. De sententia cf. Plaut. Trin. III. 2, 12. nullum beneficium duco id. quod cui facias non placet. Verg. Aen. II. 49.

41. De versus adnominatione cf. Publ. A 24. De sententia cf. Sen. Agam. 243. Quem poenitet peccasse. paene est innocens. Herc. Oet. 886. Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens. Quint. V. 10, 59. 73. Prov. 52. coll. Pseudo-Sen. de mor. 94.

42. Sententia, sive iudicatur sive indicatur legitur, languet. Non enim ea opus est sententia, quae qui laborem fugiat eum inertem indicari affirmet, sed ea, quae fieri interdum doceat, ut qui laborem fugiat, inertiae culpa careat. Cuius quidem rei exemplum tradit Corn. Nep. vit. Att. XV. 3. 1. ubi haec leguntur: Ex quo iudicari poterat non inertia, sed iudicio fugisse reip. procurationem. Equidem sententiae acumen latere in v. fugitur arbitror, ut qui laborem fugiat, is fugiens deprehendi dicatur. Similem sententiam supra Publ. F 9 (174) legimus. Itaque antiquum sane verbum latinum indeptare ausus sum reducere Publilioque tribuere. De quo verbo haec apud Paul. Diac. Excerpt. ex libr. Pomp. Fest. de signif. verb. l. IX. Indeptare, consequi, et paullo inferius Indepisci, assequi, adipisci. Cf. Corp. Gram. ed Fr. Lindemann. tom. II. part. 1. p. 79. p, 106. ed. Odofr. Müller. Hinc formam intensivam, quam dicunt, ut aptare ab apisci, ita indeptare derivari cognoscitur ab indepisci verbo deponenti (Plaut. Asin. II. 2, 13.) cui verbum etiam activum subicit Nonius Marcellus p. 128 (ed. Gerlach. et Roth. p. 88) indepiscere, petere, usurpare Plaut. Aul. IV. 10, 44. 45. nec partem tibi adeo, cui sit, indepisces (sic vulg. cod., ab eo, quiqui est, inde posces Gruter.) neque furem excipies. M. quidem Gesnerus in Thes. Ling. Lat. haec scripsit: indepto, are. Frequent. [προςκτάομαι]. Varr. ap. Fest.: Nec partem aliquam indeptavit hereditatis: addit tamen: Sed non reperio. Nec vero dubito quin indeptare bonae monetae verbum sit, quo a vetere comoedia derivato etiam Publilius mimographus uti potuerit. Cf. Publ. P 31 (480). De sententia compara Publ. I 49 (279). Sen. ep. III. 1 (22) 7. non est vir fortis ac strenuus

qui laborem fugit, nisi crescit illi animus ipsa rerum difficultate. ep. VIII. 2 (71) 23. pigro supplicii loco labor est.

43. Ad se rediit, qui ad mentem bonam rediit cf. Sen. de benef. II. 14, 3. Sibi irasci dicitur ex more usitato loquendi, quem tangit Sen. de benef. V. 7, 2. solemus dicere: gratias mihi ago et de nullo queri possum alio quam de me: ego mihi irascor et ego a me poenas exigam et odi me. coll. 7, 6. De sententia cf. Sen. de ir. III. 25, 2.

44. Causa i. e. occasio vel periculum damni i. e. pecuniae vel rei familiaris cf. Publ. A 25. D 13 (135). L 6 (297). L 18 (668); quaeritur i. e. agitur vel spectatur (cf. Cic. Cat. III. 10, 25.) nos dicimus: „es kommt dabei heraus.“ Sententiam assecutus est Orellio rectius Gruterus, cum sumptuosam meretricem multisque artibus instructam diceret coll. Hor. Ep. I. 17, 55. Ovid. A. A. III. 805. Plenus imprimis eiusmodi acuminum et rapinarum, quas meretrices exercere sciebant, Plautus cf. Most. I. 3, 18. 72. 95. 128. nam amator meretricis mores sibi emit auro et purpura. 139. Trin. II. 1, 10.

45. Quarti pedis anapaestus pronuntiatione excusatur cf. ad Publ. B 25 (68). Versum tragoediam sapere et hic fatetur Ribbeckius et in Coroll. p. XCVII. Cf. Publ. I 2 (231).

46. De versus sententia apte comparat Gruterus Quint. declam. XV. 11 (ed. Bip. vol. III. p. 287.): Ex omnibus tamen, quae nobis patientibus extorquet affectus, hoc saevissimum patimur, quod nemo vult in amore sanari. Cf. Theocr. Id. XI. 72. Verg. Ecl. II. 69.

47. Plaut. Curc. II. 1, 25. Facile est miserum irridere. Similis sententia exstat apud Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 9. p. 38. Par. 16. (Sent. 88).

48. Cum eiusdem argumenti versus inveniatur Publ. F 15 (180) alter, tertius autem accedat a Publ. N 16 (392): unus Spengelio esse Publilii F 15 (180), duo reliqui interpolatori deberi videntur. Cf. Spengel. praef. p. 14. et 20. Woelfflin. Phil. XXII. p. 457. 458.

49. Qui laborem excusat, ei verendum est, ne inertis potius, quam laboriosi hominis suspicionem subeat; nos dicimus: „Der Faulenzer hat immer Ausreden.“ Cf. Spengel. praef. p. 14.

50. Facere facile et facere iniuriam dictiones frequentissimae cf. Publ. I 55 (285). M 2 (310). Plaut. Trin. III. 2. 4. quod est facillimum facis. Quid id est? Amico iniuriam. Sen. Theb. 493. Patiare potius, quam facias scelus. Quint. VIII. 5, 4. XII. 10, 77.

51. Iratus ita invehi in adversarium solet, ut quicquid dicit criminandi causa dicere videatur.

52. Remedium, quo vocabulo Publilius imprimis delectatus est, et morbi, quo morbus tollatur. cf. ad Publ. I 21 (250). et medici, qui morbum curat, medicamentum significat, quod Graeci vocant ἐπικούρημα cf. Xen. Anab. IV. 5, 13. Illud cum genetivo, qui dicitur, obiecti coniunctum etsi usu sic celebratum est, ut exempla afferre pigeat: tamen ne hoc quidem exemplo caret, ut cum genetivo quem vocant, subiecti coniungatur. Cf. Cic. pro Cluent. 35. neque his temporibus, his moribus, his magistratibus sine vestra sapientia ac sine iudiciorum remediis salvi esse possimus. Sen. ad. Marc. de consol. I. 6. illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas quoque aerumnas conponit, in te una vim suam perdidit. ep. XX. 6 (123) 4. non unctores, non balneum, non ullum aliud remedium quam temporis quaero. Neque igitur dubitandum videtur, quin remedium sapientiae id medicamentum dici possit, quod sapientia contra incertum animum suppeditat. Quo adhibito fieri solet, ut ab incerta dubitatione ac fluctuatione animus ad certam rerum cognitionem perducatur. Hinc Cic. de nat. deor. I. 1. causam

i. e. principium philosophiae esse inscientiam dicit. Sen. ep. VIII. 2 (71) 27. antequam impleatur, incerta mentis volutatio est; cum vero perfectum est, immota illa stabilitas est. Nescio an ab re alienum sit narrare, quod nuper legi Fridericum singularem illum Borussorum regem Dargensio uni ex intimis amicis suis vas porcellanum donasse, in quo haec verba inscribenda curavisset: Dubium sapientiae initium. Unde quispiam hoc quoque versu pro remedium sapientiae scribi malit: initium est sapientiae. At non hoc erat opus: quid quod etiam F. A. Wolfius in praefatione ad Aristoph. Nub. p. XVIII. similiter dixit: In dieser Noth wurde ein Heilmittel der Musen gesucht. Si vero quis sapientiae pro dativo accipere velit, ut dixit Sen. nat. quaest. VI. 2. 1. sine remedio timor stultis est, hoc respondeam, poëtam ambiguitatis vitandae causa sapienti vel sapientibus dicturum fuisse.

54. „Vocis verbera obiurgationes. Comparat Orellius Flacci patruae verbera linguae (Carm. III. 12. 2.)“ Bothius.

55. Sententia multifariam decantata cf. Publ. I 9 (238). N 45 (421). Q 28 (528). S 35 (618). Sent. falso inter Publ. recept. 38.

56. Minimo cum a Seneca traditum sit, tamen minimum, quod in F et apud Caecilium Balbum invenitur, a Spengelio recte receptum est cf. Spengel. praef. p. 7. Nam et aliud simile scripturae vitium in eo, quod Seneca praebuit, supra deprehendimus, Publ. I 5 (234). et minimum acc. sing. neutr. gen. pro adverbio est (cf. Hor. Carm. I. 11, 8. II. 6. 20. ep. II. 1. 72.) ita ut et egere et cupere absolute posita sint. Plaut. Men. I. 2, 12. Gell. NA. XIII. 24. Pronomen is h. l. cum vi dictum idem valet atque dictum sit is mortalium: quapropter abesse non debet. De v. egere notione Sen. ep. I. 9. 14. sapienti et manibus et oculis et multis ad cotidianum usum necessariis opus est (i. e. braucht), eget (i. e. empfindet ein Bedürfnis) nulla re. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 231.

57. Convenire h. l. non est adire (dringen), sed quadrare in vel ad aliqd., aptatum esse ad aliqd., cadere in aliqd., nos dicimus „zu etwas stimmen.“ Cf. Cat. de re rust. 6 extr. ceterae vites, miscellae maxime, in quemvis agrum conveniunt. Varr. de re rust. I. 19. neutrum horum ad omnem agrum convenire puto et utrumque ad aliquem. Cic. pro Sull. 7 extr. in quem . . . nullam . . contumeliam in me iacere potueris, quae non ad maximam partem civium conveniret. Haec igitur versus sententia est: „Nullas quisquam preces invenire poterit, quae ad inimici animum aptae sint.“

58. Quod libri praebent exitium, id antiquo more (Fest. ap. Paul. Diac. „exitium antiqui ponebant pro exitu; nunc exitium pessimum exitum dicimus“) pro exitu positum haberi et Doederlinus (Syn. Fasc. 2. p. 65.) recte statui et Ribbeckius h. l. sana ratione defendi posse negaverunt. Loci sanandi remedium hoc mihi videor invenisse, ut pro exitium scribatur exire. Vid. praef. p. 16. Quod si recte se habeat, simul hoc appareat, quomodo in versus Publilianos librarii consuluerint, ut quod interpretarentur, id ipsum in sermonem Publilianum recipere non dubitarent. Ut hoc loco infinitivo exire, qui apud Publilium esset, substantivum substituerunt. Verbum habeo cum infinitivo coniunctum nullo tempore apud Latinos non ursurpabatur nec id modo cum infinitivo verbi dicere, sed etiam aliorum verborum coniunctum. Ut dixit Cic. ad Fam. I. 5. habeo polliceri, ad Att. II. 22. de republica nihil habeo ad te scribere; Liv. 44, 22. illud affirmare pro certo habeo; Varro de re rust. I. 1. meque ut id mihi habeam curare; Quint. declam. VII. 12. habeo adhuc de illo multa referre secreto aut declam. XVI. 5. ego cum

me necessitas rapit, sic habeo queri; Sil. It. XVI. 209. age, laetus habe nostros intrare penates (i. e. mache dich fertig einzutreten); Val. Flacc. Argon. I. 672. tollique vicissim Pontus habet (i. e. pontus ita factus est et comparatus, ut vicissim tollatur): sic magis etiam hunc usum frequentavit Apuleius cf. Asclep. 14. et de mag. 28. ad quem locum haec adnotat Hildebrandus: Notissimus est ille Graecismus, quem praesertim Afri amant, ut ἔχω εἰπεῖν. Cf. M. Gesner. Thes. v. habeo. vol. II. p. 854 extr. Quare versus hanc explanationem habet: Inimico mortuo lacrimae non inveniunt vel nesciunt, quo exeant. In Germanicum ita nos Latinum vertamus: Ist's mit dem Feind' aus, find't die Thräne nicht hinaus." Cf. Publ. I 2 (231). I 45 (275). L 3 (294). Sen. ep. XVI. 4 (99) 19.

59. In bello cives, ubi coniunctis omnium viribus ad res bene gerendas opus est, ipsa concordia vincunt, discordia vincuntur.

60. Si unus quis viam legibus bene obseptam et custoditam mala vi penetraverit, nihil sane obstabit, quin via tanquam patefacta omnes malum exemplum secuti irruant.

61. Ibi cum neque pro iambo sit apud Publilium (cf. Woelfflin. proleg. p. 56.) et ubi, quo referatur, adverbium ibi postulet: admissa nec Bothii nec Nauckii emendatione populi addidi, quo addito versus quadratus exstitit. Cf. Publ. A 40.

62. Adiectivo invectivus nec Publilius nec alius eius aetatis scriptor usus est cf. M. Gesner. Thes. v. qui affert Ammian. XXII. 32 (rectius XXI. 10, 7. orationem acrem et invectivam l. XXII. 14. 2. volumen composuit invectivum, quod Antiochense vel Misopogonem appellavit) et grammaticorum titulos invectivarum in Catilinam aut in Verrem. Nolten. Antib. tom. I. p. 596. Krebs. Antib. v. Sunt etiam apud nos multa de lingua insana i. e. improba vel immodica (cf. Liv. 22, 12 extr.) proverbia, quorum copiam habes in Frischbierii libro, quem inscripsit: Preussische Sprichwörter p. 179. Cf. ad Publ. I 54 (284). Woelfflin. Phil. XXII. p. 466.

63. Ut improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium fecit, ita improbitatis est, quod divinis monitis non obediens patiaris, non tuae culpae, sed dei invidiae tribuere. Haec Erasmus: „Qui semel expertus iterum exponit se periculo, impudenter incusat fortunam." Cf. Plaut. Most. II. 2, 1. 7, Trin. IV. 1. 6. 7. nam te omnes saevumque severumque atque avidis moribus commemorant. Hor. Carm. I. 1. 15. Petron. Sat. 76. uno die Neptunus trecenties sestertium devoravit. Sen. Excerpt. Controv. V. 1. p. 428. ed. Bip. Publ. S 25 (608).

L 1. „Honor commissus indigno non honestat eum, sed magis dedecorat" Erasmus. Cf. Publ. H 24 (226). Sen. de prov. V. 2. nullo modo magis potest deus concupita traducere, quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit.

2. Sua Erasmus ita interpretatur: „Si iterum recte facias, efficies, ut superiori de te famae fidem habeant homines." Cf. Publ. H 1 (203).

3. „Suum malum minus sentit, qui potest ulcisci." Erasmus.

4. „Fortuna inconstans statim repetit et aufert, si quid dedit." Erasmus.

5. „Necessitas nascendi ac moriendi neminem non complectitur." Erasmus. Cf. Publ. M 52 (360). Prov. 27. Sen. Suas. II. p. 12. ed Bip. Sen. ad Polyb. de consol. XI. 3. quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Epigr. super exsilio. VII. 7. 8. nat. quaest. I. prolog. 4. IV. 32. 12. ep. XVI. 4 (99) 8. omnis eadem condicio devinxit: cui nasci contingit, mori restat. Pseudo-Sen. de remed. fort. II. 3. Quint. V. 10, 79. deficit omne, quod nascitur. IX. 2, 36. Addamus Goethii illud in Faustio: Alles was entsteht, ist werth, dass es zu Grunde geht."

6. Offendit et sine damno, quo posito anapaestus ille locum possidet, quem raro obtinere supra diximus cf. ad Publ. B 29 (72) et quod in libris est alterius. Quare pro sine, quod pro interpretamento habeo, praepositionem absque substitui apud comicos frequenti usu notissimam cf. Zumpt. Gram. lat. §. 306. Significat autem alterum ab altero abesse vel remotum esse, alterum fieri praeter alterum vel altero excepto. Cf. Hand. Tursell. in v. absque vol. I. p. 66. Ruhnken. Dict. ad Ter. Hec. IV. 2, 25. p. 228. ed Schopen. Posterioribus demum temporibus absque ita usurpari videmus, ut idem valeat ac sine cf. Grysar. Theor. d. lat. Stils p. 404. Nec ea solum comici, sed etiam Cicero (cf. ad Att. I. 19.) et Quintilianus (cf. VII. 2, 44.) usus est. Vide praeterea Apul. Met. IX. 25. ni respecto communi periculo, vix eum ab impetu furioso cohibuissem, asseverans brevi absque noxa nostri, suapte inimicum eius violentia sulphuris periturum. Pro alterius reposui alieno cf. ad Publ. B 7 (50). E 4 (150). Alia enim loci ratio videtur, qui exstat apud Sen. de ir. II. 8, 2. alter in alterius exitium levi compendio ducitur, nulli nisi ex alterius iniuria quaestus est: quo loco non alius alii opponitur, sed alter alteri componitur. Haec vero Publilii sententia non illud vult, si quid inter duo fuerit negotii, alteri ab altero fraudem fieri, sed hoc si quis quaestum fecerit, eum non facere nisi alio faciente damnum. Parum accurate, ut opinor, Erasmus: „Unius lucrum damnum est alterius. At non item in rebus animi.“ Cf. Publ. B 6 (49).

7. „Intemperantia semper obnoxia est infamiae.“ Erasmus. Cf. Publ. S 34 (617).

8. „Innocens etsi non veretur leges, ut nocens, tamen timet fortunam, quae nonnunquam opprimit innocentem.“ Erasmus. Recte enim Quintilianus II. 17, 28: „Imperiti enim, inquit, iudicant et qui frequenter in hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. Nam si mihi sapientes iudices dentur, sapientum conciones atque omne concilium nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio praesumta falsique testes: perquam exiguus sit eloquentiae locus et prope in sola delectatione ponatur. Sin et audientium mobiles animi et tot malis obnoxia veritas: arte pugnandum est et adhibenda, quae prosunt“ coll. VII. 4, 15. fortuna quoque saepe substituitur culpae. Sen. de clem. I. 2, 1. „deinde habet haec (clementia) in persona quoque innocentium locum, quia interim fortuna pro culpa est nec innocentiae tantum clementia succurrit, sed saepe virtuti, quoniam quidem condicione temporum incidunt quaedam, quae possint puniri.“ Quos igitur fortunae casus etiam ab innocente timeri poëta significet, ex iis, quos Quintiliani et Senecae attuli, locis cognosci existimo. Longe aliter de sententia iudicat Ribbeckius: Plane contrariam, inquit, sententiam „Legem innocens veretur, fortunam nocens“ probaverim.

9. Homo levis temere, non certis rationibus iudicat.

10. Cinctis i. e. hominibus industriis ac strenuis hic non esse locum adnotavit Orellius. Sub vultu i. e. etiamsi vultu ad tristitiam composito nihil nisi abstinentiam morumque asperitatem simulent. Cf. Prov. 23.

11. Perfectum flagitavit reposui praeceptum illud secutus, si duae actiones ita coniungantur, ut altera, priusquam altera perfecta sit, fieri solere dicatur tempora verborum ita consequi, ut altera quidem eaque prior actio perfecto, altera posterior praesenti tempore definiatur. Cf. Publ. D 19 (141). F 6 (171). F 16 (181). I 43 (273). M 10 (318). Q 14 (514). Q 20 (520). S 26 (609). Ex aliis scriptoribus haec exempla addamus: Sen. Controv. III. praef. p. 198. ed. Bip. Excerpt. Controv. VIII. 4. p. 468. ed. Bip. Sen. nat. quaest. VI. 29, 2. ep. I. 12, 1. coll. Ov. Met. VI. 180. Sen. ep. X. 2 (78). XIV. 3 (91) 4. ad Helv. de consol. V. 3. de

tranq. anim. XV. 6. ad. Marc. de consol. XIX. 1. Quint. VI. 1, 45. Longinquum, quod correxit Gruterus, cum in F legatur longum, Orellius explicavit e longinquo petendum, minus recte, cum et longinquum et longum non de locorum, sed de temporis spatio accipiendum sit. Sententia multum ac saepe tractata est cf. Publ. E 3 (149). T 8. [Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 15 (Sent. 183)]. Plaut. Poen. III. 1, 1. 2. Cic. Verr. IV. 18, 39. Petr. Sat. 10. Sen. Excerpt. Contr. VII. 7. p. 461. ed. Bip. Sen. Herc. Fur. 587.

12. Equidem cum in omnibus his additamentis interpolationem potius, quam veram poëtae manum agnosco, tum tua pronomen ad culpa additum ita videtur languere, ut melius praetermittatur. Interpolationem autem inde ortam esse credo, quod quid lapsus esset parum constaret. Versus enim verba sic construere solent: Si lapsus semel iterum cecideris, culpa fit. Quod fieri versus compositio non patitur, quae ea est, ut lapsus non pro verbi participio, sed pro substantivo haberi debeat. Nec adeo adverbio semel opus fuisset, si poëta lapsum tum, cum iterum cecidisset, culpam sustenturum esse dicere voluisset. Sunt qui lapsus semel per figuram hyphen dictum censeant, ut apud Verg. Aen. I. 198. ante malorum aut apud Ter. Andr. I. 2, 4. semper lenitas (ἡ ἀεὶ πραότης) cf. Ruhnken. Dict. ad h. l. p. 25. ed. Schopen. Sed illam structuram etiam verborum ordine vetari nemo non videt. Cf. Verg. Aen. I. 21. Hor. Carm. III. 17, 9. Liv. 23, 16. Iam vero ut labi et cadere dicitur, qui delinquit vel peccat, cf. Sen. de ir. II. 31, 4. ep. XVIII. 4 (107) 2.: ita lapsus delictum vel peccatum vocatur cf. Sen. de ir. I. 19, 6. III. 6, 6. Adverbium autem semel vel prisca scribendi ratione semul (cf. Bentl. ad Hor. Serm. II. 8, 24.) significat cito, confestim, quod Graeci dicunt ἅπαξ, nos dicimus mit einem Mal cf. Serv. ad Verg. Aen. XI. 418. Ovid. Her. V. 104. deperit illa (pudicitia) semel. Sen ad. Helv. de consol. XIII. 3. ep. VII. 4 (66) 7. haec eius est facies, si sub unum veniat adspectum et semel tota se ostendat. ep. VIII. 2 (71) 9. ne hoc quidem miserae reipublicae continget semel ruere. ep. VIII. 2 (71) 31. quemadmodum lana quondam colores semel ducit, quosdam nisi saepius macerata et recocta est non perbibit: sic alias disciplinas ingenia, cum accepere, protinus praestant. ep. IX. 1 (72) 6. semel in totum sanatur (animus). ep. IX. 5 (76). 6. virtus in te non incidet. ne levi quidem opere aut parvo labore cognoscitur, sed est tanti laborare omnia bona semel occupaturo. Itaque semel non cum lapsus, sed cum verbo fit coniungendum est, ita ut sententia lapsum confestim vel illico culpam fieri doceat, si iterum lapsus fueris. Acumen autem sententiae in eo situm est, quod culpa, cum ex certo quodam delicto contrahatur, tamen non statim ex primo, sed ex secundo demum delicto contrahi dicitur. Quod dicit Cic. Fam. X. 20. nunc vero etiam iam erroris causa sublata est; culpa enim illa bis ad eundem vulgari reprehensa proverbio est, id redit ad Graecorum proverbium, quod affert Diogen. IV. 19, δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον Cf. Leutschii et Schneidewini Paroemiogr. Graec. tom. I. p. 235. Erasm. Adag. p. 428.

13. Quid iratus per iram peccet, lex acriter cognoscit; ipse vero legem temere neglegit. De sententia cf. Xen. Hell. V. 3, 7. ἡ μὲν γὰρ ὀργὴ ἀπρονόητον. Sen. de ir. II. 36, 5. legum, nisi qua nocent, immemores..

14. Aut interpretamentum est versus proxime antecedentis, ut videtur Woelfflino, aut si Publilii fuit, antecedenti simillimus fuit.

15. Qui in solitudine vitam degit, non lege solutus est, sed semet ipsum

legem vereri debet. Cf. Plut. apophth. p. 198. E. *μάλιστα ἐνόμιζε* (Cato) *δεῖν ἕκαστον αὑτὸν αἰδεῖσθαι· μηδένα γὰρ μηδέποτε χωρὶς ἑαυτοῦ εἶναι.* Sen. ep. I. 10, 1. 11, 8. III, 4 (25) 5. sed ego etiam hoc contentus sum, ut sic facias, quaecunque facies, tanquam spectet aliquis: omnia nobis mala solitudo persuadet.

16. Nemo est qui non ignem edacem (Verg. Aen. II. 758. Georg. III. 565. Hor. Carm. III. 4. 75. Ovid. Met. IX. 202. XIV. 541. Fast. IV. 785.) lucere, non urere miretur: qui quidem in prodigiis habendus esset, ut innoxius ille ignis, de quo refert Sen. nat. quaest. III. 12, 2. et ep. X. 3 (79) 3. Versus inde corruptus videtur, quod insigne mutatum est in ignis. Est autem insigne ornamentum vel decus splendore ac fulgore sic excellens, ut pro nota vel signo esse possit. Ut enim magistratuum rerumque varia insignia memorantur (cf. Suet. Oct. 35. Tac. Hist. I. 57.): ita imprimis ornamenta illa, quibus urbis Forum, theatra, templa cum alio tempore, tum certis quibus diebus festis ac solemnibus decorari solebant, deorum signa, hominum atque animalium simulacra, picturae, candelabra, vestimenta amplissimis verbis a scriptoribus efferuntur ac celebrantur cf. Halm. ad Cic. Verr. IV. 3, 6. 32. 71. Quint. IX. 1, 38. Val. Max. II. 4, 6. Gell. NA. XIII. 25, 1. Piderit. ad Cic. de orat. III. 25, 96. Itaque insigne nobis est Prachtstück vel Zierath. Iam elucere, quod hic ut pro verbo simplici ponatur numeri suadent (cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petr. 1869. tom. III. p. 196.) idem fere significat, quod lucere, nisi quis valde lucere vel lucendo apparere mavult. sed translate conspicuum esse vel eminere virtute rebusque gestis dicitur. ut apud Corn. Nep. Paus. 1. ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. Cic. Fam. IV. 3. quasi lumen aliquod exstinctis ceteris elucere sanctitatem et prudentiam et dignitatem tuam. Cic. Lael. XIV. 48. XXVII. 101. Off. I. 29. In verbo elucere cum insit ea lucis vis ac potestas, ut et illustret et illustretur ipsa, tum quod nulla lux absque igne cogitari potest, flammae quoque notionem videtur complecti. Quamobrem poëta pro suo acumine in certa aliqua re lucem ita ab igni seiunctam ostendit, ut illam elucere posse, non tamen comburere dicat. Quam rem non corporis, sed animi ingeniique intellegi poëtam voluisse patet. Nam ut ait Seneca de tranq. anim. III. 6. „nunquam quamvis obscura virtus latet, sed mittit sua signa“ coll. Cic. Lael. XXVII. 100. 102. Sed quamvis luceat, clara atque insignis sit, non tamen ut pestifera vis atterit, nocet, exstinguit. Sententia quam vere expressa sit, in summis illis viris, quorum res et in bello et in pace egregie gestae a scriptoribus ad omnem posteritatis memoriam propagatae sunt, maxime cognosci non est quod exponam.

17. Vera ubi audire volueris, vere dicendi libertatem dare debes. Cf. Sen. de clem I. 9, 7. dabitur tibi loquendi liberum tempus.

M. 1. Malignos i. e. parcos vel illiberales, nos dicimus Knauser vel Knicker. Cf. Plaut. Bacch. III. 2, 17. iustus iniustus, malignus largus, commodus incommodus i. e. „sisne illiberalis an liberalis“ Lambinus. „Ingrati faciunt, ut qui benigni fuerint, contractius donent. Hos enim malignos vocat i. e. parcos.“ Erasmus.

2. Contumelia et iniuria saepius confunduntur cf. Publ. Q 3 (503). „Omnes exspectant iniuriam ab eo, qui uni fecerit.“ Erasmus.

3. Molesta est mora in omni re, tamen ea nos reddit sapientes, ne quid agamus temere aut inconsulto.“ Erasmus. Cf. Publ. M 41 (349). R 2 (570). Sen. Agam. 130. quod ratio nequiit, saepe sanavit mora.

4. „Innocentia non eget misericordia, sed aequum desiderat iudicem. At cum fiducia rei tota est in misericordia iudicis, pessimam habet

causam." Erasmus. Cf. Publ. N 34 (410). Quint. V. prooem 1. coll. V. 11, 38. XI. 1, 49.

5. Publilii sententiam respexit pluribus locis Seneca, ad Polyb. de consol. IX. 9. et, mihi crede, magna felicitas in ipsa felicitate moriendi; ad Marc. de consol. XX. 1. de nullis melius merita (mors) quam de iis, ad quos venit antequam invocaretur coll. de brev. vit XVI. 2. ep. XIX. 8 (117) 22. Pseudo-Sen. de remed. fort. IV. 1. (Sen. Fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 448.). Est hic versus malae verborum transpositionis exemplum, qualia supra Publ. C 26 (111) et F 26 (191) ostendimus (cf. praef. p. 29.): cum enim versus sic scriptus esset: „mori ante est quam mortem invoces felicitas" ex grammatica verborum constructione in hunc modum transpositus est: „mori, antequam mortem invoces, est felicitas." Quo factum videtur, ut est cum ultima verbi invoces syllaba conglutinatum falsam codicis F scripturam invocet efficeret et felicitas vel in felicis vel in felicius mutaretur: quod corruptelae genus saepius in ipso versuum exitu deprehendimus cf. praef. p. 20. Versum si ita scripseris, ut plerique scripserunt, invoces certe secunda persona offendit: quae non offenderet, si hic verborum ordo esset: mori, ántequam mortem ínvoces, felícis est. „Ille feliciter moritur, qui tum moritur, dum adhuc iucunda est vita necdum huius taedio mortem optat. Quidam pro felicis habent felicius." Erasmus. Cf. Publ. B 39 (82). S 33 (616).

6. „Durum est, cum non licet loqui, quod velis. Nam illic multo minus licebit facere, quae velis, si loqui non licet." Erasmus. Cf. Publ. H 7 (209).

7. „Felicitas incitat inimicitias. Ergo cui nemo invidet, is miserrimus sit oportet." Erasmus. Apud Ciceronem latere nullo casu adiuncto absolute usurpari docet Zumpt. Gram. lat. §. 360. Accedit quod sententia non convenit: nam tantum abest ut ulla fortuna inimicos fugiat, ut secundae invideant, adversa laetentur. Ea autem fortuna, cui nec invideant nec qua laetentur, mediocris, non miserrima est. Nec igitur haec altera sententia accedere ad Publilium debebat cf. Gruter. v. 418. 419. Ed. Bip. v. 418. 419. Orell. v. 425. 426. Both. v. 477. 478. Zell. v. 478. 479.

8. Qui benefacit commodi sui causa, is malefacit." Erasmus. Cf. Quint. VII. 4, 23. Similiter liberalitas a quo profecta sit refert .... Item quam rem dederit et quo tempore et quo animo id est num in aliquam spem suam.

9. „Dissimulata malitia pessima est." Erasmus. Cf. Publ. B 18 (61). M 60 (368). N 24 (400). Sen. ep. XIV. 4 (92) 29. cuicunque [autem] abest aliquid ad bonum, malus est.

10. Tenere, quod conieci, sensu neutrali positum idem significat atque obtinere vel invalescere, ut apud Quint. II. 1, 1. tenuit consuetudo, quae quotidie magis invalescit: ad quem locum Spaldingius: Verbum intransitive usurpat pro obtinuit. ibid. VIII. 5, 2. IX. 4, 47. Similiter Liv. I. 4. tenet fama. De verbi simplicis usu vid. Publ. B 9 (52) et de perfecto Publ. L 11 (302). „Timor abigit somnum" aut „non est dormitandum in periculo." Erasmus.

11. „Aliquando optant mortem homines, cum mori non possint." Erasmus. De sententia vide Soph. in Acris. apud Stob. Flor. t. 119, 12. (vol. III. p. 399. ed. Gaisford.): *τὸ ζῆν γάρ, ὦ παῖ, παντὸς ἥδιστον γέρας· θανεῖν γὰρ οὐκ ἔξεστι τοῖς αὐτοῖσι δίς.*

12. „Quod a fortuna pendet, id parum est firmum." Erasmus. Haec Fabius L. Aemilio ad bellum proficiscenti, nec ego, inquit, ut nihil aga-

tur, moneo, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna, velim. Cf. Liv. 22, 39.

13. Munera mittere idem significat atque inferias ferre vel mittere vel dare. Proprie quidem sunt munera epulae mortuorum manibus oblatae, quae Graeci vocant περίδειπνα, Romani silicernia (cf. Fest. v. Ruhnken. Dict. ad Ter. Ad. IV. 2, 48.) tum vero etiam alia dona, sacrificia, monumenta mortuorum memoriae facta. Illorum autem interdum tantum videntur copiam attulisse, ut in hoc quoque genere illorum temporum luxuria se iactaret. Quo fiebat, ut cum impensiorem curam mortuorum quam viventium haberent, se ipsi bonis suis privare viderentur. Ad quam rem notandam verbum adimendi per se bonum aptumque esset cf. Ovid. Met. VIII. .615. Hor. Serm. II. 3, 288. nisi librorum scriptura et numeris et sententiae officeret. Primum enim quod libri exhibent: sibi adimit, trochaeus in tribrachyn ita solutus, ut brevis una syllaba uno verbo inclusa ab reliquis brevibus secludatur, vix exemplo probari posse arbitror. Nam ut tetrametri exitum uno quattor syllabarum brevium verbo facile fieri constat: sic eius modi versus tetrametri divisis inter duo verba syllabis rari habentur. Cf. Ter. Andr. II. 2, 34. béne mones. Eun. II. 3, 70. ália res. Itaque recte fecerunt, qui verba sic transposuerunt: adimit sibi; sed is verborum ordo non convenit ad sententiam. Illud enim sentire mihi videor pronomen sibi, ut est pronomini illi contrarium, iuxta illi positum arsi quartae versus dipodiae efferendum esse. Neque enim verba dare et adimere, sed personae mortui et viventis opponuntur. Quae cum ita sint, pro sibi adimit scribendum duxi se abdicat. Cum abdicare proprie pater vivus filium dicatur, ut hereditate privet sive exheredet (cf. Casaub. ad Diog. Laert. I. 94. Quint. III. 6, 97. Arndts v. Arnesberg. Lehrb. der Paudekt. §. 427. not. 2.) id quod nos dicimus „verstossen": hoc loco verbi notione de patre ad filium detorta filius se ipse abdicare dicitur, cum ita se reiciat et deponat, ut etiam vivus se ipse exheredare reque sua privare videatur. Hoc igitur versus sententia docet eum, qui mortuo munus det, non mortuo dare, sed se ipsum privare. Scite Erasmus: „Olim solent inferias exhibere mortuis. Hoc perit vivis et nihil accipit mortuus." Cf. Verg. Aen. VI. 213. Sen. ep. XVI. 4 (99) 29.

14. „Infra servos est, qui servos suos timet, nempe male sibi conscius." Erasmus. Cf. Publ. F 29. Plaut. Mil. III. 1, 146. Sen. ep. V. 1 (47) 1. 13. 14. 17. colant (servi) potius te quam timeant. coll. Plut. Cat. 21.

15. Gruterus quidem mage pro magis, quod in libris est, recte videtur scripsisse. Neque enim ea forma modo Romanorum antiqui Plautus et Lucretius (cf. Lachmann. ad Lucr. VI. 1262) sed etiam posterioris aetatis poëtae usi sunt Vergilius (cf. Aen. X. 481). Phaedrus (cf. III. 3, 4. V. 3, 11. Bentl.) Propertius (cf. III. 12, 2.). Cf. Hand. Tursell. v. tom. III. p. 552. C. Reisig. Vorles. üb. lat. Sprachw. ed. Fr. Haasius p. 212. Luc. Mueller. de re metr. poët lat. p. 393. Magis positione neglecta Publilio tribuendum esse adeo mihi non persuasi, ut eos versus. quibus in libris inveniatur, emendandos esse putem. Cf. Publ. M 40 (348). V 22 (650). Fidus non est certus sive verus heres (cf. M. Gesner. Thes.) sed fidelis ac sincerae voluntatis: cuius adiectivi comparativus fidior rarior est (cf. Iust. XVI. 5, 2.) ut circumscribi soleat magis fidus. Hinc recte Erasmus: „Fidus nascitur heres, heredipeta scribitur." Longe aliam sententiam scriptam videmus apud Hieronym. adv. Iovin. de matrim. I. p. 190, 59. (Sen. Fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 430): „Heredes autem meliores et certiores amici sunt et propinqui, quos iudicio deligas quam quos, velis nolis, habere cogeris."

16. „In rebus malis plus sapiunt feminae quam viri.“ Erasmus. Cf. Publ. D 8 (130). F 22 (187). Ter. Hec. II. 1, 5. 6. viris adversari aeque studium est, similis pertina ciast. In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam. Prop. II. 7. 69. 70. Sed vobis facile est et componere fraudes: hoc unum didicit femina semper opus.

17. Si vel librorum scriptura „ad alienum consuescere“ vel quod editores substituerunt „ad alienum adsuescere recte se haberent: nescio an alterum utrum verbis exprimeretur aut ad alienam rem aut ad alienum victum adsuescere. Tum fieri non posset quin pro librorum scriptura voluntas adscisceretur Erasmi sive scriptura sive coniectura voluptas. Qua recepta priorem illam viam, ut aliena res familiaris intellegeretur, ingressus est Ribbeckius, cum docte atque acute Senecae locum ex libro de benef. VII. 21, 2. afferret, qui ad hunc versum Publilianum factus videtur. Hoc igitur loco Seneca Pythagoricum quendam narrat, cum sutori nummos debitos solvere non potuisset, quod nuper elatus ille combustusque esset, iam tacitam non reddendi voluptatem sensisse, sed mox cum se reprehendisset ea de re, rediisse ad sutoris tabernam in eamque per clostrum quattuor denarios inseruisse velut ad cupiditatis suae poenam, ne alieno adsuesceret. Lepida quidem haec et luculenta narratio, in qua quid verba ne alieno adsuesceret facile intellegantur. Voluit enim homo ab se propterea poenam exigere, ne aliena pecunia pro sua uti consuesceret. Sed quod hoc Senecae loco facile intellegitur, id eo remoto dubito num in Publilii versu intellegatur. Altera autem est interpretatio Erasmi sic versum interpretantis: „Dulcis cibus alienus, sed foeda voluptas est adsuescere alienis.“ Quam si recte intellexi, hoc vult dulce quidem esse ad alienam mensam interdum accumbere, sed eundem tum minus delectari, si cum altero iisdem semper uti cogatur. Sed haec vita tantum abest ut iure mala dici possit, quoniam plerique homines ea condicione inter se utuntur, ut minus etiam intellegatur, quamobrem mala voluptas dicatur. Itaque cum neutra earum, quas dixi, interpretationum placeat, aliam proferre liceat. Viam mihi monstravit Plaut. Stich. I. 3. 55. ubi haec leguntur: Nam curiosus nemo est, quin sit malevolus. Quae sententia Plauti eadem versu Publiliano videtur expressa esse, dummodo pro consuescere scribas resciscere. Praepositionem ad falso ex v. alienum additam puto. Haec igitur versus sententia est: Mala voluntas est eius, qui tam curiosus est, ut alienas res resciscere velit. De verbo resciscere vide Publ. I 1 (230). Sententiam illustrat ille Plinii de delatoribus in Paneg. 34. locus: „Vidimus delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum: non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla iam testamenta secura, nullus status certus: non orbitas, non liberi proderant.“ Cf. Quint. V. 10, 50. Haec et in deliberando intuemur et in iudiciis ad duas res solemus referre: An voluerit quis? An potuerit? Nam et voluntatem spes facit.

18. Alter versus huic Publiliano simillimus est Publ. N 32 (408). Hic est, qui eius versus, de quo quaerimus, medicinam monstravit. Multi ut habeat, cui opponatur, custoditur corruptum esse putandum est ex custodit unus: quo facto etiam legitima versus diaeresis reperitur Vide praef. p. 16. Scilicet ne periculo quidem corruptela caret: id quod ex scripturae varietate videre licet. Nihil enim aliud est nisi interpretamentum pro malo, quod cum ipsum periculum, damnum, poenam significet, apud scriptores frequentissimum est. Cf. Plaut. Pers. III. 1, 33. Poen. III, 5, 48. Rud. IV. 4, 81. Ter. Andr. I. 1, 116. Eun. IV 4, 45. Verg. Georg. II. 168. Cic. Verr. II. 3, 23. 25. Liv. IV. 49. Ruhn-

ken. Dict. ad Ter. Andr. II. 5, 20. Fabri. ad Sall. Iug. 100, 5. Non latet, quod maximo periculo sive malo custodiri ostendat poëta, nihil aliud esse nisi pecuniam aut uxorem. Quamobrem versum ita Erasmus interpretatur: „Trochaicus est. Difficile est servare, quod expetunt multi, veluti pecuniam aut formosam uxorem.“ Cf. Sen. Controv. II. 15. p. 194. ed. Bip. Omnium bonorum meorum. omnis pecuniae meae sola heres esto: quia corrumpi non potuit, quia tot sollicitationibus expugnari non potuit, quia tam fideliter pudicitiam custodivit.

19. Offendit medicina, cum secundi pedis anapaestum efficiat. Cf. Publ. B 29 (72). Sen. de provid. III. 2. sed si cogitaveris tecum, remedii causa quibusdam et radi ossa et legi et extrahi venas et quaedam amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant etqs. de ir. I. 12, 6. abominandum remedii genus est sanitatem debere morbo. Naturae aliquid est, quod cum natura corporis sanguine cohaeret. Cf. Quint. VIII. 3, 75. X. 4. 3. Haec Erasmus: „Medicina, quae laedit naturam, dura est, velut quae membra aufert.“ De sententia cf. Plaut. Aul. II. 2, 30. salvum est, si quid non perit. Cic. Cat. II. 5, 11.

20. Versum interpretatur Sen. nat. quaest. III. 30, 8. Omne ex integro animal generabitur dabiturque terris homo inscius scelerum et melioribus auspiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, nisi dum novi sunt. Cito nequitia subrepit: virtus difficilis inventu est. Rectorem ducemque desiderat: etiam sine magistro vitia discuntur. „Ad mala vel citra doctorem sumus idonei, virtus discitur“ Erasmus. Nauckius l. l. affert Synes. de provid. p. 125 C. *κακία μὲν γὰρ αὐτοδίδακτον, ἀρετὴ δὲ σὺν πόνῳ κτᾶται.* item Soph. quae feruntur, fr. 736, 6 sqq.

21. Sententiam explicant versus Publ. B 34 (77) et H 6 (208). Friget Erasmi versus cum hac interpretatione: „Qui sine periculo vivit, is feliciter vivit.“ Assentitur Gruterus ad Publ. v. 415. cum in v. 416. ex v. 415. ut opinatur depravato nihil acuti comparere dicat. Versum autem 415. sic explicat: „At prior respicit inquietum illud hominum genus, quod fortunae suae secundae semper instat, negotia quaerit e negotiis, bella e bellis, tales enim, etsi felices, miseros vocat auctor, quia semper circa pericula. huius animi hominem unum pro multis graphice nobis depinxit Cornelium Fuscum lib. II. historiarum Tacitus.“ Nisardus ita vertit: Malheureux celui qui ne sait pas vivre sans péril. At aliud est nescire vivere sine periculo, aliud sine periculi metu: hoc sane miseri, illud non tam miseri, quam temerarii et levissimi hominis est.

22. Duobis locis Seneca ad hunc versum alludere videtur, altero ep. III. 2 (23) 11: „Molestum est semper vitam inchoare. aut si hoc modo magis sensus potest exprimi: Male vivunt, qui semper vivere incipiunt;“ altero de brev. vit. III. 4: „tanquam semper victuri vivitis .... 5. Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est? Quae tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?“ Haec adnotat Erasmus: „Semper enim prorogant in crastinum, si quid est voluptatis aut bonae rei.“ Affert Ribbeckius Menandr. monost. 200. *ζῶμεν ἀλογίστως προσδοκοῦντες μὴ θανεῖν.* Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII.

23. „Quidam excusant convicium interpretatione atque ita magis irritant.“ Erasmus. Cf. Publ. I 23 (252). Sen. Controv. II. 12. p. 174. ed. Bip. nihil est autem crudelius, quam sic offendere, ut magis sis offensurus, si satis feceris. Sen. de const. sap. X. 3. inopia verae iniuriae

lascivientia (ingenia) his commoventur, quarum pars maior constat vitio interpretantis.

24. Haec Erasmus: „Invitat enim ut occidat.“ Cf. Sen. Excerpt. Controv. VI. 4. p. 443. ed. Bip. nolite mirari, si tam efficax venenum est. Heres est qui dedit. Sen. de benef. IV. 20, 3. ut aves quae laceratione corporum aluntur, lassa morbo pecora et casura e proximo speculantur: ita hic imminet morti et circa cadaver volat. Mart. epigr. XI. 67.

25. „Minus enim diu sperat, frustratur levius.“ Erasmus. Cf. Publ. P 20 (469).

26. Aegre credam, si irritata vera poëtae scriptura fuisset, futurum fuisse ut in illud interpretamentum cederet: cum irritatur, sed in hoc: cum est irritata. Bonitas autem animi cum sit virtus malitiae contraria, firma, constans, immota, fieri non potest, ut mutetur. Cf. Sen. de clem. I. 1, 5. 6.: difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tempus sumta: nemo enim potest personam diu ferre. Ficta cito in naturam suam recidunt. Unde efficitur, ut mutat se non significet naturam suam mutat, sed loco se mutat vel cedit. Cf. Publ. N 3 (379). Plaut. Amphitr. I. 1, 117. 118. neque se septentriones quoquam in coelo commovent neque se luna quoquam mutat. Hor. Serm. II. 7, 64. illa tamen se non habitu mutatve loco. Quae interpretatio si vera est, de iniuria, quae ex malitia orta bonitati contraria sit, dici oportet, quo a bonitate differat aut quo aliter se gerat. Itaque cum malitia vel iniuria invaserit, bonitatem recedere dicendum erat. idque coniectura „cum inruat se assecutus esse mihi videor. Verba ruere, irruere, proruere et absolute posita et cum reflexivo coniuncta inveniuntur. Cf. Ruhnken. Dict. ad Ter. Ad. IV. 2, 11. p. 197. ed Schopen. Latinum sic in Germanicum convertamus: „Ausweicht die Güte, wenn auf sie sich Bosheit stürzt.“ Neque igitur Erasmum versum aut scripsisse recte aut explicuisse puto, cum ita interpretetur: „Boni fiunt mali, si provoces.“

27. Nec Orellii sententiam de uxore res domesticas cum marito non communicante neque Schwarzii de muliere ad clare et dilucide cogitandum non apta explicantium interpretatio vera est, sed haec Erasmi: „Mulier apud se cogitabunda aliquid mali volvit in animo.“ Cf. Plaut. Mil. III. 3, 14. 15. si quid faciendum est mulieri male atque malitiose, ea sibi immortalis memoria est meminisse et sempiterna. Verg. Aen. IV. 563 sqq. Sen. Agam. 126. 127. Quid tacita versas? quidve consilii impotens tumido feroces impetus animo geris? Sen. ep. I. 10, 2. nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat: tunc mala consilia agitant.

28. Nunquam et nusquam confusa, ut Publ. N 59 (435). Causa cum quaeratur, non occasio, nunquam non i. e. nullo non tempore potius videtur, quam nusquam non i. e. nullo non loco. Ita enim Erasmus: „Malis nusquam deest occasio male faciendi.“

29. Ut Publilium et dicendi genere et arte metrica suae aetatis normam ac consuetudinem secutum esse credendum est: sic aut sua hic aut suum Publ. S 19 (602) ut in vetere Romanorum poësi Publilio monosyllabum fuisse negem. Vide Spengelii praef. p. 8. Quare ne natura quidem quod libri exhibent, recte se habere, sed pro venena interpretamentum videtur. Vide praef. p. 16. Quod autem in Pb est nascitura, id non ex natura, sed ex conglutinatione ultimae syllabae nominis venena et verbi pascitura depravatum esse puto. Versus sic reponendi viam monstrat Seneca ep. XI. 2 (81) 22. quo loco minimum ex nequitia levissimumque ad alios redundare ait: quod pessimum ex illa

sit et ut ita dicat. spississimum, domi remanere et premere habentem. Tum vero haec addit: „quemadmodum Attalus noster dicere solebat: malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit. Illud venenum. quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent, non est huic simile: hoc habentibus pessimum est.“ Est autem Attalus ille philosophus Stoicus idemque ipsius Senecae praeceptor, quem multis locis meritis laudibus ornavit. Cum igitur Publilii sententia. sive legitur natura seu venena. Attali phisosophi dicto simillima sit, etiamsi nollet histrionem appellare Attalus. tamen non dubitandum est, quin a Publilio Syro repetierit. Quare non est quod Senecam quoque eandem sententiam ab Attalo suo quam a Publilio repetere maluisse miremur. Pasci, quod proposui. cum accusativo obiecti, quod vocant. coniunctum satis frequens est cf. Verg. Georg. III. 314. IV. 481. Aen. II. 471. Sil. It. XIII. 440. coll. Sen. ep. XIV. 3 (91) 1. de clem. I. 25, 1. Attali vero dictum Bothio arrisit, ut id ipsum inter sententias Publilianas reciperet his numeris adstrictum: Málitia ipsa suí veneni máximam partém bibit. Docet igitur sententia malevolum, quamvis ut venenum serpens. sic malitiam in alios evomat, tamen pestiferam vim veluti propriam semper ita in se retinere, quasi ea ipse contineatur atque alatur. Itaque a vero aberravit Bothius ad Publ. v. 439. cum adnotat: „vescitur] utitur: malus a se ipso nunquam desciscere, sed ut est, ita manere semper dicitur. Nihil amplius. Cf. Publ. M 26 (334).“ Nec melius sententiam sic interpretatus est Erasmus: „Etiamsi deest praemium maleficii, tamen malevolus fruitur sua malitia et vel gratis malus est.“ Cf. Sent. falso inter Publ. recept. v. 355.

30. Huic versui simillimum iecit in scena D. Laberius ille eques Romanus, tunc mimus: quem ipsum inter Publilii Syri sententias refert Io. Saresberiensis VIII. 14.: Necesse est multos timeat quem multi timent. Cf. Ribbeck. Com. Rom. Fragm. D. Laber. ex incert. fab. III. 126. p. 297. Sent. falso inter Publ. recept. v. 205. Sic explicatur ab Erasmo: „Quem timent multi, hunc pauci amant: is igitur vicissim timeat oportet, a quibus timetur.“ Sententia non nova, sed multum ac saepe agitata maxime Decimi Laberii dicacitate celebrata est. Cf. Solon. ap. Anton. Meliss. serm. *περὶ βασιλέως* (Orell. opusc. Graec. sent. I. 162, 19.) *ὁ πολλοῖς φοβερὸς ὢν πολλοὺς φοβείσθω.* Sen. de clem. I. 8, 7. ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. ibid. I. 12. 3. alter ut magno timore magna odia compescat, nec illas ipsas manus, quibus se commisit, securus adspicit. ibid. I. 19. 5. tantum enim necesse est timeat, quantum timeri voluit. ibid. I. 25, 3. tam multis periculis petitur, quam multorum ipse periculum est. ep. XVIII. 2 (105) 4. adice nunc, quod qui timetur timet. Pseudo-Sen. de mor. 61 (Sen. Fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 464). Sen. Agam. 73. metui cupiunt metuique timent. Sen. Theb. 653. regnare non vult, esse qui invisus timet. Sen. Oed. 705. 706. Qui sceptra duro saevus imperio regit, timet timentes: metus in auctorem redit. Sen. Oct. 442. magnum timoris remedium clementia est. Quint. VI. 1, 14. erubescis Caesarem timere.

31. „Summum imperium est bene imperare; id amittitur male imperando. Sive nullum imperium tam potens quod non amittatur, si tyrannice imperes.“ Erasmus. Posterior interpretatio vera est. Cf. Sen. Theb. 659. Invisa nunquam imperia retinentur diu. Sen. Med. 196. Iniqua nunquam regna perpetuo manent. Sen. Troad. 259. Violenta nemo imperia continuit diu.

32. Placere i. e. probari, nos dicimus: „wohlgefallen,“ verbum in re amatoria solemne cf. Sen. Hippol. 682. Quint. XII. 9, 6. illud certum

est neminem peius agere quam qui displicente causa placet: necesse est enim extra causam sit, quod placet. „Male audiunt vulgo, quae saepius mutant maritum. Aut infelices sunt aut incontinentes aut inconstantes aut morosae.“ Erasmus. Cf. Publ. H 21 (223). Alludit ad sententiam Publilianam Godofredus Argentoratensis in carmine Tristan v. 18047. ubi haec leguntur: „diu manegem minne sinnet, diu ist manegem ungeminnet“ cf. M. Haupt. ad Engelhard. 1005. Vide de sententia Sen. de benef. III. 16, 2.

33. Cave malevolum: dum bonum se simulat, ex improviso quae occulta habuit, malitiae arma expedit. Cf. Publ. M 29 (337).

34. Cf. Plaut. Rud. II. 3, 71. Ergo animus aequus optimum est aerumnae condimentum. coll. Publ. Sent. ed. Gruter. v. 403.: Medicina sola miseriarum oblivio. Sent. falso inter Publ. recept. v. 193.

35. Mulieres si quid malitiose facturae sunt, profusis lacrimis animum virilem mollire et frangere student. Cf. Publ. D 8 (130).

36. Versum tueri videtur Seneca de ir. II. 31, 5. ubi maxime gaudebis, maxime metues. Est enim metus id quod metuendum est cf. M. Gesner. Thes. v.: „Et tam active. quam passive sumitur; nam metus hostium recte dicitur et cum timent hostes et cum timentur.“ Pari modo spes est et animus qui sperat et optatum quod speratur cf. Sall. Cat. 20. 13. 21, 1. Tum respicere idem valet ac curare, nos dicimus „woran denken“ cf. Plaut. Pseud. II. 2, 18. non soleo te respicere, cum dicas iniuste alteri Sen. Controv. II. 13. p. 175. ed. Bip. Imposita (mulier) in eculeum saepius absentem virum respexit, quam praesentem tyrannum. Idem intellectus verbi videre est apud Publ. L 13 (304). Denique quicquid iuvat idem significat, quod quicquid voluptatem parit; nos dicimus: „alles was Lust heisst.“ Contrarium est illud quod legitur apud Sen. Herc. Fur. 726. quicquid timetur (i. e. alles Furchtbare). Hinc sententia docet, si quid volupe sit, nullum esse locum timori.

37. Cf. Publ. H 22 (224). Sentantia contraria illa Graecorum: ἐῤῥέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ apud Plut. de discr. amici et adul. V. coll. Cic. pro reg. Deiot. IX. 25.

38. Quicunque effuse indignatur, magnum crimen causari solet, quo indignationem suam moveri affirmat. Cf. Sen de ir. II. 22, 2 causa autem iracundiae opinio iniuriae est, cui non facile credendum est. de tranq. anim VI. 3. quidam non habent iram in potestate et illos ad temeraria verba quaelibet indignatio offert. Lud. de mort. Claud. X. 2. ideo legibus urbem fundavi, operibus ornavi, ut — quid dicam, P. C. non invenio — omnia infra indignationem verba sunt. Oratoris indignationem describit Quint. IV. 3, 5. 9. VI. 2, 26.: nam et luctus et irae et indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum accommodaverimus.

39. Nec Woelfflini scriptura poté tamen nec Ribbeckii aut Spengelii potést tămĕn iustos numeros praebet. Nam quod Bothius ex Festo affert antiquos tam etiam pro tamen usos esse (cf. l. XVIII. p. 360. 361. ed. Odofr. Muelleri) cum nullis certis exemplis probari possit, vanum est. Cf. Gruter. ad Plaut. Pseud. V. 2, 24. Itaque versui medicinam a Latinorum illa consuetudine loquendi repetivi, ex qua in sententiis contrariis vel negativis iis, in quibus affirmatae actioni actio negata aut vice versa opponatur, verbo verbum opponi solet. Quae loquendi consuetudo plurimis exemplis comprobatur, praesertim iis, quibus posse et non posse opponuntur cf. Publ. A 18. D 20 (142). L 13 (304). L 14 (305). M 74. Q 16 (516). Cic pro Mil. IX. 26. dictitabat

palam consulatum eripi Miloni non posse, vitam posse. Ovid. Met. VIII. 187. omnia possideat, non possidet aëra Minos. Sen. Controv. III. 20. p. 236. ed. Bip. inventus est qui patrem posset occidere et novercam non posset. Controv. IV. 29. p. 310. ed. Bip. nullum magis adversarium timeas, quam qui vivere non potest, occidere potest. ibid. IV. 29. p 316. ed. Bip. damnare illum potui, effugere non potui. Sen. de ir. I. 20, 9. Quanta dementia fuit! putavit aut sibi noceri ne ab Iove quidem posse aut se nocere etiam Iovi posse. ibid. II. 3, 4. hanc iram non voco, voco [add. Fr. Haasius] motum animi rationi parentem. ibid. II. 22, 4. potest enim poena dilata exigi, non potest exacta revocari. ad Polyb. de consol. V. 2. ille desiderio tibi esse vult, tormento esse non vult. ep. XIII. 2 (87) 14. ad effectum pertinent instrumenta, tibiae et organa et chordae. ad artem ipsam non pertinent. ep. XVI. 2 (97) 13. eleganter itaque ab Epicuro dictum puto: Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest. Quint. X. 6. 6. Quare cogitatio in hoc praeparetur, ut nos fortuna decipere non possit. adiuvare possit XII. 3. 12. philosophia enim simulari potest, eloquentia non potest. Verbum cogitare cum infinitivo coniungi notum est cf. Ter. Heaut. III. 3, 46. quid nunc facere cogitas? Hor. Ep. I. 2, 20. si comportatis rebus bene cogitat uti. A. P. 143. 144. non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitat. Quod de irato homine dicit Seneca, idem de malo dictum putemus. Is enim haec de ir. I. 3, 2. primum diximus cupiditatem esse poenae exigendae, non facultatem Concupiscunt autem homines et quae non possunt coll. I. 5, 3. 6, 4. Publ. S 1 (584).

40. Hic versus ex paucis est, quorum ordo verborum ex grammatica illa ratione ita perturbatus est, ut etiam sermo vitia contraxerit. Quis enim non videt orationem in F sic compositam videri non ut scriptor Romanus composuisse putandus est, sed ut scholae latinae pueri ordinare iubentur? Quis est quem non offendat sententia illa relativa orationis, quae dicitur, rectae, pro qua exspectetur sententia interrogativa orationis, quam vocamus, obliquae? Itaque si versum sanare volueris, constanti animo verba, ut feci, transponenda erunt. Pari modo alios versus Publilianos in libris male turbatos esse ostendi. Cf. Publ. C 26 (111). F 26 (191). M 5 (313). Vide praef. p. 14. Apud Bothium versum non inveni. Vide quae hoc de versu Ribbeckius in Mus. Rhen. XXV. 320. disputavit. Similes versus video apud Ter. Eun. V. 2, 41. 42. Non adeo inhumano ego sum ingenio, Chaerea, neque ita imperita, ut quid amor valeat nesciam, et apud ipsum Publilium A. 15. Homo felix necdum ullam cladem unquam expertus audacius periculum capessit, quam cuius animus acceptae alicuius calamitatis memoria debilitatur. Tenet apud nos hoc proverbium: „Gebranntes Kind fürchtet das Feuer.“

41. Diffidentia proposuit, non edidit Gruterus, cum haec addit: „Qui enim diffidit, consilia multa cogit intra pectus, sed nullum audet sequi.“ Sed eadem sententia est Publ. M 3 (311).

42. Multae aliae eaeque diversae eiusdem argumenti sententiae apud Publilium inveniuntur. quarum sua cuique tribuenda est, alia regi aut imperatori, alia magistratui aut iudici, alia patri aut magistro. Cf. Publ. I 9 (238). I 55 (285). N 18 (394). Q 28 (528). Q 35 (535). S 9 (592). V 17 (645). Similem Afri Domitii hanc sententiam memorat Quint. VIII. 5. 3: Princeps. qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. Cf. etiam Publ. C 45.

43. Solet Publilius verbum, in quo sententiae vis posita est. geminare cf. B 21 (64). B 24 (67). C 28 (113). C 38 (654). D 4 (126). F

23 (188). H 22 (224). I 6 (235). I 13 (242). I 29 (258). I 61 (291). M 27 (335). M 30 (338). N 22 (398). N 44 (420). O 13 (448). Q 24 (524). Q 38 (538). Q 53 (553). Q 64 (564). De sententia cf. Publ. M 32 (340). Q 32 (532). Plaut. Poen. V. 4, 33. 34. multa sunt mulierum vitia: sed hoc e multis maximum est, cum sibi nimis placent nimisque operam dant, ut placeant viris.

44. Cum i. e. tum cum, nos dicimus: da wo. Cf. Sen. Excerpt. Controv. V. 1. p. 428. ed. Bip. „Ludit de suis fortuna muneribus et quae dedit, aufert et quae abstulit, reddit: neque unquam tutius est illam experiri, quam cum locum iniuriae non habet.“ Similem sententiam profert Sen. de const. sap. V. 4. nihil eripit fortuna, nisi quod dedit ep. VI. 7 (59) 18. quod non dedit fortuna, non eripit. Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII.

45. Instrumentum voco, inquit Quint. II. 21, 24., sine quo formari materia et in id quod velimus effici opus non possit. Hinc videtur ironia vel simulatio quaedam in sententia inesse, quasi hoc dicat poëta: tu quidem, si meretricem sequeris, assequeris contumeliam, quamvis nullo modo assequi volueris, vel invitus. Sic dixit Sen. ep. II 2 (14) 6. instrumenta doloris. V. 1 (42) 3. instrumenta explicandae nequitiae. IX. 3 (74) 1. maximum instrumentum beatae vitae. Cruces adolescentibus sunt meretrices apud Ter. Eun. II. 3, 92.

46. Malus nihil unquam boni consilii in animum suum admittit. Cf. Sen. ep. XVI. 3 (98) 3. Malus omnia in malum vertit. etiam quae cum specie optimi venerant.

47. Causa clara et aperta non iudicum longa disceptatione eget, sed per se omnibus cognita et explorata est.

48. Calamitate ablativus modi est, cuius ea potestas est, ut qua aliquid fiat rerum condicionem significet. Quare multorum calamitate idem est atque dicas virum bonum ita mori, ut cum eius morte multorum vel multiplex aliorum hominum calamitas coniuncta sit. Vide de eius ablativi usu Heldii adnot. ad Caes. de bell. civ. I. 85. cf. Corn. Nep. Dat. VIII. 5. cum bellum duci maiore regis calamitate, quam adversariorum videret.

49. Cf. Publ. P 45 (494). Q 53 (553).

50. Versum creticum dimetrum dixit L. Spengelius in Caecil. p. 7. „Explicationi ἀμέτρῳ cessit vox tangitur, sedulo illa expuncta, nisi fallor, a sancto quodam monacho proter ambiguum“ Bothius. Sed lacrimis prima syllaba longa praeter usum Publilianum esse docuit Woelfflinus in Proleg. p. 56. Multa de meretricum rapacitate narrant veteres poëtae cf. Plaut. Menaech. II. 3, 26. meretrices omnes elecebrae argentariae. Pseud. I. 3, 97—100. Truc. prol. 12—17. II. 1, 28—34. 7, 19. 20. Ter. Heaut. II. 1, 13—15. Hec. I. 2, 6—8. Tibull. I. 5, 60. 8, 29. 9, 7—20. 31—34. Prop. II. 13, 15. Carmine formosae, pretio capiuntur avarae.

51. Quod ego scripsi, tuetur Ter. Heaut. IV. 3, 30. nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi. coll. Cic. Fam. XII. 2. quare spes est omnis in vobis: qui si iccirco abestis, ut sitis in tuto, ne in vobis quidem. Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVIII.

52. Non tam me offendit adverbium nimis, etsi non ita erat opus addito, quam neglecta versus diaeresis. Quae cum a ceteris poëtis, qui eo numerorum genere utebantur, usurpari solita sit, tum a Publilio sic videtur observata, ut de eo versu, qui ea careat, merito dubitandum sit. Cf. Publ. D 23 (145). H 9 (211). H 10 (212). Q 53 (553). S 23 (606). Accedit quod in sententia verbum est desideratur: quod etiamsi addatur,

tamen ea fit, quam cum Spengelio ex prosa oratione dixeris adscitam. Nam Rufi sententiam eam, quam Woelfflinus e cod. Par. lat. 4841. saec. IX. affert, Mors forti levis, servienti optata, obtabilis immatura, ab ipsis verbis poëtae esse cognoscitur, nisi quod versus trochaici numeris adstringenda in hunc modum videtur: Mórs levis fortí, servo optata, ímmatura est núbili. Pro nimis scripsi venis. Cf. Prop. II. 10, 49. 50. non ille Antilochi vidisset corpus humati, diceret aut O mors, cur mihi sera venis? De sententia vide praeterea Cic. Cat. Mai. VIII. 25.

53. Neque versus propter vitiosam post tertium pedem diaeresin ferendus nec sententia sana est: male facere qui velit, ab honestate eum improbari nemo est, cui id hac sententia sanciendum esse videatur, quoniam nullo monente perspicitur. Qui vitio etsi Meyerus p. 27. hac coniectura mederi voluit: „Malam rem cum velis honestare, improbes," nec tamen sententiam ipsam nec numeros sanavit. Ribbeckio autem vilis sententia videtur numeris fractis. Equidem poëtam hac sententia idem praeceptum docere voluisse credo, quod Stoicorum disciplina traditum esse Seneca pluribus locis refert. Qui quidem ut unum bonum quod honestum est (cf. Sen. ep. VIII. 2 (71) 4. 19. IX. 3 (74). 1. IX. 5 (76) 6. 7.) et honestum in omnibus par esse ipsamque virtutem in parte meliore nostri i. e. in ratione positam esse volunt (Sen. ep. VIII. 2 (71) 32.) quae ita et suos numeros habeat et plena sit, ut non crescat (Sen. ep. VIII. 2 (71) 16.): sic et malum desinere esse, ad quem virtus intraverit, et eum, qui vitium unum, omnia habere contendunt cf. Sen. de benef. V. 12, 5. 15, 1. Quare hoc ipsum, quod in sententia Publiliana summum erat, librariorum incuria praetermissum versusque hanc sententiam esse existimo: qui unum aliquid male facere velit, eum omnem honestatem deponere.

54. Hoc malum consilium dicit poëta, quo deficiente non ad aliud quodpiam transitus detur. „Nunquam te involvas eiusmodi nodo, ut explicare te non possis. Hunc versum adiecimus ex Aulo Gellio." Erasmus. Cf. Taubmannn. ad Plaut. Truc. IV. 4, 15. Liv. 31, 32.

55. Quod quis maligne in aliquem iecit, id unius auctoris maledictum mox in omnium ora venire solet. Cf. Quint. V. 3, 1. Famam atque rumores pars altera consensum civitatis et velut publicum testimonium vocat, altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas. Sen. de const. sap. XVIII. 4. Publ. I 14 (243).

56. De sententia cf. Publ. H 3 (205). Sen. nat. quaest. VI. 32, 4. pusilla res est hominis anima, sed ingens res contemptus animae.

57. Sententia ex Horatii illa fabella Serm. II. 6, 79—117. narrata de muribus urbano et rustico videtur interpretanda: Misera voluptas, quacum periculi alicuius cogitatio coniuncta est.

58. Scripsi: M. vincit iam, ita ut v. iam id significet, quod nos dicimus „gleich vel sogleich" et ad ea quae sequuntur referatur. Cf. Publ. G 3 (196). Sall. Cat. 52. si paullulum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Eius particulae oblitteratae vestigia in scriptura codicis T deprehendisse mihi videor, cum audaciam nullius sensus nomen vocabulis male coniunctis ortum suspicer ex vincitiam. In eodem nomine clam odoratus est Spengelius.

59. Videtur poëta Caesarem belli civilis victorem ostendere, cuius in victos adversarios tanta clementia erat, ut etiam laude digna Ciceroni videretur. Cf. pro Deiot. XIV. 40. pro Ligar. XII. 37.: nihil est enim, inquit, tam populare, quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior nec gratior misericordia est. Homines enim ad deos

nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando." Cf. Publ. P 22 (471). P 26 (475).

60. De sententia cf. Publ. B 18 (61). M 9 (317). Cic. off. I. 13.: Totius autem iniustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.

61. De primi pedis proceleusmatico vide Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 205. De sententia cf. Publ. M 27 (335). P 8 (457).

63. Temptare i. e. experiri. verbum Senecae quoque satis cognitum, ep. V. 6 (47) 16. tempta et experire. de clem. I. 14, 1. multa ante temptat, quibus dubiam indolem et peiore loco iam positam revocet: simul deploratum est, ultima experitur. De sententia cf. Sen. de tranq. anim. VII. 6. nunc vero in tanta bonorum egestate minus fastidiosa fiat electio.

64. De sententia vide Sen. Suas. VI. p. 33. ed. Bip. Scias licet tibi non expedire vivere, si Antonius permittit ut vivas. Controv. V. 32. p. 340. 341. ed. Bip. M. Cato, quo viro nihil speciosius civilis tempestas abstulit, potuit beneficio Caesaris vivere, sicut Tullius, si voluisset. Sen. ad Marc. de consol. XX. 4. quid enim erat turpius, quam Pompeium vivere beneficio regis? — Sen. Theb. 100. occidere est vetare cupientem mori. Erasmi Adag. p. 245. 453.

65. Mansueta non tam res mansuetae vel humiles, sed cicura animalia intellegenda sunt: quae quemadmodum apud homines tutius quidem, quam fera in lustris vivunt, sed in servitute habentur: sic mansueta hominum ingenia iniuriis quidem minus obnoxia sunt, quam ferocia, sed ad serviendum facilius deprimuntur. Docet igitur sententia per comparationem cf. Quint. VIII. 5, 5. Cuiusmodi exemplum aliud est Publ. R 14 (582).

66. Ea mors mala est, quam erepta honestae mortis potestate, dummodo aut hominis crudelitatem aut rerum potentiam effugiat, sibi quisque foedissimam ac teterrimam imponit. Cf. Sen. Controv. IV. 27. p. 294. ed. Bip. necessitas magnum humanae infelicitatis patrocinium, coll. Excerpt. Controv. IX. 4. p. 481. ed. Bip. Sen. ep. I. 12, 10. malum est in necessitate vivere: sed in necessitate vivere necessitas nulla est. ep. VIII. 1 (70) 6. bene autem mori est effugere male vivendi periculum. coll. ep. VIII. 1 (70) 20. 23. Sen. Herc. Oet. 1200. ubique me mors fugit, ut leto inclito fortis carerem. O ferae victae, o ferae! Cic. pro Quinct. XV. 49. Etenim mors honesta saepe vitam quoque miseram exornat: vita turpis et misera ne morti quidem honestae locum relinquit.

67. Non facile quisquam sibi persuadebit Publilium asperiorem veterum poëtarum licentiam imitatum sequente consonante us (u') corripuisse. Cf. Quint. IX. 4, 37. 38. coll. Cic. Or. 48. Haec enim Woelfflinus Proleg. p. 57.: „sequente consonante us (u') corripi posse, quae est antiquiorum poëtarum licentia, parum credibile est, cum perpauci versus, in quibus id factum videtur, lenissimis remediis sanari possint cf. N 11 (387). V 4 (632). Itaque videtur Publilius ob sermonem purissimum tanto opere celebratus in arte quoque pangendorum versuum propior esse Vergilio, quam Plauto et Lucretio quoque" etqs. Itaque Gruterus in versibus Publilianis corrigere pote et mage, quam potest et magis laesa quae tum obtinebat, numerorum lege scribere maluit. Neque Spengelius versus eos, quibus us et is syllabae breves finales abiecta s corripiendae videantur sequente quod a consonante incipiat vocabulo adeo omni dubitatione exemtos esse censet, ut si qua ratione emendari possint circumspiciat cf. praef. p. 9. Atque hoc quidem versu cum erres pro pecces

parum probetur, librorum scripturam intactam reliquit. De sententia hoc dicere possumus non statim intellegi, quae eius sit ratio. Nam si ad rerum cognitionem referatur, ut rebus cognitis aliquis minus saepe peccaturus esse dicatur, cum per se pateat, inepta est; sin ad agendum, nemo nisi puer est (cf. Sen. de ir. II. 30, 1. puer est; nescit an peccet) utrum peccet necne ex iis quae mente memoriaque teneat, pendere putabit. Quae quidem offensiones tollentur, dum mecum scripseris: „Minus supines s. s. quod n." Verbum autem supinare ab adiectivo supinus ductum cum proprie significet alicuius caput vel pectus attollere, tum reflexiva vi adsumta valet capite resupino superbire vel fastidire. Ut dixit Sen. de benef. II. 13, 2. libet itaque interrogare, quid se tantopere resupinet, quid voltum habitumque oris pervertat, ut malit habere personam quam faciem? quo loco I. Lipsius pro resupinet edidit supinet hac adiecta adnotatione: Alii resupinet nec male. Habitus autem ille superborum est caput attollere, pectus proicere, quod est sese supinare, καθυπτιάζειν. Publilio verba simplicia usitata esse supra dixi cf. B 9 (52). Eadem vis ac potestas inest in adiectivis supinus, resupinus cf. Ovid. Met. VI. 275. et mediam tulerat gressus resupina per urbem; et in adverbio supine cf. Sen. de benef. II. 24, 3. Ut his adiectivis contrarium est pronus (cf. Sen. de tranq. anim. II. 12:) ita verbo supinare respondet v. incurvare cf. Sen. ep. XVIII. 1, 24. Pers. I. 91. Est autem magna eorum verborum copia, quae nullo addito vel nomine vel pronomine reflexiva vel intransitiva potestate donantur, velut movere Liv. 22, 1. vertere Liv. 2, 27. 5. 49. 7, 38. 8, 38. 23, 25. Prop. I. 16, 28. flectere Liv. 3, 8. 28, 6. remittere Cic. Or. 34. Liv. 40, 33. ingeminare Verg. Aen. IV. 531. conivere Cic. Tusc. I. 49, 117. Suet. Calig. 51. emergere Cic. Coel. 12. iactare Curt. VIII. 1, 3. intendere Sall. Ing. 27. 77. Plin. ep. VIII. 19. Quint. X. 1. Cic. pro Mur. XI. 22. recipere Caes. BG. I. 48. insinuare Verg. Aen. II. 229. Hinc supinare idem significat quod nos dicimus „die Nase hoch tragen" ita ut versus sententia id doceat quod Socratem omnium Graecorum sapientissimum per totam vitam prae se tulisse ferunt, quo quis plura sciat, eo minus eum superbire. Cf. Plaut. Trin. I. 2, 184. Sen. ep. 1. 6. 1 extr. et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt. ep. VIII. 2 (71) 4. quibusdam autem evenit ut quaedam se scire nesciant. coll. ep. IX. 4. (75) 9. IX. 5 (76) 3. XIII. 3 (88) 36. XIX. 5 (114) 8.

68. Sic adverbium ubique i. e. quoque loco in sententiis relativis interponitur, ut definiatur, quicunque locus est; nos dicimus: „irgendwo". Cf. Hor. Serm. I. 2, 60. 61. non illud, quicquid ubique officit, evitare? Caes. BC. II. 20. et quid ubique habeat frumenti. Cic. Verr. IV. 4, 7. Verres, quod ubique erit pulcherrimum, auferet. Agr. II. 21. ceteri agri omnes, qui ubique sunt. Div. II. 44. volunt omnes eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem condicione nasci. Sall. Cat. XXI. 1. quid ubique opis aut spei haberent.

69. „Christliche Sentenz" Froehlichius. Non inventam ego sententiam ab homine quodam christiano, sed verba inventa ab eo in christianae colorem religionis declinata esse arbitror. Multis i. e. multis verbis, fert i. e. fert vel effert laudibus cf. Cic. pro Arch. 8. de orat. III. 56, 214.

75. Versum repetiit Lactant. Inst. III. 17. Nec frustra dictum est: M. m. n. e. a. a. m. e. m. hoc est: morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari. Haec sunt quae timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum. „Cum sit senarius versus, possit et ipse esse ex Graeco translatus, ut

ille Epicharmi trochaicus, quem hic citant fere. apud Cic. Tusc. I. 8, 15: Emori noló, sed me esse mórtuum nihili aéstimo". Spalding. Cf. Woelfflin. Proleg. p. 45. adnot.

N 1. „Qui infortunatus est in rebus gerendis, huic optimum est in otio vivere". Erasmus. Cf. Cic. de nat. deor. II. 16, 44. mihi qui nil agit esse omnino non videtur. Cato ap. Colum. de re rust. XI. 1. vol. III. p. 420. ed. Bip. nihil agendo homines male agere discunt. Gell. NA. XI. 2, 6. Sen. ep. I. 1, 1.

2. „Oculos incusamus, quasi ministrent occasionem malarum cupiditatum. At animus in culpa est, qui oculis non imperet". Erasmus. Cf. Cic. off. I. 40. At enim praetorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. De geminatione v. oculus cf. Publ. A 40.

3. De vi ac potestate adiectivi proprius cf. Publ. N 35 (411). „Nihil existimes vere tuum, quod possit auferri". Erasmus.

4. Corruptelae remedium quaesivi ab Sen. nat. quaest. VI. 1, 7. ubi haec leguntur: „Hoc malum (terrae motus) latissime patet, inevitabile, avidum, publice noxium. Non enim domos solum aut familias aut urbes singulas haurit: gentes totas regionesque submersit et modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit" etqs. Operire. cui aperire opponitur. est tegere, sepelire cf. Plin. NH. X. 44, 61. inde crate consternere et operire terra, quae ante fuerit egesta. Corn. Nep. Han. IX. 3. amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento. Tac. An. XV. 28. neque infamia Paeti angebatur: quod eo maxime patuit, quia filio eius Tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae imperavit. Hinc igitur neque opteritur nec opprimitur nec perit. sed scribendum videtur operitur: quam passivi formam hic obtinuisse vel ex falsa optimorum codicum scriptura peritur et perit vir cognoscitur. Cf. Woelfflin. Proleg. p. 54. Meyer. p. 8. 10. 27. „Id est non facile opprimitur incommodo, qui praecavit incommodum, et non facile opprimitur periculo. qui periculum observat". Erasmus. Cf. Plaut. Most. I. 2, 67—70. Ovid. ep. ex Pont. III. 2, 11. 12. cumque dedit paries venturae signa ruinae sollicito vacuus fit locus ille metu. Sen. ep. XVII. 3 (103) 1. Quid ista circumspicis, quae tibi possunt fortasse evenire. sed possunt et non evenire? incendium dico, ruinam, alia, quae nobis incidunt, non insidiantur. nat. quaest. VI. 1, 5. consternatio est omnium, ubi tecta crepuerunt et ruina signum dedit.

5. Nos Latinum sic in nostrum sermonem transferamus: „Kein Gewinn ist so geborgen, als das sparen, was man hat". Cf. Plaut. Pseud. IV. 6, 6. minae viginti sanae ac salvae sunt tibi. Sen. ep. XIX. 6 (115) 16. maiore tormento pecunia possidetur, quam quaeritur.

6. „Iambicus est tetrameter. Ita ludit tempus et fortunae vicissitudo, ut saepe quae putaris optima, sentias maxime nocere et contra". Erasmus. Parum recte, cum sententia te nescire iubeat quid optes aut quid fugias: quod si feceris, fugam dierum te decepturam esse. Est igitur ludere idem ac decipere (cf. Liv. 22, 4.) vel fallere cf. Ter. Eun. II. 3, 94. Verg. Aen. VII. 442, Hor. Carm. III. 4, 5. Ovid. Her. XVII. 45. Am. I. 3. 23. Eandem sententiam cantilena potatoria persecutus est Goethius poëta nostras clarissimus (cf. Werke Bd. I. p. 105.) his verbis exorsus: „Ich hab' mein Sach auf Nichts gestellt, Juchhe! Drum ist's so wohl mir in der Welt, Juchhe! In Germanicum sic Latinum vertere licet: „Musst nicht wünschen, musst nicht meiden! Spielend so vergeht die Zeit!". Sic loquitur, qui in diem vivere vult, ut Seneca ep. XX. 6 (123) 10. quempiam dicentem facit: „Virtus et philosophia et iustitia

verborum inanium crepitus est: una felicitas est bene vitae facere: esse, bibere, frui patrimonio, hoc est vivere, hoc est se mortalem esse meminisse. Fluunt dies et irreparabilis vita decurrit".

7. „Et hic citatur a Gellio. Audendum est aliquo pacto, si cupias effugere periculum". Erasmus. Cf. Ter. Heaut. II. 3, 81—83. vis amare, vis potiri, vis, quod des illi, effici: tuum esse in potiundo periclum non vis: haut stulte sapis, siquidem id superest, velle te id quod non potest contingere. Sen. de prov. III. 4. magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit. — „Ceterum post hunc versum inserendus alius, quem tanquam Publilii citat Michael Neander in Aristologia Euripidea p. 146. ad verba Euripidis ex Oreste v. 695. *σμικροῖσι μὲν γὰρ τὰ μεγάλα πῶς ἕλοι τις ἂν πόνοισιν* hic scil.: Magnum periclum vix sine magno periclo vincitur, quem tamen in omnibus Publilii editionibus frustra quaesivi". Orellius ad Publ. 376. Fortasse trochaicus: „Mágnum sine magnó periclo víx periclum víncitur".

8. „Felicitati semper aliquid adiunctum est incommodi". Erasmus. Comparant Euripidis illud *οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.* Versus Publiliani parodia videtur exstare apud Caec. Balb. p. 26. Mon. XVII. 2 (Sent. 134). coll. Sent. falso inter Publ. recept. 235.

9. Recte Erasmus: „Ibi mori optimum, ubi iucunde viximus". Cf. Cic. ap. Sen. Suas. VII. p. 39. ed. Bip. moriar, inquit, in patria saepe servata! —

10. Et coniunctis particulis negativis, ut affirmet, saepius usus est Publilius, ut nunquam non cf. M. 28 (336). N 37 (413). nil non cf. I 51 (281). N 20 (396). N 46 (422). nil .. nulla V 30 (690). et particulam negativam in partes solvendo expressit, ut non unquam pro nunquam cf. Publ. F 16 (181). Quo factum est, ut librarii artis metricae parum periti varie peccarent aut altera negativa omissa aut utraque coniuncta. Id vero quod in altero versu habet F, facit non ex deficit aut defecit, sed ex fuit depravari poterat. Hinc etiam postquam ea, quae a poëta scripta fuisse suspicor, non fuit mutata sunt in deficit, avaro aliis libris restitisse, aliis in avarum fuisse emendatum videtur. Sententia igitur docet avarum nunquam habuisse, quod se dare posse negaret. Haec Erasmus: „Qui non dat libenter, semper aliquam invenit causam, cur non det".

11. Metrum cum etiam aliam verborum collocationem permittat, tamen Bothii ratio cum Publilii usu maxime congruere videtur: is enim cum formas monosyllabas omnes pronominis relativi qui C 24 (109). C 31 (116). E 15 (161). E 20 (663). H 4 (206). H 6 (208). H 9 (211). I 63 (264). M 2 (310). M 24 (332). M 68 (376). N 15 (391). P 6 (455). P 14 (463). P 50 (499). P 51 (500). Q 23 (523). Q 34 (534). Q 35 (535). Q 42 (542). Q 62 (562). R 16 (675). S 31 (614). V 32 (692), quae B 11 (54). M 7 (315). cui C 27 (112). I 29 (258), quem C 40 (656). S 18 (601). quo Q 63 (563). adverbium quam C 11 (95). H 3 (205). N 56 (432). N 59 (435). P 47 (496). Q 47 (547). R 11 (579). V 10 (638), pronomen reflexivum se M 13 (321). P 17 (466). P 24 (473). Q 45 (545). Q 70 (672), praepositiones de E 17 (163). N 53 (429). Q 57 (557), pro Q 5 (505), coniunctiones dum D 12 (134), si A 8. B 27 (70). D 19 (141) M 37 (345). Q 66 (566), substantivi res formas rem R 6 (574). re C 2 (86). R 2 (570), tum coniunctionem cum plurimis locis elisione minuit cf. A 12. A 20. C 30 (115). C 31 (116). C 43 (658). D 2 (124). D 4 (126). F 20 (185). G 9 (202). H 2 (204). I 4 (233). I 43 (273). M 26 (334). M 51 (359). N 2 (378).

O 1 (436). P 27 (476). Q 18 (518). Q 52 (552). Q 63 (563). S 11 (594). De sententia cf. Publ. B 18 (61).

12. Ut Alexandrum, Macedonum regem, vulnera sua ὥσπερ εἰκόνας ἐγκεχαραγμένας ἀρετῆς καὶ ἀνδραγαθίας circumtulisse refert Plutarchus de virt. Alex. p. 331. C.

13. Haec sententia hoc videtur sibi velle, ubi ignis sit, ibi nunquam longum tempus intercedere, dum calor exaestuet. Quamobrem diu non ad ignis ardentis, sed ad caloris deficientis tempus referendum est. Tum vero ut ignem vapori, ita v. esse verbo deesse contrarium sit necesse est. Itaque cum et Bothius defit et Spengelius fit mihi recte coniecisse viderentur, et hoc recepi et pro deficit, quae est codicis C scriptura, ex qua cecidit in codice F depravatum arbitror, defiat scripsi. Vapor non tam fumus, quam calor vel aestus est, quem dicunt Graeci πυρὸς ἀϋτήν. Cf. Verg. Aen. V. 682. 683. tantusque carinas est vapor et 698. restinctus donec vapor omnis. Ut vero dicit ignem facere Plaut. Rud. III. 4, 62. ignem fieri Plaut. Capt. IV. 2, 63. ita etiam ignem defieri i. e. deficere comici latini dixerunt: cuius verbi hae fere formae inveniuntur: defieri apud Ter. Hec. V. 2, 2. defit apud Ter. Eun. II. 2, 12. Phorm. I. 3, 10. defiat apud Plaut. Men. I. 4, 3. Rud. IV. 4, 63. Cf. Verg. Ecl. II. 22. lac mihi non aestate novum, non frigore defit. Prop. I. 1, 34. defit amor. Sen. nat. quaest. VI. 13, 6. defit calori congregatio (var. script. desinit calidi). Sententia causa suppetente non diu futurum esse docet, ut effectus consequatur.

14. De sententia cf. Publ. Q 48 (548). Quint. X. 1, 4. sed ut perveniri ad summa nisi ex principiis non potest: ita procedente iam opere minima incipiunt esse, quae prima sunt. coll. I. 1, 21. X. 7, 18. Sen. de benef. III. 29, 4. nulla non res principia sua magno gradu transit. Semina omnium rerum causae sunt et tamen minimae partes sunt eorum, quae gignunt . . . idem in ceteris evenit: principia sua semper magnitudo obruet. coll. III. 34. nat. quaest. VI. 5, 3. ep. XVII. 1 (101) 1. Sent. falso inter Publ. recept. 105.

15. Cf. Plaut. Stich. I. 2, 82. 83. stultitia est, pater, venatum ducere invitas canes. Hostis est uxor, invita quae ad virum nuptum datur. Vide interpr.: Proverb. invitis canibus venari, quo significetur non sat feliciter succedere, quod a nolentibus extorquetur. Ter. Ad. I. 1, 43—48.

16. Ut Meyero, sic mihi quoque in versus exitu verbum deficere videtur. Cf. Publ. F 6 (171). Versu autem suppleto cum duae eiusdem argumenti sententiae accedant F 15 (180) et I 48 (278): hic eadem illa quaestio, quae etiam aliis locis, exsistit, utrum ex iis unam Publilio tribuas, reliquas abroges, ut Spengelio videtur (cf. praef. p. 21.) cum unius vere Publilianae 180. reliquas duas interpretamenta iudicet, an omnes tres pro Publilianis habeas. Qua de re adeo difficile iudicium est, ut statuere certi aliquid vix liceat. Et inveniuntur apud Publilium aliae quaedam inter se simillimae et cum nihil impediat quominus plures Publilii sententias eiusdem argumenti latas esse sumamus, quae certa denique earum ratio sit diiudicari vix poterit. Cf. Ribbeck. ad Publ. I 7 (236) coll. Coroll. p. XCVIII.

17. Cf. Ter. Heaut. III. 1, 74. Hor. Carm. I. 3, 25. 26.

18. Simplex verbum cum Publilius composito anteponat cf. Publ. B 9 (52): tum iuvare solum pro eo, quod prosae orationis proprium est, apud Publilium inveniri videtur cf. Publ. M 36 (344). P 16 (465). Q 1 (501). Q 11 (511). De sententia cf. Publ. Q 35 (535). S 9 (592).

20. Publilium neque prĭŭsquam duabus prioribus syllabis brevibus mensum esse nec pri͡usquam duabus prioribus in unam contractis syl-

labis pronuntiari voluisse cum non credibile sit: versus numeris aliunde remedium adhibendum est. Quamquam non latet aliis locis maturum opponi acerbo (cf. Phaedr. fab. IV. 3, 4. Quint. XII. 6, 2.) non tamen dubito quin hoc loco maturum fit vel. m. siet depravatum sit ex maturuit. De temporum, quae vocatur, consequentia cf. Publ. L 11 (302).

21. Cf. Menand. monost. 638. *ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν, ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος οὐ βούλεται.* Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Auson. Sept. Sap. sent. Bias. 6. 7.: quod prudentis opus? Cum possit, nolle nocere. Quid stulti proprium? Non posse et velle nocere. Caec. Balb. p. 21. Mon. VI. p. 38. Par. 15. (Sent. 132.) Sent. falso inter Publ. recept. 228.

22. Opponuntur vincere et vinci apud Sen. nat. quaest. IV. 2, 5. (Nilus flumen) frangitur enim occurrentibus saxis et per angusta reluctatus, ubicunque vincit aut vincitur, fluctuat. ibid. IV. 11, 2. inter se vincuntur et vincunt. Cedere i. e. parere cf. Sen. de benef. III. 38, 2. parentibus meis parui, cessi. De sententia confert Gruterus Calpurn. Flacc. decl. 21. cede fratri, cede vel patri. victor eris, mihi crede, si cesseris.

23. Sen. de ir. I. 8. 2. imprimis, inquam, finibus hostis arcendus est. nam cum intravit et portis se intulit, modum a captivis non accipit. Cf. Publ. N 27 (403). N 33 (409).

24. Hunc versum senarium esse vetat primum verbum nescio. Quod cum non possit nisi dactyli pedem complere, is vero uno verbo inclusus et absolutus in senarii initio rarissimus inveniatur, nisi forte elisione minutum est (cf. Publ. A 4. 9. 50. C 25 (110). P 16 (465). P 24 (473). S 40 (623). coll. Phaedr. I. 8, 12. 29, 6. II. 8, 16.): inserto vocabulo aliud versum quadratum effeci. Quod insertum ipsi sententiae videtur prodesse; nam ut cogitare homo improbus, qui alteri insidiatur (cf. Publ. P 8 (457). Cic. Cat. I. 3, 8. 4, 9.) ita aliud cogitare dicitur, qui sentire aliud, aliud loqui vel agere putatur cf. Publ. H 14 (216). Cic. Fam. VIII. 3. solet enim aliud sentire et loqui. Hom. Il. IX. 313. Theogn. 87. 88. *μή μ' ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλῃ, εἴ με φιλεῖς καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.* 91. 92. *ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ διχ' ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος δειλὸς, Κύρν', ἐχθρὸς βέλτερος, ἢ φίλος ὤν.* 95. 96. *οὔ τι μάλ' ἐσθλὸς, ὅς κ' εἴπῃ γλώσσῃ λῷστα, φρονῇ δ' ἕτερα.* Similes sententiae sunt Publ. B 18 (61). M 60 (368).

25. Mendicitas, quam T necessitatis inopiam interpretatur, summa egestas est cf. Cic. Cat. IV. 5, 10. adiungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas et mendicitas consequatur. Cic. Phil. XI. 2. ad praesentem pastum mendicitatis suae. Cic. pro Flacc. 15. Fratres consortes mendicitatis. Sen. de tranq. animo XI. 9. quae sunt divitiae, quas non egestas et fames et mendicitas a tergo sequatur. mendicos in pontibus notat Iuven. Sat. IV. 116. XIV. 134. Cf. Lips. ad Sen. de vit. beat. XXV. 1. Poena vexatio, contumelia, tormentum numero et singulari et plurali usurpatur: nos dicimus „Pein. Marter". Cf. Sen. ep. I. 5, 5. frugalitatem exigit philosophia, non poenam. Quint. prooem. 13. te omnium spe Atticae eloquentiae candidatum superstes parens tantum ad poenas amisi? — De sententia cf. Publ. P 5 (454). Theogn. 175. *ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιστα.* 181. 182. *τεθνάμεναι, φίλε Κύρνε, πενιχρῷ βέλτερον ἀνδρί, ἢ ζώειν χαλεπῇ τειρόμενον πενίῃ.* Quint. declam. XII. 27. vol. III. p. 247. ed. Bip. adeo ne apud inferos quidem ulla poena est fame maior. Prov. Graec. apud Erasm. Adag. p. 564.: *πτωχοῦ φίλοι οὐδ' οἱ γενήτορες* coll. Apost. cent. XV. 7.

26. De sententia cf. Publ. N 29 (405). Sen. ep. X. 3 (79) 10: virtutem non flamma, non ruina inferius adducet.

27. Impetrare a v. patrare derivatum valet perficere vel pervincere, ut mos geratur; nos dicimus „durchsetzen". Cf. Plaut. Poen. V. 2, 14. incipere multo est quam impetrare facilius. De sententia vide Publ. N 23 (399). N 43 (419). N 52 (428). Conferri iubet Gruterus Quint. declam. XII. 15. p. 234. ed. Bip. fames aspera vitalia haurit . . . . . haec ad humile opus nobiles manus mittit, haec alienis pedibus mendicantes prosternit, haec saepe sociorum fidem fregit, haec venena populis publice dedit, haec in parricidium pios egit.

28. Vettius Messius apud Liv. IV. 28. virtute pares, necessitate, quae ultimum ac maximum telum est, superiores estis. Cf. Publ. N 27 (403).

30. Quicunque animo ad se noscendum adiecto se nescire intellexerit, is sapiat necesse est: nam quae nesciat, discere volet. Cf. Sen. ep. VIII. 2 (71) 7. te alicui stultum videri sine. Quint. V. 10, 74. Qui est sapiens, stultus non est.

31. De sententia cf. Publ. E 1 (147).

32. De sententia cf. Publ. M 18 (326).

34. De sententia cf. Publ. C 16 (100). M 4 (312). Quint. VII. 4, 18. in senatu vero et apud populum et ubicunque iuris clementia est. habet locum deprecatio.

35. Cum utrumque et perpetua est et propria est per se ferri possit, tamen propriast magis placet, quod et cum verborum, qui traditus est, ordine convenit et verbum ipsum exquisitius videtur. Cf. Ter. Andr. IV. 3, 1. nilne esse proprium cuiquam? ad quem locum haec Ruhukenius proprium] i. e. constans, perpetuum, duraturum coll. Ter. Andr. V. 5, 3. 4. Cic. de imp. Cn. Pomp. XVI. 48. quod ut illi proprium et perpetuum sit, ... optare debetis. Corn. Nep. Thras. IV. 2 nam parva munera diutina, locupletia non propria esse consuerunt. Orell. ad Hor. ep. II. 2, 172. Accedit quod perpes et antiquius vocabulum est, quam quod poëta in vulgari re denominanda repetere debuerit (cf. Fest. v. p. 216. 217. ed. Odofr. Mueller.) nec senarii exitus monosyllabus et a Publilio et a Phaedro rarius usurpatus magis vitandus quam novandus videtur. Cf. Publ. H 18 (220). H 19 (221). Phaedr. IV. 12 (11. Bentl.) 7. 23, 11. V. 5, 23. 9, 4. Sententia ipsa ita composita est, ut posterius ita ut prius efficiatur verum esse. quasi ita expressa sit: Hominibus ut vita rapida. ita fortuna fluxa atque instabilis est. Vide Publ. N 57 (433). Longum est scriptorum veterum de fortunae mobilitate et inconstantia locos enumerare; paucos, qui huc pertinere videantur, referre satis est. Cf. Plaut. Cist. I. 3. 46. ut sunt humana, nihil est perpetuum datum coll. Fabric. ap. Zell. p. 83. (Orelli p. 105.) v. 360. Kremsier. p. 61. v. 658. Acc. ap.Non. IV. 346. non facile sine deum opera propria humana sunt bona. Lucil. fragm. XXII. 29. p. 57. ed. Gerlach. cum sciam nihil esse in vita proprium mortali datum. Petr. Sat. 120 (v. 78. p. 158. ed. Buecheler.) Fors . . . . quae nova semper amas et mox possessa relinquis. Sen. Controv. I. 1. p. 70. ed. Bip. (Excerpt. Controv. I. 1. p. 373. ed. Bip.) omnis instabilis et incerta felicitas. II. 9. p. 138. ed. Bip. nulla certa felicitas est. Sen. ad Marc. de consol. X. 10. 3. quicquid a fortuna datum est, tanquam exemptum auctore possideas. Sen. ad Polyb. de consol. I. 1. ita est, nihil perpetuum. pauca diuturna sunt. Sen. ad. Helv. de consol. V. 5. illi qui munera eius (fortunae) velut sua et perpetua amaverunt coll. VIII. 4. de clem. I. 1, 7. nat. quaest. VI. 1. 15. ep. IX. 1 (72) 7. ep. X. 2 (78) 29. ep. XVI. 3 (98) 9. Sen. Hippol. 1139. Thyest. 594.

36. Nec cur facilitas, cum inde dicatur, quod facilem se omnibus praebeat, non semper aurem facilem praebeat, nec cur felicitas, cum ferme rebus secundis elata ceteros omnes despiciat, auribus fastidire dicatur, non facile quisquam intelleget. Nihil profecto acuminis in sententia insit, nisi auribus lingua opponatur. Itaque pro facilitas substituendum videtur facunditas, quod vocabulum Plautinum a vulgari facundia derivatum rarius usurpatum est cf. Plaut. Trucul. II. 6, 13. facile sibi facunditatem virtus argutam invenit. Contra facundia invenitur apud Ter. Heaut. prolog. 13. si hic actor tantum poterit a facundia. Ut facundia, quod vocabulum ab usu Ciceroniano alienum esse observatum est, et facunditas, sic ferocia et ferocitas (cf. Forcell. Lex. s. ferocia) opulentia et opulentitas (cf. Plaut. Mil. IV. 4. 35.) vicinia et vicinitas (cf. Ter. Heaut. I. 1, 4. coll. Phorm. I. 2, 45.) leguntur. Cum igitur facundi interprete Varrone de L. L. V. p. 58. ed. Henr. Steph. sint, qui facile fantur, hi in hac, de qua disputamus, sententia non semper facile audire dicuntur: id quod hominum indole et natura confirmatur. Eloquentia enim ut magna linguae facilitate utitur, sic non semper cum illa dicendi facultate audiendi facultatem coniungit, ita ut cum multa loquatur, ipsa audiri ab aliis, non alios audire cupiat. Unde etiam illud profectum, quod surdo fabula narrari dicitur, cum quasi auribus occlusis accipiatur cf. Ter. Heaut. II. 1, 10. Ceterum sententia ab omnibus omnium gentium scriptoribus pertractata est. Notum Graecum illud Xenocratis est: *διὰ τοῦτο δύο ὦτα ἔχομεν, στόμα δὲ ἕν, ἵνα πλείω μὲν ἀκούωμεν, ἥττονα δὲ λέγωμεν*: quae Fridericus Rueckertus, egregius nostrae memoriae poëta, his persecutus versibus est:

Du hast zwei Ohren und Einen Mund:
Willst du's beklagen?
Gar vieles sollst du hören, und
Wenig darauf sagen.

Nec minus vulgata illa, quae Zenonem Diog. Laërt. VII. 1, 24. adolescenti loquaciori dixisse tradit: *τὰ ὦτά σου εἰς τὴν γλῶτταν συνεῤῥύηκε.* Quint. II. 2, 11. vultum igitur praeceptoris intueri tam qui audiunt debent, quam ipse, qui dicit. ita enim probanda atque improbanda discernent: sic stilo facultas continget, auditione iudicium, coll. VI. 5, 8. XII. 11, 6. Caec. Balb. p. 29. Mon. XXVII. 5. Zeno uxori et viro garrulis, cum duo, inquit, soli estis, quemadmodum vos loquentes auditis? Proverb. 118. 119. Hinc scitum illud Christiani Garvii, philosophi haud contemnendi: „Die Gabe gut zu reden ist das Wesen des guten Gesellschafters. Ebenso unentbehrlich aber ist die Gabe gut zu hören.“

37. De sententia laudat Gruterus Petron. dii deaeque, quam male est extra legem viventibus! quicquid meruerunt, semper exspectant. Plaut. Mil. III. 1, 123. Ter. Ad. I. 1, 11.

40. Amittitur i. e. imprudentibus interit, evertitur i. e. inventa et constituta iam deletur, avertitur i. e. quae procul est aut videtur esse, temere ac velut volentibus idque agentibus depellitur. Avertere est declinare, deflectere cf. Liv. 3, 24. at illi (et enim extremum anni iam erat) quartum affectantes hibernatum in comitiorum disceptationem ab lege certamen averterant. Cic. Lael. I. 5. tu velim animum a me parumper avertas. ep. ad Fam. VI. nec avertere a miseriis cogitationem sinunt. Inest adnominatio in verbis veritas avertitur. Cf. Publ. A. 24. „Moderata disceptatione veritas excutitur aut immoderata perditur: id quod prorsus accidit sophisticis istis theologis“. Erasmus. Cf. Sen. ep. V. 4 (45) 4. multum illis (magnis viris) temporis verborum cavillatio eripuit et captiosae disputationes, quae acumen irritum exercent.

41. Ubique quem miseret. is vir bonus laudatur, quod „ubicunque homo est, ibi beneficii locus est“. Cf. Sen. de vit. beat. XXIV. 3.

42. Germanorum proverbium: „Ein nichts ist wohl verwahrt.“ Cf. Wander. Deutsch. Sprichwörter-Lex. tom. III. p. 1020.

43. Necessitas enim rerum necessariarum vis ac dominatio cf. Publ. N 23 (399).

45. Sententia cum ab aliis, tum a Publilio saepius agitata cf. Publ. D 26. I 9 (238). N 18 (394). P 19 (468). Q 28 (528). Q 35 (535). S 35 (618). V 17 (645). Quint. XII. 7, 7. Et certe non convenit ei, quem oratorem esse volumus, iniusta tueri scientem coll. VII. 1, 63, XII. 7, 1. 4.

47. Salutis remedium est, quod salus invenit inventumque ut adhibeatur suadet. Neque enim modo inest in v. salus passiva vis ac potestas, ex qua sit salva res, sed etiam activa, qua servandi via ac ratio significetur. Sic iter salutis (Petron. Sat. 102.) est aut quod salus ducit aut quod ad salutem fert. Cf. Verg. Aen. II. 354. una salus victis nullam sperare salutem. Cic. Verr. II. 1, 2. neque enim salus ulla reipublicae maior hoc tempore reperiri potest. Liv. 7. 35. ergo una est salus erumpere hinc atque abire. Quamobrem salutem deam intellegi non opus est. De v. remedium cf. Publ. I 52 (282). Itaque sententia monet, ne quis ullam rem turpem velit, qua saluti suae prospiciendum sibi esse videatur. Idem docet Seneca Oed. 517. ubi turpis est medicina, sanari piget, quamquam contrarium praecipit in Troad. 711. 712. nec turpe puta, quicquid miseros fortuna iubet; cui assentitur Euripides apud Stob. Flor. t. 29, 56. *οὐκ αἰσχρὸν οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς.*

48. Nihil coloris Publiliani habet scriptura versus, quae est in F. Neque enim pronomini ea locus esse debet, ut ad Publ. F 9 (174) demonstravimus, nec summos habet, quo referatur. Cum autem nihil frequentius sit, quam summum imum aut summa ima numero et genere vel pari vel impari coniungi aut opponi (cf. Auct. ad Heren. III. 18. utrum a summo an ab imo dicere incipiamus. Hor. Serm. II. 3, 308. 309. ab imo ad summum totus moduli bipedalis. Sen Controv. I. praef. p. 65. ed. Bip. non illam (vocem) per gradus paullatim ab imo usque ad summum perducere. Sen. nat. quaest. IV. praef. 22. ad imum lapsus ex summo. Quint. II. 8, 15. ab imo ad summum. Sen. nat. quaest. II. 4. 1 ima — summa. Sen. ep. XV. 2 (94) 57. summa — ima. Quint. II. prooem. 20. summa — ima. Hor. Carm. I. 34, 12. 13. valet ima summis mutare ima deus. Sen. Thyest. 598. — permutat brevis hora summis. Sen. de benef. III. 38, 1. ex infimo ad summa. Sen. nat. quaest. VI. 24. 1. ab imo — per summa. Sen. de brev. vit. II. 4. omnis denique istos ab infimis usque ad summos pererra. Sen. ep. IX. 1 (73) 11. inter summos imosque discrimina): facile, ne dicam ultro, quod pro ea scribatur, offertur ima. Sunt ima rerum principia vel fundamenta; summi autem qui in altissimo honoris gradu collocati sunt, viri quovis in genere principes. Pro sublevant scripsi verbum simplex levant cf. Publ. B 9 (52). Est autem levare non tam adiuvare, quam in altum tollere vel in alto collocare vel sustinere cf. Phaedr. IV. 4, 4. 5. quem dorso levans ad hostem rediit. Verg. Aen. IV. 690. ter se attollens cubitoque adnixa levavit. Quare haec sententia est: Noli despicere vel parvi facere, quae pro fundamento ad altiora adscendenti posita sunt: nam in iis ipsis consistunt, quicunque ad summa pervenerunt. Qua de sententia vide Quint. I. 4, 5. quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem ac ieiunam cavillantur: quae nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid substruxeris, corruet. XII. 10, 78. nitidus ille et sublimis et locuples circumfluentibus undique eloquentiae copiis imperat. Desinit

enim in adversa niti. qui pervenit ad summum. Scandenti circa ima labor est: ceterum quantum processeris. mollietur clivus et laetius solum. Ceterum nemo non videt sententiam veram esse non magis in artibus litterisque, quam in rebus civilibus ac publicis. Nam et Publilius N 14 (390) necesse est. inquit, minima maximorum esse initia, et Seneca de benef. III. 22, 4. quis tantus est, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat? —

49. Comparat Gruterus Sall. Cat. 58, 19. animus. aetas. virtus vestra me hortantur. praeterea n e c e s s i t u d o, quae etiam timidos fortis facit.

50. Cf. Sen. Hippol. 429. malus est minister regii imperii pudor.

51. Cf. Quint. I. 1, 26. illud tamen imprimis tollendum est, nihil praecepta atque artes valere nisi adiuvante natura. II. 19, 2. nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum valebit. doctrina nulla esse sine natura poterit. Sen. ep. IX. 5 (76) 6. quid exspectas? nulli sapere casu obtigit: pecunia veniet ultro.

52. De sententia cf. Publ. H 17 (219). Ter. Heaut. IV. 1, 53. non licet hominem esse saepe ita ut volt. si res non sinit. Sen. Excerpt. Controv. IV. 4. p. 420. ed. Bip. necessitas est lex temporis.

54. Sententia parodia versus Enniani est, qui exstat apud Cic. Fin. II. 13. 41. Nimium bonist. cui nihil sit mali [i n d i e m supplevit Ribbeckius] ut hic translatus est ex Eurip. Med. 622. 623. κεῖνος ὀλβιώτατος ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν. Cf. Madvig. ad h. l. Quae Ennii vel Euripidis sententia cum de vita sit, eam Publilius sic videtur per mutavisse, ut ad mortem transferret. Cf. Publ. N 8 (384). Sententia igitur docet, cum in morte nihil mali sit, eam adeo non debere timeri, ut etiam nimium boni habere videatur, cum animum aut omnibus vitae aerumnis liberet aut aliquo deducat. ubi sit futurus aeternus. Cf. Cic. Cat. Mai. 19, 66. Sen. ad Marc. de consol. XX. 3. Caram te. vita. beneficio mortis habeo. nat. quaest. VI. 32, 12. hoc adfingamus animo, hoc nobis subinde dicamus: moriendum est. Quando. quid tua? mors naturae lex est, mors tributum officiumque mortalium malorumque omnium remedium. ep. IV. 1 (30) 6. ergo, inquit. mors adeo extra omne malum est. ut sit extra omnem malorum metum. 9. plus. ut puto, fidei apud te, plus ponderis. si quis revixisset et i n m o r t e n i h i l m a l i e s s e narraret expertus.

55. G r a d u s h. l. significat id quod nos dicimus S t u f e et numero pariter usurpatur singulari (cf. Quint. V. 10. 116. secundo gradu. VII. 4, 39. pares gradu. VIII. 4, 4. uno gradu. 6, 38. medius quidem gradus) ac plurali (cf. Quint. III. 7, 15. aetatis gradus. V. 7, 20. VIII. 4, 7. 26. 4. 9. circa singulos gradus. V. 10, 46. iisdem temporum gradibus. V. 11. 7. eosdem gradus habet. XII. 10, 68. multos gradus habeant). Hinc g r a d u m servat vel observat, qui ita summum petit, ut nullo gradu neglecto per singulos gradus adscendat. Dicit igitur Publilius: Quemadmodum qui summum aliquem locum per scalam ascensurus est. prudenter per singulos eius gradus in altum eniti debet hoc cavens, ne uno alterove gradu per neglegentiam vel imperitiam intermisso labatur: sic nemo seu in civitate sive in arte aliqua principatum assequetur, nisi qui omnes res, quae ad eum obtinendum necessariae sunt, uno quasi tenore ita penetraverit, ne ullam aut animi levitate aut nimia festinatione abreptus transeat. Cuius rei exemplum tradit Petron. Sat. IV. cum de eloquentia dicit: „Parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. Primum enim, sicut omnia, spes quoque suas ambitioni donant. Deinde cum ad vota properant. cruda adhuc studia in forum propellunt et eloquentiam. qua nihil esse maius confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus. Quodsi paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi iuvenes

lectione severa inrigarentur, ut sapientiae praeceptis animos componerent, ut verba atroci stilo effoderent . . . . iam illa grandis oratio haberet maiestatis suae pondus.

57. De sententiae compositione cf. Publ. N 35 (411). Quam ut probet, comparatione poëta utitur hunc in modum: Non magis quisquam amorem, quam mortem effugere potest.

58. *Addecet* verbum Plautinum est. Nostrum hoc proverbium est: „Man muss die Noth ertragen und nicht darüber klagen.“ Cf. Wander. Deutsch. Sprichwörter-Lex. tom. III. p. 1050.

59. Nunquam facilius culpa latet, quam ubi in consciorum multitudinem abscondita fuerit. Cf. Sen. Suas. II. p. 14. ed. Bip. latuisset virtus inter Troezenios . . . . In hoc restitimus, ne in turba fugientium lateremus. p. 15. non latebit in turba Laco.

O 1. Soloece cum in F traditum esset, scripsi *demum*, hoc reputans fieri potuisse ut *demumcum* in *quemcunque* depravaretur. Significat *demum* idem atque *tum maxime*. Haec enim ea de particula Handius Turs. vol. II. p. 253. „*Tum demum* veteres usurpant non nisi in condicione praeposita, ut consecutio maiorem vim accipiat. In altera parte sententiae aut si aut ubi aut *cum* ponitur. Et *demum* necessitatem quidem consecutionis ita exprimit, ut reddi possit: *tum certissime*, *tum maxime*. Etiam *demum* hoc significatu pro *tum demum* dicebant. Cf. Publ. A 20. Plaut. Merc. V. 2. 68. servata res est *demum*,“ si illam videro. Plin. ep. III. 2. quibus omnibus ita *demum* similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit. Similis de fortuna sententia est apud Publ. F 2 (167).

2. Contrariam sententiam hanc habet Wanderus (Deutsch. Sprichwörter-Lex. tom. II. p. 206.): Auch Güte platzt und hat ein Ende.

3. Ni fallor, accusativus contemplantis, vocativus monstrantis, ille poëta lyrici, hic scenici est. Cf. Publ. M 52 (360). O 8 443). „Infelices laborant vitae taedio. Felicibus mors ante diem videtur accidere, quod vitae taedium non sentiant.“ Erasmus. Cf. Apollonius apud Stob. Flor. t. 121, 34. βραχὺς ὁ βίος ἀνθρώπῳ εὖ πράττοντι, δυστυχοῦντι δὲ μακρός. Quint. IV. 2, 46. nam et fallit voluptas et minus longa, quae delectant, videntur, ut amoenum ac molle iter, etiamsi est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum arduumque compendium. Sen. ep. X. 1 (77) 20. nulla vita non est brevis. ep. X. 2 (78) 27. his necesse est videri omnem vitam brevem, qui illam voluptatibus vanis et ideo infinitis metiuntur. ep. XV. 1 (93) 2. longa est vita, si plena est. Impletur autem, cum animus sibi bonum suum reddidit et ad se potestatem sui transtulit.

4. Sententiae quamvis similes sunt haec et C 2 (86), tamen ut verbis, ita gravitate differunt: haec enim gravior videtur. Cf. Publ. D 2 (124). Quint. VI. 3, 33. nam adversus miseros, sicut supra diximus (31) inhumanus est iocus.

5. Post interiectionem ea, quae inserui, verba intercidisse suspicor: quae cum intercidissent, sive haec quae dixi verba *quam est animi*, sive similia litterarum lineamenta, quae in *aequo* apparent, errori locum dederunt. *Tormentum* cum plerumque corporis supplicium significet, si animi intellegeretur omisso v. *animi* parum dilucide scriptum esset cf. Publ. O 8 (443). Sententiam Philippi exemplo ex Iust. IX. 4, 3. repetito illustrat Gruterus, quo loco Macedonum ille rex proelio apud Chaeroneam commisso ita inter tacitam laetitiam et dolorem hostium temperavisse narratur, ut neque apud suos exsultasse neque apud victos insultasse videretur.

7. Offendit deterioris latinitatis adverbium *ignominiose*, cui alla-

tis ex Eutropio, Arnobio, Orosio locis hanc notam apposuit Forcellinius non inveniri adverbium apud bonos scriptores. Quod vero metri causa scripsit Meyerus, nec convenit metro, quod facile quarti pedis anapaestum respuit, et ambigne dictum est: nam etiam ignominiose servire dicitur, qui cum servus sit munia servilia cum ignominia obire velit cf. Publ. H 17 (219). His causis adductus pro ignominiose scribendum existimo inlegi homini. Adiectivum inlex veteris comoediae idemque est atque exlex is qui sine lege vivit, qui legi non paret (ἄνομος). Cf. Fest. s. inlex: producta syllaba significat eum, qui legi non paret; correpta sequente syllaba inductorem ab inliciendo. Leop. Schneider. Gram. lat. elem. tom. I. p. 110. Ritschl. ad Plaut. Pers. III. 3, 4. Ribbeck. ad Caec. Stat. v. 60. Com. Rom. Fragm. vol. II. p. 44. Bentl. ad Ter. Heaut. II. 3, 111. Atque ipsum dominum apud Publilium olim fuisse lectum conicere licet ex Sen. ad Marc. de consol. XX. 3. ubi haec leguntur: Video istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas: capite quidam conversos in terram suspendere, alii per obscoena stipitem egerunt, alii bracchia patibulo explicuerunt. Video fidiculas, video verbera. Et membris singulis et articulis singula docuerunt machinamenta: at video et mortem. Sunt istic hostes cruenti, cives superbi: sed video istic et mortem. Non est molestum servire, ubi, si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire. Cf. Sen. ep. VIII. 1 (70) 21 extr. IX. 4 (75) 18. X. 1 (77) 14.

8. De sententia vide Publ. S 49 (683). Quint. XII. 1, 6. nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Nam et cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur: et iam cum sceleris compos fuerit, sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium exspectatione torquetur. Pseudo-Sen. de mor. 13. 14. Sent. falso inter Publ. recept. 337.

9. Qui accipit est accipiens, quem nos dicimus „Empfänger"; nec Bothii emendatione opus est. De pronomine eius cf. Publ. F 9 (174). Ceterum dubitat Spengelius an sit dittographia versus S 41 (624). Cf. quae adnotavimus ad Publ. N 16 (392). Similis etiam est sententia Publ. P 18 (467). Cf. praeterea Cic. Cat. IV. 11. 23. nihil aliud a vobis, nisi huius temporis totiusque mei consulatus memoriam postulo. Liv. 45, 42. beneficia gratuita esse populi Romani: pretium eorum malle relinquere in accipientium animis, quam praesens exigere. Sen. de benef. I. 2, 1. Beneficia in vulgus cum largiri institueris. Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene. IV. 13, 3. non est beneficium, quod in quaestum mittitur. hoc dabo et hoc recipiam auctio est. ep. XI. 2 (81) 2. nemo habet tam certam in beneficiis manum, ut non saepe fallatur: aberrent, ut aliquando haere aut: post naufragium maria temptantur.

10. Est obsequium, quod nomen a Terentio primum dictum putat Cicero. (cf. Quint. VIII. 3, 35. coll. Cic. Lael. 24, 89. Ter. Andr. I. 1, 41.) interprete Ernestio (cf. Schuetz. Lex. Cic.) indulgentia, studium alicui gratificando et in omnibus se ad eius sensum, studia accommodando placendi: nos dicimus „Willfährigkeit." Itaque cum de quovis obedientiae genere dicatur, quae sua omissa voluntate ad obediendum alteri se submittit (cf. Sen. ad Marc. de consol. I. 8. ad Helv. de consol. II. 4. de benef. VI. 30, 4): tum vero maxime ad id officium refertur, quod femina praestare viro cogitur cf. Sen. Oct. 84. 214. Nupta autem poëtis eadem quae vulgo uxor vel coniux vocatur cf. Sen. Herc. Oct. 1352. 1467. Oct. 278. Huic vero amica vel paelex summa iniuria: nam alterius amorem suum odium suspicatur cf. Hieron. adv. Iovin. I. p. 190. Sen. ep. XV. 3 (95) 37 extr. sciet in uxore gravissimum esse genus iniuriae

paelicem. XX. 5 (122) 14. 6 (123) 10. Quare haec sententiae summa est uxoris obsequio hoc fieri ut protinus vir paelicis odium concipiat.

11. „Occasio semel praetermissa aegre recipitur." Hinc Erasmus Adag. p. 546. Plautus in Most. I. 3, 69. inquit, capere crines dixit pro arripere occasionem oblatam et arreptam retinere.

12. Opertum latet non pleonasmus est, sed in participio causa subest, quamobrem periculum lateat: significatur igitur periculum quod cum aliqua ratione tectum sit adspectum fugiat.

13. Ut ab adiectivo insignis fit adverbium insigniter (Quint. VIII. 5, 15.) ita a participio insignitus adverbium insignite: quod ipsum ferme in malam partem accipitur cf. Petr. Sat. 110. me non tralaticia deformitate esse insignitum. Plaut. Cas. V. 4, 31. mihi quidem edepol insignite facta est magna iniuria. Men. V. 7, 19. non sinas in me insignite fieri tantam iniuriam. Rud. IV. 4, 5. imo hercle insignite inique. Cic. Quint. 23. neque quisquam inventus est tam insignite improbus. de orat. II. 85, 349. nec improbum notari ac vituperari sine vitiorum cognitione satis insignite atque aspere posse. Sen. de ir. III. 26. 3. ep. XIX. 5 (114) 4. Participii comparativus insignitior legitur apud Tac. An. III. 70., adverbii insignitius apud Liv. 8. 13. quo insignitius omissa res Aemilio superioris anni consuli exprobraretur. Eius stirpis verba omnia cum de iis imprimis dicantur, quae luce ac splendore longe lateque conspiciuntur (cf. Publ. L 16 (307) Cic. harusp. 17. maxime insigne atque illustre periurium. Sen. ep. XVI. 4 (99) 13. nullus sine aliquo insigni flagitio exit): nemo erit, quin insignitius h. l. apte adverbio occulte opponi intellegat. Occulte quidem peccat, qui ex insidiis, noctu, in solitudine peccat cf. Sen. ep. V. 2 (43) 3. coll. Cic. Verr. IV. 22, 49.; aperte, qui aliis inspectantibus peccat cf. Sen. ep. XVI. 2 (97) 1.; insignite autem, qui singularem facinoris infamiam in vulgus colligit. Itaque haec sententia, ut quisque occultissime peccet, ita eum turpissime peccare docet. Scilicet facinorosi ex numero sunt lucifugarum (Sen. ep. XX. 5 (122) 15). Qua de sententia cf. Sen. Controv. III. 20. p. 236. ed. Bip. nox placet sceleri . . . . quo mihi lumen? tantum admissuro nefas optanda nox est. Sen. ep. XVI. 2 (97) 12. at bona conscientia prodire vult et conspici: ipsas nequitia tenebras timet. Quint. V. 10, 52. tum ad coniecturam quoque, ut si dicam: bona mente factum ideoque palam; male ideoque ex insidiis, noctu, in solitudine. Seneca apud Lact. instit. VI. 24, 11. „magnum", inquit, „nescio quid maiusque quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos adprobemus! nam nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus deo."

14. De sententia cf. Publ. O 11 (446). Plaut. Pers. II. 3, 16. virtus est, ubi occasio est, dispicere. Sen. ep. III. 1 (22) 3. non tantum praesentis, sed vigilantis est occasionem observare properantem. itaque hanc circumspice, hanc si videris, prende et toto impetu, totis viribus id age, ut te istis officiis exuas.

15. Sententiae acumen in v. perficit positum est, ad quod cum quaerendum sit quid referatur, facere intercidisse in mentem venit. Amorem facere i. e. incendere legitur apud Ov. Met. I. 468. 469. Quamquam etiam de alio hoc remedio cogitavi ut scriberetur: O. a. incipiunt, inceptum adsuetudo perficit. De forma inceptus cf. Ter. Andr. III. 3. 6. 7. Adsuetudo autem pro consuetudine amoris satis frequens cf. Ov. Met. X. 173. longaque alit adsuetudine flammas. Trist. I. 6, 27. Tac. An. XIII. 46. Burmann. ad Ovid. A. A. II. 345. De sententia cf. Publ. A 40.

P 1. „Probus libertus filii pietatem videtur assumsisse natura cessante.“ Sen. de benef. III. 22, 1. sic servus ubi benevolentia erga dominum fortunae suae modum transiit et altius aliquid ausus, quod etiam felicius natis decori esset et spem domini antecessit, beneficium est intra domum inventum.

2. Versum ex eo adverbii usu interpretor, quo addas cogitando contrarium, ita ut plena oratio sit: Prodesse qui vult nec potest, aeque est miser, atque qui potest nec vult. Disputavit de hoc adv. aeque usu Handius Turs. I. p. 195. Nisi forte sententia sic cogitando explenda est, ut uterque et hic, qui prodesse velit, et ille, cui velit prodesse, miser habendus sit. Ut velle et posse, sic nolle et non posse inter se opponuntur cf. Publ. Q 29 (529). Sen. de ir. II. 27, 1. quaedam sunt quae nocere non possunt nullamque vim nisi beneficam et salutarem habent, ut dii immortales, qui nec volunt obesse nec possunt. de benef. VI. 11, 4.

4. Non potest — potest cf. Publ. A 18. „Pudor homini natura insitus est: qui ubi interierit, docendo non potest reparari.“

5. Non opus videtur emendatione. Miser enim cum is proprie videatur, qui rebus afflictis suis hominum misericordiam movet, multis causis fieri potest ut in miseriam inciderit, sive vivit gravi valetudine conflictatus, sive suis omnibus amicisque privatus, sive exsul, sive vitae fructibus inimicorum dolo et malitia fraudatus. Huius igitur miseria si etiam eo aggravetur, quod sine re i. e. rebus ad vivendum necessariis spoliatus summam egestatem perpetiatur: huius miseri vitam omni supplicio graviorem esse quisque facile concedet. Cf. Publ. N 25 (401).

6. Secundi pedis anapaestus, si fas est dicere, excusationem habet, quod vocales i et u pronuntiatione ita densabantur, ut iam consonantium instar esse viderentur. Itaque eiusmodi anapaesto etsi in hoc versuum genere licebat uti, tamen si totum spectas raro utebantur. Phaedrus quidem, qui in senariis componendis artem Publilii similem sequitur, nisi fallor, novem tantum locis anapaesto usus est his: I. 5, 10. II. 4, 9. 5, 1. 8, 1. III. 19. 5. IV. 2, 7. 5. 8. 16, 10. V. 7, 17. qui loci omnes ex ea causa, quam dixi, expediendi sunt praeter unum II. 8, 1. In eo autem cum legatur: Cervus nemorosis excitatis latibulis aut verbis transpositis „nemorosis cervus excitatis latibulis scribendum aut nem' rosis pronuntiandum est. Apud Publilium septem locis secundi pedis anapaestus invenitur B 4 (47). C 27 (112). F 21 (186). I 6 (235). P 44 (493). S 24 (607). S 37 (620): nam a reliquis sex emendatione expellendus est cf. B 29 (72). L 6 (297). M 19 (327). M 24 (332). P 49 (498). S 20 (603). Hoc vult sententia pudore eum semet ipsum privare, qui alium privet. Est enim perdere vitio vel culpa sua committere, ut aliqua res intereat: quo differre a. v. amittere non est quod moneam Cf. Quint. XI. 1, 91. 2. 46. 3. 2. 52. 184. De sententia sufficiat afferre Sen. de vit. beat. XXVI. 6. quo loco poëtis exprobrat, quod Iovem multis vitiis oneratum depinxerint: quibus nihil aliud actum est, inquit, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent.

7. De sententia vide Publ. C 12 (96). D 25 (145). Pseudo-Sen. de remed. fort. IX. (Fragm. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 451.): „Dura res est dolor. Immo tu mollis.“

8. Cum et multo frigeat et qui cum muto comparatur dolor per se intellegatur: pro multa scripsi inulti, quippe qui cum non sit ultus ulciscendi cupiditate flagret. Unde haec sententia exsistit: Qui in-

iuriam sibi illatam non ultus quidem, sed ulturus est, cum dolore adhuc sub pectore presso ulcisci cogitet, peiora in dies consilia animo volvit.

9. De geminatione v. omnis vide Beier. ad Cic. off. 1. p. 128. cf. Frag. adesp. 238. *χρυσὸς γάρ ἐστιν, ὃς βροτῶν ἔχει κράτη* cf. Nauck. Mél. Grèco-Rom. in Act. Petrop. 1869. III. p. 188. Hor. ep. I. 6, 37. et genus et formam regina pecunia donat. Eurip. ap. Sen. ep. XIX. 6 (115) 14. pecunia ingens generis humani bonum.

10. „Pudorem ubi semel deposueris, recuperare nullo modo poteris.“ Metaphora sumta est ab amicitia aut matrimonio dimittendo: quemadmodum dimissus amicus aut uxor nunquam reconciliantur, sic fieri non potest, ut pudor semel prostitutus unquam redeat. Cf. Cic. Lael. 21, 76. est etiam quasi quaedam calamitas in amicitiis dimittendis. Suet. Calig. 25. coll. Tib. 10. 49. Publ. D 16 (138). De sententia cf. Sen. Agam. 113. et qui redire, cum perit, nescit pudor. Ovid. Her. V. 103. 104. nulla reparabilis arte Laesa pudicitia est. Latinum sic in Germanicum vertamus: Geschieden Schamgefühl kehrt nie versöhnt zurück.

11. Quare malum esse iudicet Bothius, quod ostendunt libri, tantum abest ut intellegatur, ut quod coniecit Bothius, mihi quidem non liqueat. Neque enim finem facere hoc loco finem imponere significat, velut apud Sen. de clem. I. 12, 1. et L. Sullam adpellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium. Nam et persona, cui perdendi finis imponatur, et pro nemo desideratur nihil: cui desiderio satis idoneum remedium non est, ut Egestatem deam a Verg. Aen. VI. 276. et Sil. It. XIII. 585. fictam introducas. Sed ut fugam facere utrumque significat et fugare et fugere: sic finem facere nunc finire est, nunc desinere cf. Fabri. ad Liv. 21, 5, 16. Itaque hoc vult sententia neminem non prius desinere, quin perdat aliquid, quam ad egestatem redactus fuerit. De sententia cf. Caec. Balb. p. 23. Mon. XII. 7. (Sent. 126). Erasm. Adag. p. 568. pauperes a dispendio tuti. Latinum sic in Germanicum transferre licet: Der nur verliert nichts weiter, der nichts weiter hat.

12. Versus corruptelam inde videtur contraxisse, quod v. actu librarios fugiebat. Est autem actus fere idem atque agmen apud Verg. Aen. II. 212. 213. illi agmine certo Laoconta petunt. Significat motum, lapsum, fluxum, incessum, gressum, cursum, impetum: id quod multis poëtarum locis comprobatur. Lucr. III. 191. 192. at contra mellis constantior est natura et pigri latices magis et constantior actus. Verg. Aen. XII. 687. fertur in abruptum magno mons improbus actu. quem locum imitatus est Lucan. Phars. IX. 472. pilaque contorsit violento spiritus actu. IX. 30—32. quas ne per littora fusas colligeret rapido victoria Caesaris actu Corcyrae secreta petit. Ovid. Halieut. 72. quam tumidus quantoque venit spectabilis actu. Petr. Sat. 135. pocula quae facili vilis rota finxerat actu quo loco Buechelerus p. 193. astu. Sen. Agam. 431. 432. unda vix actu (var. script. tactu) levis tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit. Claud. de IV. cons. Honor. 480. 481. ereptas quaesivit aquas, quas hostibus ante irriguas alio Stilichon deflexerat actu, ad quos versus Heinsius: actum aquarum pro cursu posuit. Nec prosae orationis scriptoribus vocabulum ignotum est cf. Cic. de rep. II. 40. Tac. Hist. I. 12 (var. script. auctu vel eo dein festo). Iam serpenti actu poena venire dicitur, quod tacite adlabitur, clam vel silentio vel improviso graditur et accedit cf. Cic. de rep. II. 18. Cic. Cat. IV. 3, 6. Liv. 28, 15. Plin. NH. XIV. 11, 13. Flor. I. 25, 4. Iust. 31, 3. Participium approperans cum verbo finito venit pro adverbio propere vel properanter coniungitur, ut ap. Ter. Eun. II. 2, 60. non temere est: et pro-

perans venit: nescio quid circumspectat. V. 7, 6. quidnam hic properans prosilit; Cic. Att. IV. 4. haec properantes scripsimus; Sen. ep. XV. 3 (95) 26. nobilem patinam, in quam quicquid apud lautos solet diem ducere properans in damnum suum popina congesserat; Claud. in Ruf. 337. festinamque rotam solito properantior urget. Quae cum ita sint, hoc sententia docet poenam ad malum puniendum propere contendere gradu tacite et obscure et sensim adlabenti: ita ut latinum sic in Germanicum vertere liceat: „Die Straf' ereilt den Bösewicht mit leisem Schritt." Cf. Publ. P 29 (478).

13. Schwarzius, interpres Germanicus, cum hanc interpretationem praeiisset: Mehr ist dem Unrecht unterliegen als der Strafe" Orellius poenae eum ob oculos habuisse suspicatus est idque scripsit Bothius. Nec vero recte iudicavisse mihi videtur Schwarzius ille summus apud Guestphalos iudex Duderstadiensis: quotus enim quisque est, qui non iniuriam, cum innocens sit, quam poenam, cum sit nocens, subire malit? Huic ergo plus est poenae quam iniuriae succumbere. Sed sententia supplicio gravius esse docet iniuria affici, propterea quod supplicium quidem lege, iniuria contra legem subeatur. Et fieri non potest quin iniuriam magis sententiat quam supplicium, qui aut innocens damnatur aut iusto gravius multatur. Cf. Publ. P 5 (454). Sen. de clem. I. 14, 3. prope enim est, ut libenter damnet, qui cito; prope est, ut inique puniat, qui nimis. Sent. falso inter Publ. recept. 283. 284. Latinum in Germanicum sic vertamus: „Mehr als Bestrafung ist's, des Unrechts Opfer sein."

14. Versus solemni illa corruptela depravatus est, quod verba ex grammatica ratione ordinaverunt: quo factum est, ut mala diaeresi post pedem tertium divideretur. Reponere conatus Bothius ab usu Publiliano recessit, quod dolor cum sit subiecti, quod vocant, nomen, enuntiationi relativae inseruit. Unde illud cognoscitur ex iis versum esse, quorum verba a librariis adeo perturbata sint, ut nisi efficacius remedium adhibueris, ad sanum ordinem redire non possint. Vide praef. p. 14. De quinti pedis iambo cf. Publ. B 41 (84). Sententiae captio in eo cernitur, quod non medicina, qualis adversus dolorem adhibetur, sed dolore, qui medicinae vice fungitur, dolor enecari dicitur. Similes sententententiae exstant apud Publ. L 18 (668). N 7 (383).

15. Patiens et fortis ita alter alteri opponuntur, ut unam in utroque virtutem esse appareat animi constantiam: patientia enim in perferendo, fortitudo in defendendo malo cernitur. Itaque ut fortis se felicem facit, cum suae ipse saluti consulat: sic ne patiens quidem, cum ferendis malis parem se praestet, felicitatem unquam dimittit. Se ipse, quod Meyero probatur, etsi ad sermonis latini usum fere accommodatius videtur, tamen se ipsum ab eo non alienum esse exemplis allatis docet Zumptius Gram. lat. § 696. De sententia cf. Publ. P 7 (456).

16. Quid bellum iuvet. prospicere rei militaris etiam potest imperitus; sed prospicere i. e. providere, quod bellum iuvet, prudentis est ducis, qui cum haud ignoret, quid bellum iuvet, tum id comparat, quod bellum iuvare vult. Iuvare enim verbo simplici Publilium pro composito adiuvare uti supra diximus cf. Publ. B 9 (52). Q 1 (501). Q 11 (511). Latinum in Germanicum ita convertamus: „Im Frieden seh' man vor, was dienen soll dem Krieg." Cf. Sen. ad Helv. de consol. V. 3. qui futuro se bello ante bellum paraverunt, compositi et aptati primum, qui tumultuosissimus est, ictum facile accipiunt. ep. II. 6 (18) 6. miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum iacit et supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. Quem in

ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Caec. Balb. p. 39. Par. 21 (Sent. 141.).

17. De sententia cf. Soph. Oed. Col. 1191—1193. Herm. *ἔφυσας αὐτόν· ὥστε μη γε δρῶντά σε τῶν κάκιστα δυσσεβεστάτων, πάτερ, θέμις σέ γ' εἶναι ἀντιδρᾶν κακῶς.* Verg. Aen. VI. 820—822. Sen. de clem. I. 14, 2. 3. patrem quidem patriae adpellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quae est temperatissima, liberis consulens suaque post illos reponens. tarde sibi pater membra sua abscidat, etiam cum absciderit, reponere cupiat et in abscindendo gemat cunctatus multum diuque.

18. Diversa sunt d o n a r e et d a r e; illud significat gratum vel beneficium dare alicui, hoc in manus quicquid est tradere cf. Sen. de benef. III. 8, 3. beneficium est donata possessio etqs. Hinc primum codicis T scripturam recte se habere apparet. Hoc enim sententia docet eum beneficii iacturam facere, beneficium non bene collocare, ubi is, cui bene fecerit, non meminerit. Cf. Publ. O 9. (444). Iam quod F praebet, n i s i e s t m e m o r i a — quod si recte se haberet esse deberet: s i n o n e s t m e m o r i a cf. Madvig. Gram. §. 458 b. — aut scribendi errore aut quo magis inclinat animus, eius interpretatio est, quod Publilium scripsisse arbitror: n u l l a m e m o r i a. Est enim ablativus, qui dicitur modi, cuius ea potestas est, ut eam, qua quid factum sit rerum condicionem significet. Vide ea quae disputavimus ad Publ. M 48 (356). Eadem ablativi ratio est in adiectivo n u l l u s, quod cum substantivo coniunctum eandem fere explicationem admittit atque illa, quam grammatici vocant, ablativi absoluti constructio. Ut dixit Caes. BG. II. 11. castris egressi nullo certo ordine neque imperio. BC. III. 101. nullis custodiis, quod interpretantur „quod nulli custodes disposita erant.“ Hor. Serm. I. 1, 88—90. at si cognatos, nullo naturae labore quos tibi dat, retinere velis: quem locum Bentleius sic explicat: quos scilicet natura sponte, ultro et gratuito tibi dat s i n e u l l o t u o l a b o r e. Cic. Mil. 10. obvius fit Miloni Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod nunquam fere. Cic. Att. X. 16. nullo negotio. coll. pro Rosc. Amer. 29, 80. Liv. 30, 3. nullo ordine. Verg. Aen. I. 574. nullo discrimine. Ovid. Met. I. 89. vindice nullo. Vide M. Gesner. Thes. s. nullus. Madvig. Gram. §. 257. De sententia cf. Sen. de benef. II. 24, 1. atqui nihil magis praestandum est, quam ut memoria nobis meritorum haereat. quae subinde reficienda est, quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit, et qui meminit eam refert. IV, 10, 3. de vit. beat. XXIV. 2. Ad Publilii versum videtur respexisse Sen. de benef. VI. 4, 6: Saepe, inquam, beneficium manet nec debetur, si secuta est dantem poenitentia, si miserum se dixit, quod dedisset, si, cum daret, suspiravit, vultum adduxit, p e r d e r e s e c r e d i d i t, n o n d o n a r e.

19. Huic sententiae tot tantaeque tenebrae offunduntur, ut vix reperias, qua ratione emergas. Nec immerito versum exclusum Bothius his verbis prosequitur: „Ista autem P r o b i d e l i c t a i u d e x l e g e n s d e t e r i t quid sibi velint, nemo exputet.“ In iis vero, quae alii remedii causa proposuerunt, tria potissimum sunt, quae offendant. Primum enim delicta p r o b i, quem Publilius v i r u m b o n u m dicere solet cf. B 31 (74). B 41 (84). B 43. V 15 (644). V 23 (651) raro nisi in contrariis p r o b u m aut b o n u m cf. P 44 (493). Q 30 (530) coll. H 22 (224). M 37 (345). M 68 (376). N 24 (400): sed cum delicta p r o b i memorentur, non facile concedam eum ipsum in hac sententia probum, non virum probum vel bonum dici debuisse. Deinceps cum scribantur participia sive l e g e n s sive t e g e n s seu n e g l e g e n s, quibus personae, quae pro subiecto est, actio significetur, ea praeter Publilii usum scribi pro certo affirmaverim,

quippe quem aut enuntiatione relativa, velut A 3. 12. 32. aut ablativo gerundii, velut C 9 (93). C 45. M 23 (331); aut enuntiatione, quae particularum ubi, cum, si ope composita est, uti solere videamus, velut A 55. B 35 (78). A 30. N 11 (387). A 10. M 67 (375). Denique plerique, cum codicis Turicensis sententia haec, de qua quaerimus, sententia verborum ambitu circumscribi videretur, iudicem moneri putaverunt, ne per neglegentiam leges vel deterat vel terat. Ea vero dictio cum aliunde non cognita sit, ex eo verbi deterere vel terere usu explicanda est, ex quo deteri vel teri nihi dicatur, nisi quod longa tractatione aut exercitatione minuatur: id quod in hanc sententiam non cadit. Quibus causis adducor, ut nec leges deteras vel teras nec probi delicta recte se habere eaque quae proposui reponenda esse existimem. Atque ut ceteris locis, ita hoc loco extrema quaeque in versus exitu maxime corrupta sunt. Cf. B 41 (84). F 6 (171). H 11 (213). I 13 (242.) M 13 (321). M 17 (325). N 25 (401). N 36 (412). O 13 (448). Q 29 (529). S 35 (618). V 4 (632). praef. p. 44. De verbo autem derogare haec Ernestius in Clav. Cic.: „derogare est nova rogatione aliquid de superiore lege demere, ei vim adimere: dicitur autem ordinarie derogare legi vel de lege, quod nemo ignorat. Sed est etiam sic: lex derogatur.“ Cf. Quint. II. 4, 39. ne illud quidem ignorare oportet leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere, cum exemplum rei utriusque nobis claris orationibus praebeatur. Cic. de inv. II. 45. 134. deinde indignum esse de lege aliquid derogari. Sen. nat. quaest. proleg. I. 3. liceat illi hodieque decernere et ex lege fatorum aliquid derogare etqs. Sen. ep. XIII. 1 (86) 2. nihil, inquit, volo derogare legibus, nihil institutis. Monet igitur poëta, ne quis ea, quae ad legis severitatem valent, diminuat vel infirmet, quod verendum est, ne qui de lege deroget, delicta olim legis severitate coërcita aut oppressa reducat et augeat. Qua de re vide quae dicit Cato apud Liv. 34, 3. et hercle ne quid novum in eas rogetur recusant; non ius, sed iniuriam deprecantur. immo ut quam accepistis iussistis suffragiis vestris legem, quam usu tot annorum et experiendo comprobastis, hanc ut abrogetis: id est ut unam tollendo legem ceteras infirmetis. Publ. S 21 (605). Itaque hoc vult poëta, cum iustitia una sit et tota, oportere ne partem quidem eius adimi, nisi omnem labi totamque cadere volueris cf. Publ. M 53 (361).

20. Paraphrasis est quod legitur in T (cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 554. v. 87.): „Non leve beneficium praestat, qui de brevi renuntiat.“ Cf. Spengel. praef. p. 15. adnot. Haupt. Phil. I. p. 665. n. 1. b. p. qui breviter negat coni. Meyer. p. 34. Sive benefici scribis seu beneficii, trisyllabum pronuntiandum est cf. Nauck. Mél. Grèco-Rom. in Act. Petrop. 1869. III. p. 204. adnot. Nec dubium videtur, quin belle, quod Gellius praebet, ei quod Macrobius habet, cito praeferendum sit. Nam neque cito (cf. Woelfflin. Proleg. p. 56.) cum numeris convenit et sententiam eandem efficit, quae supra posita est cf. Publ. M 25 (333). Macrobii cito haud scio an ex cum illico corruptum sit. Quare non erat, quod hoc adverbio scripto alterum versum reciperet Gruterus. Nec vero concedam, quod posuit Bothius, eundem qui belle negaret, negare cito, non contra: cito enim negandi moram, belle verborum gratiam spectat. Vide Taubmann. ad Plaut. Men. IV. 2, 62. „belle dicere, qui quae alii velint, loqui student.“ Erasmus quidem sua sic interpretatur: „Quidam ita moleste dant, ut gratiam amittant beneficii, quidam adeo commode negant, ut videantur dedisse.“ Sane Macrobii scripturam commendat Sen. de benef. II. 5, 3. quemadmodum acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam, et misericordiae genus est, cito occi-

dere, quia tormentum ultimum finem sui secum adfert, quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est: ita maior est muneris gratia, quo minus diu pependit; et III. 8, 4. dedit mihi hic beneficium, sed non libenter, sed dedisse se questus est, sed superbius me quam solebat aspexit, sed tam tarde dedit, ut plus praestaturus fuisset, si cito negasset.

21. Qui quaestionis iudex constitutus celerius iudicium fecerit, caveat ne mali iudicis famam sibi paraverit. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 284.

22. In v. mancipium captio videtur inesse, cum possit et bonum propiumque significare, ut est apud Sen. de clem. I. 1, 5. nemo unus homo uni homini tam carus unquam fuit, quam tu populo Romano, magnum longumque eius bonum coll. Lucret. III. 971. vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu Sen. ep. IX. 1 (72) 7. nihil dat fortuna mancipio (vid. Walter. Gesch. d. Roem. Rechts. p. 585.) et hominem in servitutem addictum, ut ap. Sen. Exc. Controv. V. 2. p. 430. ed. Bip. desertor patris, inimici cliens, uxoris mancipium aut ap. Sen. de benef. III. 28, 4. adulterarum commune mancipium aut ap. eundem Sen. ep. VII. 3 (65) 21. maior sum et ad maiora genitus, quam ut mancipium sim corporis. Pari modo ipsum Ciceronem magis scurriliter quam serio dixit veteranum mancipium Geminus Varius ap. Sen. Suas. VI. p. 36. ed. Bip. Quare sententia hoc quidem docet eum qui patriae prosit, bonum publicum esse: cui sententiae simile illud Menandri affert Ribbeckius monost. 681. κοινὸν δὲ καλόν ἐστι χρηστὸς ἐντυχών cf. Publ. P 26 (475): sed etiam tecte illud significat eundem qui patriae serviat, populo obnoxium esse. Qua de sententia cf. Sen. de brev. vit. VII. 5. itaque satis illi fuit: iis vero necesse est defuisse, ex quorum vita multum populus tulit. Alludit etiam Goethius poëta nostras clarissimus, cum dicit (Sprüche in Reimen III. p. 23.): „Wer dem Publicum dient, ist ein armes Thier; Er quält sich ab, niemand bedankt sich dafür.“

23. Reposui numerum singularem, quo cum in pronomine relativo uti Publilius solet, tum hoc loco aptum videtur, quo salutarem unam rem, non plures cuique cordi esse iubeat. Cf. quae adnotavi ad Publ. A 28.

24. De sententia comparari iubet Gruterus Sen. Suas. VI. p. 34. ed. Bip. ubi Pompeium interfectum ab Alexandrino memorans haec addit: An non occiduntur, qui ad indignos confugiunt? Cf. Phaedr. IV. 4. Publ. R 15 (583).

25. Velut tuum nec latine puto scriptum pro eo, quod necesse est, pro tuo nec tuum monosyllabum aut cum velut tuum scribatur, velut pro iambo esse potuisse Publilio. Cf. Cic. Phil. XI. 11. tamen ego pro decreto putarem. Fin. III. 11. et pro nihilo putet. Schütz. Lex. Cic. v. putare. Nec ego positionem neglectam a Publilio nec pronominis synaeresin ab eo non alienam fuisse putaverim cf. Publ. M 29 (337). De sententia comparant Publ. A 10.

26. Cf. de sententia Publ. M 59 (367) et P 22 (471).

27. Quod est in F, absens, per interpretationem mutatum est ex cum abest i. e. etiam tum cum abest vel quando abest: quod dicendi genus Publilio usitatum est. Cf. Publ. A 30. B 9 (52). B 28 (71). C 8 (92). C 30 (115). C 31 (116). D 2 (124). F 2 (167). F 24 (189). H 2 (204). H 27 (229). I 28 (257). I 42 (272). M 27 (335). N 11 (387). N 24 (400). Q 6 (506). Q 23 (523). Q 60 (560). Q 62 (562). S 4 (587), S 11 (594). S 33 (616). V 18 (646). Quod semper praesens esse dicitur, qui ulciscitur, semper posse idem ille ulcisci dicitur, qui, cum abest, ulciscitur.

28. Nihil mirum est, quod quicunque voti damnatus est, perfacile votum facit: quare illa vel quae in F legitur, vel quae Bothio placet, sententia nihil languidius est. Equidem et pro vota scripsi volt sive vult et quamquam scribi poterat: „quod vult imperans vel imperitans — magis hoc imperandi superbiam significat — tamen verba, ut sunt saepissime in his codicibus perturbata, numerorum causa malui transponi: „imperans quod vult facit." De sententia cf. Publ. C 36 (121). D 24 (146). I 17 (246).

29. De sententia cf. Publ. P 12 (461).

30. Quamquam honeste, quod ex coniectura addidit Woelfflinus, commode respondet ei quod sequitur turpiter, tamen cum nulla in codicibus Publilianis frequentior sit corruptela, quam verba similia similibus antecedentibus quasi hauriri atque ita absumi, ut videantur intercidisse cf. Publ. D 4 (126). F 9 (174) I 15 (244). P 46 (495). Q 35 (535). Q 36 (536). V 7 (635). praef. p. 18.: etiam hoc loco verba ad assem post perdidisse intercidisse arbitror. As cum sit minimus pretio apud Romanos nummus cf. Petr. Sat. 77. Iuv. XIV. 301. 302. Quint. VI. 5, 59. cuius est generis id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, noli, inquit, dubitare, tanquam assem elephanto des. Sen. ep. XX. 6 (123) 11. istos tristes et superciliosos alienae vitae censores, suae hostes, publicos paedagogos assis ne feceris nec dubitaveris bonam vitam quam opinionem bonam malle: ad assem perdere significat perdere omnia, ut ne minimum quidem restet. Cf. Hor. ep. II. 2. 26—28. Luculli miles collecta viatica multis aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem perdiderat. De v. mallem cum inf. perf. coniuncto cf. Sen. de benef. IV. 10, 3. quam saepe hominum donationem suam inconsultam obiurgantium hanc exaudimus vocem: mallem perdidisse quam illi dedisse? — Hoc igitur sententia praestare docet omnia perdere, quam quicquam turpiter accipere. Similem sententiam habent et Sen. de vit. beat. XXIII. 3, sapiens nullum denarium intra limen suum admittet male intrantem et Caec. Balb. p. 18. Mon. I. 3. (Sent 106).

31. Det verbum brevissimum idque corruptum summam licentiam dat versus emendandi, scilicet nisi qua codicum auctoritas accesserit, gratuito. Hoc quidem intellego sive quid donet dies (deus) scribatur, sententiam nimis ambigui et incerti argumenti esse, cum multa venientes annos et ferre et adimere nemo nesciat, sive quid celet deus, sententiam minus gravem et acutam fieri, cum plurima nec a quoquam ignorata exempla effatorum non intellectorum historia ostendat. In tanta versus emendandi difficultate meam quoque qualemcunque sententiam liceat proferre. De deorum natura cum aetate omni ab omnibus dubitatum sit, tum summa eius rei sive ignorantia sive despicientia sive discrepantia illis ipsis Publilii temporibus inter Romanos fuit, ut non modo quid deus esset, sed etiam num deus esset plerique aut nescirent aut scire nollent. In hos igitur homines hoc a poëta dictum esse existimo, quod in hac sententia lateat paucos esse, qui dei naturam atque intellectum intellegerent. Quo de argumento nemo saepius ac gravius dixit Seneca philosopho, cuius ex scriptis nonnullos locos afferam. De provid. V. 5. 6. hoc unum, inquit (Demetrius) de vobis, di immortales, quaeri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis, prior enim ad ista venissem, ad quae nunc vocatus adsum, nihil cogor, nihil patior invitus nec servio deo, sed adsentior, eo quidem magis, quod scio omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere. ep. IV. 2 (31) 10. nemo novit deum, multi de illo male existimant et impune. ep. VIII. 2 (71) 14. proxima enim intuemur: ad ulteriora non prospicit mens hebes et quae

se corpori addixit: alioquin fortius finem sui suorumque pateretur, si speraret, [ut] omnia illa, sic vitam mortemque per vices ire et composita dissolvi, dissoluta componi, in hoc opere aeternam artem cuncta temperantis dei verti. ep. IX. 3 (74) 14. sed ut illa praeteream, aut ista bona non sunt, quae vocantur, aut homo felicior deo est, quoniam quidem quae parata nobis sunt, non habet in usu deus. nec enim libido ad illum nec epularum lautitiae nec opes nec quicquam ex his hominem inescantibus et vili voluptate ducentibus pertinet. ep. XV. 1 (93) 1. multos inveni aequos adversus homines, adversus deos neminem. ep. XV. 3 (95) 48. nunquam satis profectum erit, nisi qualem debet deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem [in beneficium] gratis. Quae causa est dis benefaciendi? natura. errat, si quis illos putat nocere nolle: non possunt. nec accipere iniuriam queunt nec facere. laedere etenim laedique coniunctum est. summa illa ac pulcherrima omnium natura quos periculo exemit, ne periculosos quidem facit. primus est deorum cultus deos credere. deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. scire illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt interdum curiosi singulorum. Denique haec Sen. de tranq. anim. III. 3. de deorum intellectu: An ille plus praestat, qui inter peregrinos et cives aut urbanus praetor adeuntibus adsessoris verba pronuntiat, quam qui (Lips. docet) quid sit iustitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quantumque adiutorium hominum sit bona conscientia? — Sed ut ad versum Publilianum redeam, sardare, quod verbum reponere ausus sum, Naevianum est, ut ait Festus: „sardare intellegere significat. Naevius .... belli Punici libro .... Quod bruti nec satis sardare queunt:“ in quibus verbis hoc a quibusdam quaeri videtur, utrum bruti an Bruti scribendum sit. Vide Forcell. Lex. Sed Naevius seu stolidi hebetisque ingenii, quale animalium est, sive prudentes atque sagaces homines intellegi voluit, qualem Junium illum Brutum fuisse accepimus (cf. Ovid. Fast. II. 717. 718.) Publilius mihi hoc loco sardare deum dicere videtur divina mente omnes res humanas perspicientem ac decernentem. Opponuntur intellegere et sardare: nempe quod hominis est intellegere, id dei est sardare, nec multum abest illud, quod Petr. Sat. 127. immo iam, inquit, nescio quid tacitis cogitationibus deus agit. Verba ex vetustate repetita cum orationi maiestatem aliquam non sine delectatione afferre dicit Quintilianus I. 6, 39, tum vero hunc Publilium ex ipso eorum poëtarum genere, quos secutus est, aliquot verborum usum revocavisse non est quod miremur. In eo quidem numero habeo, quae partim ipse poëtae restituenda existimavi: astus A 24. catus A 33. affatim A 46. obsequium B 9 (52). B 14 (57). O 10 (445). periuro E 2 (148). deiuret H 14 (216). indeptatur I 42 (272). facunditas N 36 (412). illegi O 7 (442). apisci Q 27 (527). talione S 20 (603). Sententia igitur hoc docet: paucos esse, qui deorum cogitationes et secreta intellegant. Itaque Sen. nat. quaest. VI. 5, 2. magni animi fuit, inquit, rerum naturae latebras dimovere neque contentum exteriori eius adspectu introspicere et in deorum secreta descendere. nam ipse, qui ista tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit deditque circa se, maior pars operis sui et melior, effugit oculos, cogitatione visendus est cf. VII. 30, 3. At vero quibus dei consulta ac decreta intellegere ac scire contigit, tam pauci sunt, ut mortales quosdam deos dicere possis. Cf. Quint. I. 10, 5.

34. De sententia cf. Plaut. Cas. II. 4, 4. stultitia est ei te esse tristem, cuius potestas plus potest. Sen. Med. 429. nemo potentes aggredi

tutus potest coll. Fabr. ap. Zell. p. 68. v. 200. et Kremsier. p. 47 v. 491. Sen. de ir. II. 33. 1. potentiorum iniuriae hilari vultu, non patienter tantum ferendae sunt. II. 34. 1. cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum (Sent. falso inter Publ. recept 70.). III. 5. 8. aut potentior te aut imbecillior laesit: si imbecillior, laesit: si imbecillior, parce illi, si potentior, tibi. Sen. ep. II. 2 (14) 7. itaque sapiens nunquam potentium iras provocabit. immo declinabit, non aliter quam in navigando procellam.

35. Haec sententia non de hominum malitia, sed de innocentia animi est. Docet enim paucos esse, qui cum possint peccare nolint: pauciores, immo nullos esse. qui ad eam animi innocentiam processerint, ut velut ignari quid sit peccatum. peccare vel non possint vel nesciant. Cui sententiae Publilianae simillima est Prov. 143. 144. Sed discrepat paullum Sen. ep. XIV. 2 (90) 46: quid ergo? ignorantia rerum innocentis erant. multum autem interest utrum peccare aliquis nolit an nesciat. Cf. Prov. 36—38. Ribbeck. Coroll. p. XCVII.

36. Universa calamitas i. e. communis omnium. De hoc v. universus usu vid. Cic. in. Pis. 27. fac huius odii tanti ac tam universi periculum. Liv. 10, 5. 22. 12. De sententia cf. Quint. XII. 7. 1. et licentiam malis dari certe contra bonos est.

37. Sententiam explicat Sen. de benef. III. 19. 4. vide ne eo maius sit quo rarius est exemplum virtutis in servis eoque gratius. quod, cum fere invisa imperia sint et omnis necessitas gravis. commune servitutis odium in aliquo domini caritas vicit.

38. „Ubi iniurias pateris potius. quam ulcisceris, accidunt iniuriae tam multae tamque magnae, ut pati non possis. Cf. Publ. N 18 (394). V 17 (645).

39. Lacrimas et fletum ita poëta opponit. ut hoc inter utrumque interesse statuisse videatur, quod lacrimas tristitiae speciem prae se ferre, fletus verum doloris sensum indicare vult. Quae vocabulorum differentia locis aliis probata. aliis non probata est cf. Cic. Att. IX. 7. non possum prae fletu et dolore diutius hoc loco commorari. Verg. Aen. IV. 369. Publ. H 19 (221). Habet Bothii coniectura, quo commendetur.

42. Hunc versum ex sequenti corruptum esse vidit Woelfflinus. Cuius depravationis vestigia secutus, quamquam in hoc versu conclamato nihil licere video nisi incerta assequi, tamen singula utrique versui verba conor reddere. Sic enim existimo in utriusque versus initiis tantam verborum similitudinem fuisse, ut librarii ab altero ad alterum aberrantes utrumque commutarent miscerentque. Quo factum est, ut primum verba prudentia plus propter verborum, quae in sequentis versus locis essent, similitudinem interciderent atque haec sola relinquerentur: pote stulta in adversis felicitas. Tum vero cum nec sententia nec numeri suppeterent, ut aliquid fieret, quod probaretur, inter verba in adversis et felicitas insertum videtur unquam. Quo facto hic versus exstitit, quem fere in F scriptum videmus: pote stúlti in adversís unquam felícitas. Quem ne sic quidem aut sententia aut numeris probandum esse non est quod moneam. Cf. Nauck. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. tom. III. p. 200. Quod vero ipse reposui, eius hanc sententiam esse volo in rebus adversis stultum felicitate plus posse quam consilio prudentem. Proverbium Germanicum: „Ein Tröpflein Glücks gilt mehr, denn ein Fass voll Weisheit" ap. Wander. Deutsch. Sprichwörter-Lex. I. p. 1743. Publ. F 27 (192).

43. „Maluimus Prudenti, quia non prudentis tantum vultus pro sermone est, sed fere omnium hominum, si peritus accesseri." Bothius.

At non est hoc loco sermo eorum confessio, quae secreta animus tegit, ut est ap. Sen. de benef. VI. 7, 1. 12, 1. aut apud Sen. Herc. Oet. 705. Thyest. 330. vultus loquitur, sed illa virorum sapientium conversatio, de qua Sen. ep. XV. 2 (94) 40: „idem tibi in conversatione virorum sapientium eveniet: non deprehendes.“ quemadmodum aut quanto tibi pro sit, profuisse deprehendes.“ Nec immerito Quint. XI. 3, 72.: dominatur, inquit, maxime vultus . . . . hic est saepe pro omnibus verbis. Cic. de or. III. 59. 221. or. 18. 60. Sententia enim hoc docet, ut hominum vultu perspiciatur habitus animorum, ita prudentis imprimis vultum in intimos penetrare affectus, ut ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur. Nisardo quidem, quod in homine Gallo leporis atque argutiarum studiosissimo mireris, Gruteri scriptura placuit, praeterquam quod scripsit: Prudenti stultus etiam sermonis iocu'st hac interpretatione subiecta: Pour le sage la plaisanterie même est sottise.

44. Ex parte i. e. ex una parte, partim, nos dicimus „theilweise“ cf. Cic. ad Q. Fr. III.. 1. 3. Liv. VI. 41. De sententia cf. Publ. B 12 (55). Q 30 (530).

45. Publilium cum antiqua illa negationis forma nenu (noenu) nenum (noenum) usum esse vix credibile sit (cf. Lucil. l. XXX. 40. p. 74. ed. Gerlach. Lucret. III. 199. IV. 712. p. 149. Lachmann.) scripsi quod ad sententiam etiam aptius videtur nondum i. e. „bis jetzt nicht“, quae particula cum temporibus verbi omnibus coniungitur cf. Sen. de vit. beat. XVI. 3. de bene). III. 4. 2. Quint. XI. 3, 158. nat. quaest. VI. 1, 11. ep. IX. 4 (75) 10. ab. Verba flectere et frangere coniungi solere exemplis allatis (Cic. Sull. 6. 18. Liv. 2, 23. Sen. Thyest. 200.) docet Woelfflinus Phil. XXII. p. 459. In vitiis autem sanandis hoc praecipuum est, ut principiis obstes, dum pudor cuique insitus valet: vitia ubi grassari sinas libere, pudore pulso poenae nihil efficiunt cf. Sen. ep. XIX. 7 (116) 2. 3. Hinc. Plaut. Bach. III. 3, 81. nam ego illum periisse duco, cui quidem periit pudor. Ter. Ad. I. 1, 32. 33. Prop. II. 5, 32. Maxime vero audiendus est Quint. I. 3, 14. cum de puerorum institutione haec disserit: „Deinde quod si cui tam est mens illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quaeque mancipia, durabitur“. Cf. praeterea Quint. IX. 2, 76. XII. 7. 2. Cic. Cat. I. 9. 22.

46. Gruteri et Orellii interpretationes etsi haud incommode procedunt: quorum alter versum sic interpretatur, si quis dolorem libere eloquatur, tunc animi tormentum extenuari, alter animi cruciatum minui, ubi dolor quasi vinculis solvatur, aperiatur, vel ubi possimus indulgere dolori („wo sich der Schmerz frei äussern kann“): tamen verbum allevare offendit, quod, cum idem significet atque attollere, excitare, confirmare, ambiguum est cf. Sen. de ir. I. 13, 4. segnem alioquin animum et ignavum paullum adlevant. ad Marc. de consol. II. 4. de vita beat. XXVIII. 1. Tum hic nec de secreto aliquo dolore dicitur, quem laxari iuvet, nec cui aut quomodo aperiatur. Quid quod si talis versus esset sententia, mirari liceret, quid esset, quod poëta non, ut solet, quod faciendum esset, secunda verbi persona praeciperet. Quare et levatur et laxatur restituendum, pro ubi reponendum ira existimo, ut haec sententia prodeat: „Supplicio sumto dolor tollitur atque exstinguitur, ira autem erumpente recluditur et diffunditur“. De verborum simplicium usu cf. Publ. B 9 (52).

47. Dixit poëta in tuto locat pro eo, quod vulgatum est: in tuto collocat. Corrupto aut manco versus exitu nihil in libris frequentius est cf. B 41 (84). D 24 (146). N 14 (390). N 20 (396). N 25 (401). N 36 (412). N 40 (416). P 19 (468). P 43 (492). Q 29 (529). Q 32 (532). Q 47 (547). S 35 (618). V 4 (632). praef. p. 20. „Plures oc-

cultat. ut quaesiti non investigentur, quam sic tuetur Fortuna, ut omni tempore securi degant".

48. De sententia cf. Menandr. monost. 435. *οὐ χρὴ φέρειν τὰ πρόσθεν ἐν μνήμῃ κακά.* Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Cic. ad Brut.: „sileamus, inquam, Brute, de istis, ne augeamus dolorem. nam et praeteritorum recordatio est acerba et acerbior exspectatio".

49. Recte Woelfflinus, ne scribatur probo bona fama m. e. h. hoc obiecit, quod nemo improbus bona fama frueretur. Nauckii autem coniectura licet commodam sententiam praebeat, tamen longius ab iis, quae in codice F scripta traduntur, recedit. Scripsi probi natales. Vocabulum hoc significat sanguinis ac familiae condicionem, ut apud Tac. An. XI. 21. de origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere. . . . . cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velavisset: Curtius Rufus videtur mihi ex se natus. Cf. Tac. Hist. II. 86. Plin. ep. VI. 23. VIII. 18. „Maxima hereditas liberis a parentibus relicta est proba nascendi condicio". De sententia cf. Cic. off. I. 33. Quint. III. 7, 10. Publ. B 40 (83). H 15 (217).

50. Verba sic construenda sunt: qui audet, pericula ante vincit, quam accipit i. e. qui audacter pericula sumit (Tac. Hist. III. 69.) antequam capessit vincit (Liv. 21. 4.) Cf. Woelfflin. Proleg. p. 44.

52. De adnominatione mensa — mens vide Publ. A 24. Pro verbo composito concipit scripsi simplex capit cf. Publ. B 9 (52). „Convivio plures quam virtute amici parantur". Plut. Cat. 25. *τὴν δὲ τράπεζαν ἐν τοῖς μάλιστα φιλοποιὸν ἡγεῖτο.* Sen. ep. II. 7 (19) 10. ante, inquit, circumspiciendum est, cum quibus edas et bibas. nam sine amico visceratio leonis ac lupi vita est

53. Infinitivi in ier exeuntis formam Publilium non respuisse supra dixi cf. Publ. D 5 (127). De sententia cf. Publ. C 28 (113).

54. „Cui debes salutem, huic ipsam vitam te memento debere".

55. De sententia cf. Publ. I 29 (258).

Q 1. Sententia ex iis est, quae non per se ipsa. sed ex personae, cui in mimo tributa esset, moribus aestimanda est. Quod nisi sumseris, etiam Publilii sententiam aliam alii contrariam invenies. Neque enim qui ubi malam unam rem velis, te omnem honestatem improbare M 54 (362) aut nil turpe ducendum esse pro salutis remedio N 47 (423) dixit, eum sui similem putabis, qui quod mendacium pro salute fieret, esse verum affirmavit V 8 (636). Itaque nec cum Bothio scribas pro putes necesse est putas. ne hoc sit praeceptum officii seu philosophiae nec cum Woelfflino pro quod, quod in F est, quoad, ita ut sit monosyllabum cf. Luc. Mueller. de re metr. p. 273. 274. Concedendum est enim Publilianae, quaecunque fuit, personae. ut pravum. cum iuvet, pro recto habendum esse dixerit. Cf. locos a Grutero in notis postumis ex aliis poëtis allatos. Quod habet F, quod adiuvat, id ut ortum ex cum adiuvat, ita hoc ipsum ex cum iuvat corruptum videtur. Cum iuvat i. e. tum cum iuvat: qua de v. iuvare significatione vide Publ. P 16 (465).

2. Quodcunque mala nocendi tanquam arte se instruxit, eam ubicunque potest exercere studet. Cf. Sen. de clem. I. 26, 1. aliquando sua praesidia in ipsos consurrexerunt perfidamque et impietatem et feritatem et quicquid ab illis didicerant. in ipsos exercuerunt. Sen. Troad. 634. dediscit animus sero quod didicit diu.

3. Neglectae et tertii et quarti pedis caesurae substituta est secundi pedis atque post dimetrum iambicum diaeresis: cuius generis senarii rari habentur cf. Publ. C 5 (89). C 33 (118). D 29. N 49 (425). Iniuria

et contumelia in codice T confusae Publ. M 2 (310). Simile proverbium nostrum est: „Wer Pech angreift, besudelt sich“. Cf. Wander. Deutsch. Sprichwörter-Lex. tom. III. p. 1200.

4. Emori est exantlatis moriendi doloribus vitam finire cf. Cic. Cat. I. 8, 20. De sententia cf. Soph. Phil. 796. *ὦ θάνατε, θάνατε, πῶς ἀεὶ καλούμενος οὕτω κατ᾽ ἦμαρ οὐ δύνῃ μολεῖν ποτε;* —

5. Qui innocentis causam agit, eum non opus est ad quaesitas dicendi artes confugere, ut audientium animos commoveat, sed veritas ipsa eum optime docebit.

6. Post tempus i. e. sero cf. Plaut. Capt. IV. 2, 90. abi stultus sero post tempus venis. „Sapientius est antequam doleas ad blandiendum demittere animum“.

7. De sententia cf. Fr. Rueckerti carmen (Vierzeilen, Ged. p. 360.): Klage nicht, dass dir im Leben ward vereitelt manches Hoffen. Hat was du gefürchtet eben doch auch meist dich nicht betroffen.

9. Verborum ambitu quo pervenias poëta significat rei eventum. Publ. Q 13 (513). Pronomen quisquis, si a duobus locis discesseris A 9 et R 13 (581), quibus locis quod effectus significatur, coniunctivus obtinere debet, semper a Publilio cum indicativo verbi coniungitur cf. A 1. I 1 (280). M 12 (320). M 36 (344). N 3 (379). P 22 (471). Q 2 (502). Q 30 (530). Q 36 (536). Q 38 (538). Q 48 (548). Q 50 (550). Q 51 (551). S 37 (620). Nec alia est constructio pronominis quicunque: semper enim cum indicativo coniungitur cf. G 6 (199). I 60 (290). L 11 (302). Q 15 (515). Q 29 (529). uno loco Q 12 (512) cum coniunctivo optativo. Cf. Woelfflin. Proleg. p. 61.

10. De sententia cf. Publ. R 14 (582).

11. Iuvat i. e. adiuvat, prodest cf. Publ. P 16 (465). De sententia cf. Sen. de benef. VII. 1, 3. egregie enim hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiamsi maximis comparatur, solet: plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promtu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum. Qua de re scitum illud Goethii, poëtae nostri egregii: „Was man nicht weiss, das eben brauchte man, und was man weiss, kann man nicht brauchen.“ Cf. Werke tom. XI. p. 45.

12. Celes coniunctivus est quem vocant optativus: „quodcunque celari optas“; fias autem pro imperativo est. „Si quid est quod celari cupias, cave ipse imprudens prodas, quod celandum est“. De sententia cf. Pseudo-Sen. de mor. 16. Prov. 75. 76. Sent. falso inter Publ. recept. 312.

13. Quovis i. e. ad omnem rem expetendam. Plaut. Most. IV. 2, 8. cibo perduci poteris quovis. Ter. Heaut. V. 1, 55. immo abeat potius malo quovis gentium. Eun. I. 2, 44. sed sine me pervenire quo volo. Quint. V. 7, 28. adeo scitae sunt interrogationes, ut cum plerisque bene respondeatur, res tamen ad id quod volunt efficere perveniat. Nostrum proverbium est: „Ehrlich währt am längsten“ vel „Ehrlichkeit bringt's weit.“ Wander. Deutsch. Sprichwörter-Lex. tom. I. p. 748. 749.

14. Metaphora nec ab arboribus serendis, ut Orellio placet, cum comparat Hor. Carm. III. 13, 1., nec a calculis ponendis, sed ab eo loquendi usu derivanda est, quo statua vel quodvis aliud artis opus in hominum conspectu poni ex eoque tolli dicitur cf. Cic. Verr. IV. 28, 64. candelabrum e gemmis clarissimis opere mirabili perfectum reges ii, quos dico, Romam cum attulissent, ut in Capitolio ponerent, quod nondum perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt neque vulgo ostendere ac proferre voluerunt. IV. 35, 77. ii denique illud (signum) . . . mercede

accepta sustulerunt . . . nunc ex urbe sociorum praetor eiusdem populi turpissimus atque impurissimus eosdem illos deos nefario scelere auferebat. Sen. ad Marc. de consol. II. 2. de tranq. anim. I. 1. ep. XV. 1 (93) 8. 3 (95) 38. De sententia cf. Plaut. Merc. V. 4, 26. itidem ut tempus anni, aetatem aliam aliud factum convenit. Sen. de ir. II. 18, 2. facile est enim teneros adhuc animos componere, difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum creverunt. ep. I. 11, 1. nulla enim sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur (i. e. deponuntur): quicquid infixum et ingenitum est, lenitur ante, non vincitur.

15. Quaerere et invenire contraria cf. Plaut. Rud. III. 6, 35. Sen. de provid. III. 4, 5. De sententia cf. Sen. Herc. Fur. 327. quem saepe transit casus, aliquando invenit. Sent. falso inter Publ. recept. 295.

17. Miserum est frustra cuipiam operam praestare.

18. „Cuius monosyllabum est, ut passim apud hos scriptores" Bothius; non tamen apud Publilium esse duco. De sententia cf. Plaut. Epid. V. 2, 52. sed ut acerbum est, pro bene factis cum mali messem metas. Vid. Fabr. ap. Zell. p. 82. v. 351. et Kremsier. p. 61. v. 648. Plaut. Bacch. III. 2, 10. nam pol quidem meo animo ingrato homine nihil impensiust. Sen. de vit. beat. XXIV. 1. errat si quis existimat facilem rem esse donare: plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur. de benef. VII. 26, 2. 27, 3.

20. De sententia cf. Plaut. Pers. III. 1, 27. pater, hominum immortalis est infamia, etiam tum vivit, cum esse credas mortuam.

21. Hanc versus sententiam esse puto unum quidque perinde tangere et afficere, ut voluptatem afferat; non rem ex suo quamque pretio, sed ex ea voluptate, quam cuique pariat, ponderari solere. Sententia sane ex Epicureorum, ut opinor, profecta disciplina, nec vero ideo improbanda! Quidvis, quod pro quod vi reposui, substantivi loco positum cum apud ceteros probae notae scriptores (Cic. Verr. II. 3, 18. Caes. BG. IV. 2. Plin. NH. II. 71, 73. XXVIII. 9, 37.) tum vero apud comicos frequentissimum est cf. Plaut. Mil. II. 4, 5. III. 1, 152. Asin. III. 3, 81. Pers. IV. 4, 56. Poen. I. 3, 28. Truc. IV. 4, 31. V. 32. Ter. Heaut. III. 1, 40. 60. IV. 1, 28. 8, 17. V. 1, 3. Eun. I. 2. 97. Phorm. III. 3, 28. IV. 1, 28. Andr. II. 3, 6. V. 3, 26. 31. Codici quidem F etsi quod exhibet (cf. Woelfflin. Proleg. p. 54.) tamen ne in his quidem certa fides est: nam idem Publ. A 26. pro quid praebet quod. Nec raro duo sententiae membra particula ut inter se ita coniunguntur, ut sicut alterum est, alterum se habere dicatur, ut apud Plaut. Pseud. II. 1, 4. res perinde sunt, ut agas, ut eas magni facias. Ter. Heaut. I. 2, 21. atque haec perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet coll. Plaut. Epid. I. 1, 47. Poen. III. 5, 9. Bach. IV. 4, 13. Quint. VI. 4, 19. XI. 1, 66. Sententiae Publilianae satis multae inveniuntur, ut apud Plaut. Merc. II. 3, 23. 24. ubi voluptatem aegritudo vincat, quid ibi inest amoeni? Plaut. Truc. V. 40. omnes homines ad suum quaestum callent et fastidiunt. Ter. Heaut. III. 3, 20. omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus. Sen. de ir. I. 19, 1. irascitur veritati ipsi, si contra voluptatem est. ep. XV. 3 (95) 33. voluptas ex omni quaeritur. ep. XIX. 7 (116) 3. voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea, sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio: [si] suo veniat iure, luxuria est. ep. XX. 6 (123) 12. quanto satius est rectum sequi limitem et eo se perducere, ut ea demum sint tibi iucunda, quae honesta? ad Marc. de consol. XIX. 1. opinio est ergo, quae nos cruciat et tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus.

22. Non solum de rebus raris et curiose elaboratis, poculis, sigillis,

pretiosis lapidibus, sed etiam de aliis vitae bonis, potentia, gloria, virtute cogitandum videtur. Sen. de tranq. anim. XV. 1. occupat enim non nunquam odium generis humani et occurrit tot scelerum felicium turba, cum cogitaveris, quam sit rara simplicitas et quam ignota innocentia et vix unquam, nisi cum expedit, fides etqs. ep. IX. 5 (76) 16. haec vocatur virtus, hoc est honestum et unicum hominis bonum.

23. Male agere i. e. perverse cf. Sen. ep. I. 1, 1. maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. Bene praecipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites aequum sit an iniquum. aequitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat iniuriae Cic. off. I. 9. coll. III. 8. In aequitate autem est agendi necessitas. Itaque Quint. III. 8, 25. mihi ne consilium quidem videtur, ubi necessitas est: non magis quam ubi constat quid fieri omnino non posse et 27. nam qui de re nefaria deliberat, id solum quaerit, quomodo quam minimum peccare videatur.

24. Non soloecum est, ut Bothio videtur, quod vulgatur: amicus ut timeat docet. Id enim quod docendo efficere velis, si dicere volueris, recte dixeris doceo te ut. Cf. Cic. leg. I. 22. haec philosophia enim una nos cum ceteras res omnes, tum quod est difficillimum, docuit ut nosmet ipsos nosceremus. De sententia ipsa cf. Publ. Q 40 (540).

25. Hunc versum reposui ex Sen. ep. VIII. 1 (70) 24. cui difficilis occasio est, is proximam quamque pro optima adripiat: qui quidem locus ita compositus est, ut vix cuiquam dubium esse possit, quin Senecae hic ipse, de quo disputamus, Publilii versus obversatus sit. Vide Woelfflin. Phil. XXII. p. 463. Quae coniectura si vera sit, conicere licet, quae corruptela sententiarum Publilianarum codices invaserit. De sententia cf. Publ. I 25 (525).

26. Sententia est et de rebus ad victum necessariis, quibus interdum fit, ut etiam morbus alatur (cf. Corn. Nep. Att. XXI. 6. nam mihi stat alere morbum desinere. namque his diebus quicquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis) et de bellis, ubi ex ipsis sociis exsistunt, qui noceant cf. Publ. Q 55 (555).

27. Quod coniecerat Bothius, id propterea reiciendum videtur, quod fieri non potest, ut consilio quis furat, ne Iunius quidem ille Brutus, qui non tam furere, quam stultum esse se simulabat cf. Liv. I. 56. Ovid. Fast. II. 717. 718. Neque id quod Woelfflinus proposuit, videtur ad sententiam quadrare. Cum enim consilium fugere qui adversarii insidias fugit, rapere autem consilium dicatur, qui raptim capit: illud quod capi raptim dicitur, nihil ad sententiam illustrandam facit: nam non cito vitare et cito capere, sed fugere et fuga retro versa consequi contraria sunt. Quamobrem mihi videntur rectius egisse, qui pro sapere, quod in F est, capere scripserunt, modo intellegatur, qui fieri potuerit, ut capere verbum praesertim in illa dictione, qua consilium capere dicebant, tam notum ac tritum corrumperetur. Equidem sapere depravatum ex apisci existimo, verbo librariis parum cognito nec tamen adeo obsoleto, ut non vel optimi sermonis latini auctores uterentur. Cf. M. Gesner. Thes. v. apiscor. Est autem apisci, pro quo usitatius est compositum adipisci, idem fere quod capere, nisi quod propter contrarium fugere exquisitius dictum est pro verbis invenire, deprehendere, consequi, a quibus ita differt, quod de rebus cum labore partis dicitur. Cf. Plaut. Epid. V. 2, 3. tace sis modo, sine me hominem apisci. Rud. prol. 17. qui hic litem adipisci (Cam. apisci) postulant periurio. Ter. Heaut. IV. 3. 15. deorum vitam apti sumus. Atque v. apisci contrarium esse verbo fugere probat Lucilius Sat. l. XXVI. 23. ed. Ger-

lach. p. 50. ut ego effugiam, quod ego te imprimis cupere apisci intellego coll. Ter. Andr. II. 1. 32. nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier. Neque multum ab hac dictione, qua consilium apisci dicit, abest id quod Plaut. Men. V. 2, 94. dixit occupare consilium. Hinc efficitur. ut haec versus sententia sit: „Qui consilium alterius fuga vitare potest, idem ipse consilium in alterum mente concipere potest" vel ad illa contraria verba fugere et apisci aptius haec in Germanicum versa: „Wer einem Anschlag zu entfliehen vermag, der vermag auch einen solchen zu erhaschen." De sententia cf. Publ. N 38 (414). R 14 (582). Ter. Hec. I. 1, 15. 16. iniurium autem est ulcisci adversarios? Aut qua via captant de illi, eadem ipsos capi? — De verbis veteribus a Publilio usurpatis dixi ad Publ. P 31 (480).

28. Interpunctionem ante improbos positam recte tollendam censet Meyerus. De sententia cf. Publ. I 55 (285).

29. Quae in eo versu. quem Halmius reposuit, cernitur mala diaeresis, eam quidem vitavit Ribbeckius, sed verborum transpositio molesta est nec placet pronomen tibi in versus exitu additum. Hic etsi saepenumero verba in libris aut deficiunt aut depravata inveniuntur. tamen tibi pronomen hoc loco intercidisse non verisimile videtur, quod Publilium et duobus tantum versibus sic videmus collocavisse, nec aliter usurpavisse. nisi ut idem valeret, quod tibi ipse cf. Publ. I 64. Q 30 (530): quod non cadit in hunc locum. Meo quidem iudicio in ipso verbo prodest vitium latet, quod esse debeat pro praeside est. Est autem praeses custos. vindex. adsertor. a quo praesidium patrociniumve exspectes. Neque tantum dii, sed etiam homines eo nomine vocantur. Cf. Cic. pro Sest. 65. senatum reip. custodem praesidem propugnatorem collocaverunt. de leg. agrar. II. 6. per tribunum plebis, quem maiores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt. Liv. 6. 16. dii deaeque qui Capitolium arcemque incolitis, siccine vestrum militem ac praesidem sinitis vexari ab inimicis? 23, 48. vix praesides provinciarum exercitus alere. Hoc igitur sententia, qui cum possit, nolit nocere, eum patronum existimandum esse docet. Nam nocere nolle benevolentis est cf. Publ. N 21 (397). Sen. de benef. VI. 7. 3. qui beneficium mihi daturus est, debet non tantum prodesse, sed velle. 9, 3. non est beneficium. nisi quod a bona voluntate proficiscitur, nisi illud agnoscit qui dedit. Profuit aliquis mihi, dum nescit: nihil illi debeo. profuit, cum vellet nocere: imitabor ipsum.

30. Malo indicativos concedis . . . das: praestat enim omnium beneficiorum bono concessorum partem concedenti dari sic dici. ut incertae condicionis, quae inest in coniunctivis, nihil relinquatur. Cf. Publ. C 44 (658). „Si quid beneficii homini bono impertiris, tibi ipse beneficii partem impertitus videris: consentaneum est enim illum accepti sic memorem fore. ut aliquando de gratia referenda cogitet.

32. Ut aliis locis. sic etiam hic vitium versus in exitu insedit: nam pro negat si mecum reposueris nocet, sententia recte procedat: quae formae, habitus, vestitus affectatione placere studet. illi eius ipsius affectationis exsuperantia ita nocet, ut potius displiceat quam placeat. Nocet i. e. damnum affert pudoris et famae. ita ut non tam bella. quam turpis ac foeda videatur cf. Sen. ep. XIX. 7 (116) 5. aeque facilitas amoris. quam difficultas nocet: facilitate capimur, cum difficultate certamus. Nimium substantivi loco usurpatum est, quod in Germanicum vertas: „Das Allzuviel." Ut est apud Ter. Ad. III. 3. 38. 39. nimium inter vos, Demea, ac non quia ades praesens dico hoc. pernimium interest. Cic. Off. I. 25. nunquam enim iratus, qui accedet ad poenam mediocri-

tatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum. Cic. Or. XXII. magis offendit nimium quam parum. Plurimae apud veteres sententiae inveniuntur, quibus ne quid nimis agatur monent. Ac primum quidem Ausonii est versus de Anacharsi Scytha: Nil nimium: Satis est, ne sit et hoc nimium, ad quem locum Woelfflinus (Sept. Sap. sent. VII. 7.) haec adnotat: „μηδὲν ἄγαν Soloni tribuit Stob. Flor. 3. 79, 2. Hygin. fab. 221. Pittaco epigramma Ausonii (Or. opusc. sent. 1, 193.) et Antipater (ibid. 1. 195.) Pythagorae Diog. Laert. 8, 1. Chiloni Plin. NH. VII. 32. 119 (nihil nimium cupere.) Cf. Ter. Andr. I. 1, 34.“ Tum huc pertinent comicorum sententiae Plaut. Poen. I. 2, 29. 30. modus omnibus in rebus, soror, optimum est habitu. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se. Ter. Phorm. V. 2, 1. 2. nostrapte culpa facimus, ut malis expediat esse: Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos. Deinde Seneca pluribus locis idem praeceptum ponit, de vit. beat. XIII. 5. et voluptas nocet nimia: in virtute non est verendum, ne quid nimium sit, quia in ipsa est modus. de tranq. anim. IX. 6. vitiosum est ubique, quod nimium est. ep. XX. 1 (118) 6. cui enim adsecuto satis fuit, quod optanti nimium videbatur? — Deinde iuvat afferre ex Quintiliano locos, qui docent quantum in omni genere nimium noceat: XI. 1, 91. indecorum est super haec omne nimium. XI. 3, 181. XII. 10. 79. sed et copia habet modum, sine quo nihil nec laudabile nec salutare est. Cf. Sen. Controv. I. praef. p. 67. ed. Bip. nec deerat (subtilitas) in illo (Porcio Latrone) sed non eminebat. Et nescio an maximum vitium subtilitatis sit nimis se ostendere. Denique puellis ac mulieribus plurimum officere nimium placendi studium docent Plaut. Poen. V. 4, 33. 34. multa sunt mulierum vitia, sed hoc e multis maximum est, cum sibi nimis placent nimisque operam dant, ut placeant viris; et Mart. epigr. I. 64. bella es, novimus, et puella, verum est, Et dives, quis enim potest negare? Sed cum te nimium, Fabulla laudas, Nec dives neque bella nec puella es. Huius puellae dissimilis ille adolescens Marciae filius, quem erubuisse quasi peccasset, quod placuerat, narrat Seneca ad Marc. de consol. XXIV. 3.

33. De sententia affert Gruterus Aesop. fab. 124. quae est de vespertilione foeneratores, a quibus viaticum sumserat, fugiente.

35. Numeris laborantibus hoc remedium adhibui, ut uni cui scriberem. Nam et propter culpae, quod sequitur, facile hauriri poterat et numerali unus cum pronomine aliquis coniuncto nihil frequentius est. Cf. Cic. off. II. 12. ad unum aliquem confugiebant. Cic. Phil. X. 1, 3. Sen. de clem. 1. 25. 5. nat. quaest. VI. 20. 5. ep. XIX. 5 (114) 17. Quint. VII. 2. 12. X. 2, 23. 24. XII. 1, 31. Sic etiam unus ullus Sen. ep. IV. 2 (31) 3. nemo unus Sen. de clem. I. 5. alius aliquis Quint. XII. 8, 12. vel alius quis Quint. XI. 1. 37. alter aliquis Sen. de ot. IV. 1. coniunguntur. Iam pro pronomine aliquis indefinito, ut persona vel res quaedam etiam levior vel incertior significetur, aliam breviorem formam quis usurpari notissimum est. Quod eius, quae Ciceronem secuta est, aetatis scriptores saepius fecisse monet Zumptius Gram. §. 708.

36. Numeris remedium repetii ex ea observatione, quam saepe syllaba vel vocabulum antecedente vel etiam sequente aut eadem aut similem sonum referente in libris, quibus sententiae Publilianae ad posteritatem propagatae sunt, absorptae sint. Cf. praef. p. 19. Atque hic quidem vox brevissima vis antecedente vocabulo probis absorptum esse arbitror. Unde haec versus sententia exsistit hominem iniustum ac regium in civitatem non legibus administratam, sed vi oppressam ita dominari, ut quod civibus bonis eripuit, id improbis administris et satellitibus donet.

Quid sit vis bene definit Cic. pro Caecin. 15. non eam solam vim esse, quae ad corpus nostrum vitamque perveniat, sed etiam multo maiorem eam, quae periculo mortis iniecto formidine animum perterritum loco saepe et certo de statu demoveat cf. Quint. VII. 3, 17. Publ. V 32 (692). Plaut. Rud. IV. 2, 7. Nec incredibile est voluisse Publilium illam Sullanorum temporum vim atque iniuriam significare, de quibus Cicero (Off. 1. 14.) recenti memoria narrat: „Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini. quare L. Sullae et C. Caesaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri" coll. II. 8.

37. Sententiam non emendatione, sed interpretatione expedias. Gruterus quidem cum idem, quod Menandri monost. 585. τοῦτ' ἔστι τὸ ζῆν μὴ σεαυτῷ ζῆν, hac sententia doceri existimaret, proposuit, ut scriberetur: qui sibi modo v. a. m. e. m. quae quidem sententia mihi idem dicere videtur. Orellius autem de avaro interpretatur, quippe qui ita sibi non vivat, ut nec sibi nec aliis aliquid boni largiatur. Nec aliter Woelfflinus sententiam intellexit, cum sibi interpretetur ne sibi quidem. Sed Publilianae sententiae interpretatio tota ex ea ratione pendet, qua quid sit sibi vivere explicaveris. Cuius explicationis viam monstrat Ter. Ad. V. 4. 11. quo loco Demea haec de Micione: sibi vixit: sibi sumptum fecit: omnes benedicunt. amant.. Quibus verbis non hoc dicere vult, illum sua tantum commoda spectasse. aliorum neglexisse. Nec Ruhnkenium ea recte interpretatum esse puto, cum interpretaretur „sibi vivit h. e. secutus est vitam sibi commodissimam alienis negotiis se non immiscens: id enim falsum esse ex eo iam cognoscitur, quod vel suos ipsius filios illi consilia omnia credere, illum amare. apud illum ambo esse ait. Sibi vivere apud Romanos non is dicitur, qui neglectis aliis hominibus indulget suis voluptatibus. sed qui turpia inertiae, ventris, somni, libidinis vitia fugiens atque honestis studiis intentus suas res impigre agit. diligenter tuetur, sapienter administrat: qualem illi ipsi uno verbo virum strenuum dicebant. Cf. Sen. ep. VI. 3 (55) 4: Otiosum enim hominem seductum existimat vulgus et securum et se contentum. sibi viventem. quorum nihil ulli contingere nisi sapienti potest. ille quidem nulla re sollicitus scit sibi vivere. ille enim, quod est primum. scit vivere. Nam qui res et homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegavit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum atque iners animal metu oblituit ille non sibi vivit, sed quod est turpissimum ventri. somno, libidine: non continuo sibi vivit, qui nemini. 8 (60) 4. hos itaque, ut ait Sallustius (Cat. II. 8.) ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominum: quosdam vero ne animalium quidem, sed mortuorum. vivit is, qui multis usui est, vivit is, qui se utitur. qui vero latitant et torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo. horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas: mortem suam antecesserunt. Pseudo-Sen. de remed. fort. XIII. 9. ed. Fr. Haasii vol. III. p. 455. exstinctum fleo filium unicum. Si fleturus eras morientem, et nascentem flesses: nunc mori desiit, tunc coeperat. illi vixeras, vive iam tibi. Vivere igitur et mortuum esse cum in hac sententia Publiliana opponantur, vivere non est commode ac iucunde vivere, sed agere. Quamobrem hanc versus sententiam esse existimo: „Qui suas ipse res non strenue agit curatque, is aliis nil omnino prodesse potest." Latinum sic in Germanicum vertamus: „Für sich nichts thun heisst tot für andre sein." Cf. Caec. Balb. p. 27. Mon. XXII. 2 (Sent. 35.).

38. „Nulla res bene gesta gloria caret."

39. De sententia cf. Sen. Excerpt. Controv. IX. 1. p. 475. ego non exspectaveram, donec rogares.

40. De sententia cf. Publ. Q 24 (524). Plaut. Bacch. III. 2, 2. homini amico, qui est amicus, ita uti nomen possidet. Cic. Lael. 8, 26. Sen. Med. 415. amor timere neminem verus potest.

41. „Vox improbi" Orellius. Cic. off. III. 9. honesta viris bonis, non occulta quaeruntur. Gell. NA. XII. 11, 2. virum quidem sapientem non peccaturum esse dicebat (Peregrinus philosophus) etiamsi peccasse eum dii atque homines ignoraturi forent. Cf. Publ. Q 1 (501). V 8 (636).

42. De sententia cf. Publ. C 30 (116). N 4 (380). S 24 (607). Sen. nat. quaest. VI. 2, 3. si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda. Sen. Agam. 798. victor timere quid potest? — quod non timet.

44. Docte i. e. recte scite, callide ct. Publ. C 25 (110). De sententia cf. Publ. P 55. coll. Caec. Balb. p. 26. Mon. XVIII. (Sent. 143.). Sent. falso inter Publ. recept. 264. Sen. ep. VI. 9 (61) 3. qui imperia libens excipit, partem acerbissimam servitutis effugit, facere quod nolit. non qui iussus aliquid facit, miser est, sed qui invitus facit.

46. De sententia cf. Sen. de benef. IV. 10, 3. quam saepe hominum donationem suam inconsultam obiurgantium hanc exaudimus vocem: „mallem perdidisse quam dedisse?" VII. 26, 2.

47. Pronomen relativum quae falso illatum esse recte suspicatus est Woelfflinus Proleg. p. 50. coll. Phil. XXII. p. 460. Quo remoto versus restituetur, si modo pro transit scripseris transita: quod depravationis genus in versus exitu saepissime deprehenditur. Vide praef. p. 20. Vitam transire idem significat quod vitam transigere cf. Sall. Cat. I. 1. Sen. de provid. IV. 1. ep. V. 4 (45) 12. XIV. 2 (90) 17. Sen. Controv. II. 14. p. 186. ed. Bip. Tac. Agr. 6. Transita autem vita est quae transitur: de qua participii perfecti potestate vide Zumpt. Gram. §. 495. Madvig. Gram. §. 427. Negotia labores sunt in foro vel in iudiciis publice suscepti, nos dicimus „Staatsgeschäfte und Gerichtshändel." Cf. Voss. Verg. Ecl. I. 6. Georg. II. 468. III. 377. Sen. de ir. III. 6, 3. ep. VI. 1 (53) 9. ep. XIX. 8 (117) 32. Sed reliquum est ut pauca dicam de mensura vocabuli negotiis. Quod quidem cum quattuor syllabis constet, hoc loco trisyllabum est. sive ita ut scribatur negotis, ut Lachmanno ad Lucret. V. 85. videtur, sive ut per systolen pronuntietur, velut conubio apud Verg. Aen. I. 73. IV. 168. taeniis ap. eund. V. 269. Sententia multis poëtarum Romanorum laudibus celebrata, imprimis ab Hor. Ep. II. Cf. Sen. de tranq. anim I. 11. ametur expers publicae privataeque curae tranquillitas. de brev. vit. XI. 2. ad Helv. de consol. XX. 1. ep. III. 1 (22) 8. IV. 3 (32) 5.

48. De sententia cf. Quint. I. prooem. 5. ego cum nihil existimem arti oratoriae alienum, sine quo fieri oratorem non posse fatendum est, nec ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initiis perveniri, ad minora illa, sed quae si neglegas. non sit maioribus locus, demittere me non recusabo: nec aliter, quam si mihi tradatur educandus orator, studia eius formare ab infantia incipiam.

49. De sententia cf. Cic. pro Marc. 2. nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur nec ad consilium casus admittitur. Liv. 22, 39, 21. Quint. VII. praef. 3. Fabr. ep. Zell. p. 73. v. 259. et Kremsier. p. 53. v. 552. prudentibus insitum est vitare fortuita.

50. Dicit poëta, quod non virtus, sed fortuna homini addit, quamvis primo magnum atque egregium colatur, postremo tamen ut adventicium atque extrinsecus additum et ut ait Publilius A 1. alienum contemnitur. Tum vero numeri ita sanandi videntur, ut pro exornat scribatur de-

corat. Quod corruptionis genus pluribus Publilii locis mihi videor deprehendisse, ut eiusdem significationis verbum alterum alteri substitueretur. Cf. Publ. B 7 (50). B 29 (72). B 41 (84). C 26 (111). I 65. M 13 (321). N 20 (394). P 27 (476). Q 52 (552). R 15 (583). Vide praef. p. 15. De sententia comparat Gruterus Tac. An. XIII. 19. „nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiae non sua vi nixa“ (Goethii sent. tom. III. p. 194.)

51. Neminem nimiarum divitiarum possessionem gravius reprehendisse arbitror quam Senecam philosophum. Omnia ista bona. scribit ad Polybium de consol. IX. 5. quae nos speciosa. sed fallaci voluptate delectant. pecunia. dignitas. potentia aliaque complura. ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit. cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur eosdemque ipsos, quos exornant. et premunt. Idem in hominem invehitur. quem avaritia metalla exercere coëgerit. ut erueret aurum non minore periculo quaerendum quam possidendum. Cf. nat. quaest. V. 15. 3. Ergo honestum unum bonum est. quod non tantum perfectus animus, sed generosus quoque et indolis bonae sentit: cetera levia sunt, mutabilia. itaque sollicite possidentur: etiamsi fortuna favente in unum congesta sunt, dominis suis incumbunt gravia et illos semper premunt, aliquando et inlidunt cf. Sen. ep. IX. 5. 30. Quid quod praeceptorem suum Attalum Stoicum de paupertate disserentem et ostendentem. quam, quicquid usum excederet. pondus esset supervacuum et grave ferenti, ita admirabatur. ut ipsi saepe exire e schola pauperi liberet cf. ep. XVIII. 5 (108) 14. Quamobrem avaro neminem miseriorem iudicat. quem non minus parta et possessa, quam desiderata et quaesita discrucient cf. ep. XIX. 6 (115) 16. Hunc autem divitiarum contemtum docet Seneca. homo Stoicorum disciplinae addictus. non Publilius poëta illis praesertim temporibus, quibus eo mores redacti essent ut paupertas maledicto probroque esset, contempta divitibus. invisa pauperibus cf. Sen. ep. XIX. 6 (115) 11. Quae cum ita sint, non tam nimiam bonorum possessionem. quam nimiam pecuniam. itineris faciendi auxilium. hic tangi censeo. Quam rem castigare poëta suo more eo magis poterat. quo magis illa aetate insanam peregrinantium luxuriam omnem utilitatis commoditatisque modum longe excessisse tradit Seneca ep. XX. 6 (123) 7. Omnes iam sic peregrinantur, inquit, ut illos Numidarum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat: turpe est nullos esse, qui occurrentis via deiciant aut qui honestum hominem venire magno pulvere ostendant. Omnes iam mulos habent, qui crystallina et murrina et caelata magnorum artificum manu portent: turpe est videri eas te habere sarcinas totas. quae tuto concuti possint. Omnium paedagogia oblita facie vehuntur, ne sol neve frigus teneram cutem laedat: turpe est neminem esse in comitatu puerorum. cuius sana facies medicamentum desideret. Quamquam idem Seneca ad Helviam matr. de consol. XII, 2. multa tempora dicit. quibus locupletes pauperibus similes sint, quibus circumcisae sint peregrinantium sarcinae et quotiens festinationem necessitas itineris exegerit. comitum turba dimittatur. Atque ipse etiam philosophus quam commode cum Maximo suo iter fecerit rebus necessariis quam maxime circumscriptis laeto gratoque animo narrat expertus. Dicit enim ep. XIII. 2 (87) hoc se iter docuisse quam multa haberent supervacua et quam facile iudicio possent deponere, quae. si quando necessitas abstulisset. non sentirent. Cum paucissimis servis, quos unum capere vehiculum potuerit. sine aliis rebus, nisi quae corpore continerentur, se et Maximum suum biduum iam beatissimum agere: culcitam in terra iacere. in qua ipsum; ex duabus penulis alteram stragulum, alteram opertorium factam esse. Nec

illud de Diogene narrare dubitat, cum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregisse eum protinus exemptum e penula calicem hac obiurgatione sui: quamdiu homo stultus supervacuas sarcinas habui? Cf. Sen. ep. XIV. 2 (90) 14. Sed cur hos Senecae locos attuli? Scilicet ut illud hanc Publilii sententiam docere probarem, omnem rerum copiam, quae pro commeatu sive viatico portetur, ubi ultra necessitatem maior sit, plus molestiae quam utilitatis afferre. P r a e s i d i u m enim quod hic olim lectum fuisse arbitror, pro commeatu vel viatico positum et interpres adnotat ad Plaut. Poen. III. 3, 57. ed. Taubmann. trecentos nummos Philippos portat p r a e s i d i coll. Pers. I. 3, 44. et docet Corn. Nep. Them. VIII. 5. quo loco Admetus, Molossorum rex, exsulem Pydnam deduxisse eique quod satis esset, p r a e s i d i i dedisse narratur. Ceterum non solet ad n e c e s s e deesse e s t.

52. Fuit cum pro t i m e t u r substituendum putarem t i m o r e s t, quod idem est ac timori est cf. Publ. Q 12 (512). Ut timor, ita per metonymiam metus, periculum, horror aliquis dicitur cf. Quint. VI. 2, 21. Cic. Verr. IV. 49, 108. Ov. Fast. I. 552. Prop. III. 5, 40. Sen. ep. II. 2 (14) 6. de clem. I. 25, 3. ep. XIII. 1 (86) 5. Sen. Herc. Fur. 224. 230. 890. Troad. 62. 768. Quod metonymiae genus tam frequens apud poëtas est, ut exemplis supersedere possimus. At multo frequentius est dici t i m e r i, quam timorem vel timori esse, praesertim in eo poësis genere, quod propius sermonem est. Cf. Sen. de ir. II. 11, 2. ne hoc sapienti adici velim, quod facere saevientis quoque telum est, t i m e r i. ecquid non t i m e t u r febris, podagra, ulcus malum? numquid ideo quicquam in istis boni est? at contra omnia despecta foedaque et turpia ipso quo t i m e n t u r: sic ira per se deformis est et minime metuenda, at t i m e t u r a pluribus sicut deformis persona ab infantibus. Quamobrem t i m e t u r verum, sed pro n o c e r e reponendum duxi o b e s s e: de quo corruptelae genere, ut pro altero alterum similis notionis inducatur verbum, supra dixi ad Publ. Q 50 (550). Vide praef. p. 15. De sententia cf. Publ. P 27 (476). Sen. de clem. I. 8, 5. loqui non potes, nisi vocem tuam quae ubique sunt gentes excipiant. irasci non potes, nisi ut omnia tremant. Sic neminem adfligere, nisi ut quicquid circa fuerit quatiatur. ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent, non sine causa. non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit cogitatur in eo, qui omnia potest.

53. Hanc sententiam ex versuum numero movendam esse censet ut prosa oratione scriptam Spengelius praef. p. 6. Versus diaeresin legitimam eo revocavi, ut pro n o n substituerem n u l l o. Nec verbum sic alternandum est, ut prius t e n e r e, post ponatur c o n t i n e a s: sed cum praecesserit t e n e r e, t e n e a s sequi consentaneum videtur. Utroque autem loco idem significat in potestate sua habere, regere cf. Ter. Heaut. III. 3, 44. etsi amor me graviter consuetudoque eius tenet. Ad. I. 2, 5. 6. neque legem putat tenere se ullam. Ernesti. clav. Cic. v. tenere. Hinc versus haec sententia videtur: „Quem non clementia potueris, eum poena regas necesse est.“ Similem nec tamen eam, ex qua hanc derivari oporteat, apud Quint. XII. 7, 2. scriptam legimus: „Nam qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur.“ Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Vertit Nisardus: Celui que le bien n'a pu retenir, contiens-le par le mal. Publ. M 49 (357).

54. De sententia cf. Cic. Cat. Mai. X. 31. coll. Hom. Il. I. 249. Quint. XII. 4, 1. imprimis vero abundare debet orator exemplorum copia. sciat ergo quam plurima: unde etiam senibus auctoritas maior est,

quod plura nosse et vidisse creduntur: quod Homerus frequentissime testatur.

55. Ubi te capiant i. e. si quando accidat, ut te capiant: quae coniunctivi ratio cum particula ubi coniuncti etiam ceteris Publilii locis obtinere solet cf. Publ. A 21. 55. B 35 (78). C 4 (88). E 20. H 11 (213). H 14 (216). I 55 (285). M 53 (362). O 7 (442). V 7 (635). Capere i. e. decipere cf. Cic. Mur. 10. iure consulti est cavere, ne sui consultores capiantur. Syllaba verbi defenderunt penultima corripitur cf. Publ. C 6 (90).

56. De sententia comparat Gruterus Hor. ep. I. 19, 6. laudibus arguitur vini vinosus Homerus.

57. De mala versus diaeresi vide Woelfflin. Proleg. p. 58. Ut habeat particula etiam. quod augeatur. clam cum id propter similem verbi antecedentis syllabam intercidisse posset, ex coniectura addidi: quo de corruptelae genere vid. praef. p. 18. Non solum apud ipsum, sed etiam apud animum suum queri de amico grave esse sententia docet.

58. Sententia non est de defendenda, sed de inferenda iniuria: qui nociturus est, semper nocendi consilia iniisse credendus est.

59. De numeris cf. Publ. B 30 (78). Phaedr. II. 1. 5. III. 19. 5. IV. 8 (9) 5. De sententia cf. Publ. H 9 (211).

60. Miserum est, cum malum, postquam ad suam ipsius consumtionem saeviit, recrudescit. Cf. Sen. ad Marc. de consol. 1. 7.

61. Si quis sero peccare coeperit, hoc quidem peccandi initium turpissimum est. Cf. Quint. VII. 2, 33. accusator autem ad praesentem quaestionem. de qua sola iudicium sit, cognitionem alligabit dicens neminem non aliquando coepisse peccare etqs.

62. Sententiam similem comparat Gruterus Cic. Phil. II. 25. 61. quam miserum est id negare non posse. quod sit turpissimum confiteri.

63. Alterum vocabulum scriptura aut sono adsimile intercidisse advocatus, caveas autem ex corrupto cavetis a Grutero recte repositum arbitror. Unde haec sententia exsistit: „Qua ratione advocatus clienti opem feras, cum adversarius animo aliud cogitat, aliud verbis petit? — Advocatus enim is dicebatur. qui advocabatur, ut consilio et praesentia aut quacunque ratione posset alia, in iudicio reum iuvaret, ius suggereret, litigandi formulas forique morem doceret cf. Ruhnken. ad Ter. Eun. II. 3, 48. Advocati Terentii et Ciceronis aetate dicebantur amici, quos qui iudicio periclitarentur ad se vocabant, ut se consilio, gratia, supplicando aut alia quavis opera iuvarent et praesentiam suam commodarent. Qui autem causas orabant, patroni causarum vocabantur. Vide Ascon. Ped. in Cic. Div. in Caec. 4. Sed postea etiam illi, qui causas agebant, advocati dicti sunt. Gronov. Lect. Plaut. p. 142. Cic. Off. I. 10. Quint. 8. Multi etiam sunt apud comicos loci Plaut. Poen. III. 6. 11. Ter. Eun. II. 3, 49. IV. 6, 26. Ad. IV. 5. 12. Phorm. II. 1, 83. Vide Drakenb. ad Liv. 42. 33. 1.

64. De sententia cf. Publ. P 55. Q 44 (544). Prov. 109. Sen. ep. VI. 9 (61) 3. non qui iussus aliquid facit, miser est. sed qui invitus facit.

65. Decipit i. e. latet vel effugit ut te repente circumventurum vel superventurum. Cf. Hor. Serm. I. 3, 38. Liv. 22, 4, 4.

66. De sententia cf. Prov. 47.

67. Occurrit id quod praeter exspectationem obviam venit. Quint. IV. 5, 2. Sententiae exemplum Alexander, Epiri rex, apud Liv. 8, 24. quo loco haec leguntur: „ut ferme fugiendo in media fata ruitur."

68. De v. monere vi ac potestate vide Sen. nat. quaest. II. 39.

„nam et qui monet consilium dat. Sed habet aliquam distinctionem et ob hoc separatur a consiliario, qua illud suadet dissuadetque, hoc solam evitationem impendentis periculi continet, ut cum timemus ignem, fraudem a proximis, insidias a servis. De sententia cf. Sen. de ir. I. 6, 1. Quid ergo? non aliquando castigatio necessaria est? quidni? sed haec sincera, cum ratione. non enim nocet, sed medetur specie nocendi.

70. De forma infinitivi accusarier cf. Publ. H 11 (213).

71. De sententia cf. Publ. A 12. P 27 (476).

72. De sententia cf. Publ. S 24 (607).

R 1. De sententia cf. Plut. de lib. educ. *δεῖ τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ καλὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἄγειν παραινέσεσι καὶ λόγοις, μὴ μὰ Δία πληγαῖς μηδ' αἰκισμοῖς.* Sen. Oct. 446. regenda magis est fervida adolescentia. Sen. de ir. I. 6, 1. Quint. XI. 1, 90.

2. In v. rei synizesin a Publilio admissam esse vix credo. Itaque scripsi praepositone in addita: re in nulla, quae particula etiam ad ablativum iracundia referenda est. Qua de structura cf. Cic. off. I. 31. num enim alia in causa M. Cato fuit, alia (v. l. in alia) ceteri etqs. Fabri. ad Liv. 22, 8, 3. sed ut in adfecto corpore quamvis levis causa magis quam valido gravior sentiretur. Zumpt. Gram. §. 778. De sententia cf. Publ. M 3 (311). Menandr. monost. 60. *βραδὺς πρὸς ὀργὴν ἐγκρατὴς φέρειν γενοῦ.* Ovid A. A. I. 374. Sen. de ir. II. 22, 4. 29, 1. maximum remedium irae mora est.

3. De sententia cf. Publ. L 8 (299).

4. De sententia cf. Sen. de benef. I. 14, 1. Quod voles gratum esse, rarum effice, quod quis patitur sibi imputari. ep. V. 1 (42) 1. nec est mirum ex intervallo magna generari: mediocria et in turbam nascentia saepe fortuna producit, eximia vero ipsa raritate commendat.

5. Alter versus apud Publilium exstat verbis simillimus, sed sententia diversus. Ille est enim de beneficiis, quae nisi reddere possit, qui accepit, eum fraudem committere docet. Hunc eadem de re esse non verisimile est. Illud quidem facile concedimus, quod paullo post ait poëta R 13 (581) rapere esse, non petere, quicquid invito auferas: sed hic qui reddere beneficia non possit, eum non accipere, sed rapere dici verbum auctius quam verius habendum est. Itaque hic aliud lectum olim fuisse suspicatus sum: quae quidem suspicio etiam eo movetur, quod librorum scriptura ipsa aliquid vulneris ostendere videtur. Scripsi igitur rapere mutuum est accipere: sententia quidem gravis ac severa, sed tamen ea, quae magis ad veritatem accedat, quam quae ex vulgari scriptura expediri possit. Aes alienum, inquit, sumere mutuum, quod non possis reddere, est furari.

6. Sententiae vis in verbis agere et loqui contrariis quaerenda est. Ov. Met. XIII. 120. denique quid verbis opus est? spectemur agendo. Quint. II. 17, 8. quamquam apud Homerum (Il. IX. 443.) et praeceptorem Phoenicem tum agendi, tum etiam loquendi etqs. Sen. ep. XVIII. 5 (108) 37. 38. non est loquendum, sed gubernandum . . . . monstrabo: faciant quae dixerint. Pari modo res verbis opponuntur cf. Liv. 22, 39. ubi extemplo verba res sequitur. 23, 18. Hinc regnat corruptum esse duco ex rem agit. Quae dictio cum apud scriptores, tum apud poëtas frequentissima est. Liv. 21, 52. Plaut. Merc. III. 4, 23. odiosa est oratio, cum rem agas, longinquum loqui. V. 4, 27. 50. Men. I. 2, 6. IV. 3, 11. V. 4, 10. Amphitr. I. 1, 114. Curc. V. 2, 36. hanc rem agite. Mil. II. 2, 70. hanc rem age. IV. 3, 24. Pseud. II. 1, 4. Poen. III. 3, 46. agere tuam rem occasio est. 62. V. 4, 16. Rud. III. 3, 21. V. 3, 43. Trin. IV. 2, 161. Ov. Rem. Am. 144. cedit amor rebus, res

age. Mart. epigr. I. 79, 1. V. 14. His locis, quos attuli, rem agere idem valere patet atque agendo intentum esse. Quare sententia docet, qui velit nihil fieri, nisi quod velit, eum non loqui, sed agere oportere. Cf. Liv. 22, 53. audendum et agendum, non consultandum ait in tanto bello esse.

7. „Quicunque vincit, neminem sibi parem vult, qui de principatu secum certare audeat.“

8. Versus hanc sententiam esse puto, qui ceteris praesentibus amici vitia tam graviter castiget, ut ex faciei rubore illum pudere cognoscatur, ei verendum esse, ne amicum perdat. „Non enim sine doloris sensu nec effeminate feret obiurgationes reprehensionesque, si fuerit homo ingenuus et liberaliter educatus“ Gruterus. Qua de sententia cf. Publ. A 10. Sen. de benef. VII. 28, 3. meliorem illum facies ferendo, utique peiorem exprobrando. non est quod frontem eius indures: sine si quid est pudoris residui, servet. saepe dubiam verecundiam vox conviciantis clarior rupit. Quint. VI. 3, 28. laedere nunquam velimus longeque absit propositum illud: potius amicum, quam dictum perdidi.

9. Sen. de ir. II. 5, 5. Volesus nuper sub divo Augusto proconsul Asiae, cum trecentos uno die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, graece proclamavit: O rem regiam! Quid hic rex fecisset?

10. Nihil opus est emendatione. Insidiosus si propriam vocabuli potestatem quaeris, plenus est insidiarum, sive earum, quas struit, sive earum, quibus obnoxius est: utrumque enim recte dicitur, ut exemplis non opus esse videatur. Nam qui parat insidias, insidiis idem paratis obnoxius est. Ut insidiosa itinera apud Suet. Caes. 58. sunt insidiis et obstruendis apta et structis obnoxia, sic res insidiosa est insidiarum plena, sive parat eas sive habet. Cf. Sen. ad Marc. de consol. XXII. 3. nihil est tam fallax quam vita humana, nihil tam insidiosum. ep. II. 3 (15) 12. discedant aliquando ista insidiosa bona et sperantibus meliora quam adsecutis. ep. IV. 2 (31) 2. V. 3 (44) 7. Res autem quae dicitur, non tantum pecunia est, sed quaecunque hominum cupiditatem movent, complectitur, opes, honores, formam corporis, voluptates: quae quidem bona ita comparata sunt, ut quot parant, tot periculis petantur. Quamobrem duplicem sententiae interpretationem proposuit Gruterus: „aut nobis insidias struit, pedicis scilicet retibusque hinc inde expansis, quibus capti involvamur, aut quanto ditior es, eo magis circumretiris insidiis, fures, latrones. pauperes tibi insidiantur.“ Quae duplex interpretatio mihi eodem redire videtur. Vide Sen. de vit. beat. XIV. 2. ut feras cum labore periculoque venamur et captarum quoque illarum sollicita possessio est, saepe enim laniant dominos: ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere captaeque cepere.

11. „Omnes homines roganti paratiores et doctiores in promptu sunt quam imperanti.

12. Publ. L 13 (303). L 14 (304). M 36 (344). Sen. de ir. III. 41, 4. nihil ergo habet in se utile teter iste et hostilis affectus, at omnia ex contrario mala, ferrum et ignes. pudore calcato caedibus inquinavit manus, membra liberorum dispersit. nihil vacuum reliquit a scelere, non gloriae memor, non infamiae metuens, inemendabilis, cum ex ira in odium obcalluit. Sen. Med. 590—593. Caecus est ignis stimulatus ira nec regi curat patiturque frenos: haud timet mortem, cupit ire in ipsos obvius enses.

13. Publ. F 7 (172). R 5 (573). Sen. de prov. V. 6. quid ergo est?

maluissem offerre quam tradere. quid opus fuit auferre? accipere potuistis. sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur nisi retinenti.

14. Haec sententia quid sibi vellet frustra quaesiverunt interpretes. Gruterus quidem vitium in v. remedium latere ratus adscito Herod. II. 96. quo loco Aegyptiorum navigia quaedam contra flumen meare non posse, nisi luculentus ingruat ventus, ceterum e terra protrahi tradit, pro remedium scribendum censet remigium: egregie enim hoc transferri ad vitam humanam, proinde ac si poëta idem moneat, quod Euripides apud Stob. Serm. CVI. aut Sen. ep. XX. 5 (122) 19. ne quis contra naturam nitatur. Quis vero est qui aut fraudem aut irritum putet, si quis novam, qua adverso flumine navis dirigi possit, rationem invenire studuerit? Contra flumen autem navigare et contra naturam niti non ita inter se similia sunt, ut alterum alteri par haberi possit: alterum enim fieri aliquo negotio potest, alterum omnino non potest. Cf. Iuv. IV. 89. nunquam direxit bracchia contra torrentem. Nec vero Bentleii coniectura versum sana sententia donavit. Veterum enim neminem unquam aut de fulminis vi frangenda aut eius rei remedio cogitavisse me legere memini: quod cum non processisset, postea contra fulmen remedium qnaerere perinde dictum esse, ut coepisse, quod fieri nequiret. Cum nec Gruteri nec Bentleii emendationem bene succedere viderem, aliud remedium circumspiciendum erat. Ac primum quidem in codicis F scriptura fraus est aliquid inesse sani videtur: tum vero flumen aurium lapsu depravatum ex vulpem credo. Vide praef. p. 17. Qua emendatione recepta a Publilio Graecum illud proverbium redditum esse apparet, quo dicitur *ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα.* Cf. Zenob. I. 70. in libro a Leutschio et Schneidewino edito, qui inscribitur Paroemiographi Graeci tom. I. p. 25. Ubi et ceteri scriptorum loci afferuntur et haec interpretatio: *ἐπὶ τῶν ἐξαπατᾶν ἐγχειρούντων τοὺς ὁμοίους.* Lenz. Zoologie d. alten Griechen u. Roemer. p. 120. Verbum Graecum Erasmus in Adag. p. 642. coll. p. 371. et 608. latine interpretatus est „vulpinari:“ quo verbo Varronem usum esse auctor est Nonius Marcellus p. 46. (ed. Gerlach. et Roth. p. 32.). Versus Publiliani verba sic construe: „remedium contra vulpem est fraudem quaerere.“ Remedium enim et cum genetivo et cum praepositionibus contra vel adversus coniungitur cf. Sen. de ir. II. 20, 4. ep. VI. 4 (56) 15. Quint. IV. 2, 101. V. 2. 5. Vulpem autem astuti hominis persona in fabulis donatam etiam ad ceteros scriptores pervenisse non latet cf. Lucret. V. 863. Cic. off. I. 13. Hor. A. P. 437. Pers. V. 117. Quamobrem sententia nullam ab astuto homine defensionem nisi fraude esse docet. Qua de sententia cf. Publ. Q 10 (510). Plaut. Bacch. IV. 4. 4. callidum senem callidis dolis compuli et perpuli mihi omnia ut crederet. Liv. 21. 34. ibi non bello aperto, sed suis artibus fraude et insidiis est prope circumventus. 23, 35. Sen. Agam. 630. 631. et licuit versare dolos, ut ipsi fraude sua caderent Pelasgi.

15. Beneficium eius interpretamentum videtur, quod A. Spengelium recte reposuisse credo, officium. De quo corruptelae genere vide praef. p. 15. Inter officium et beneficium quid intersit docet Sen. de benef. III. 18, 1. beneficium esse quod alienus det, qui potuerit sine reprehensione cessare, officium esse filii, uxoris, earum personarum, quas necessitudo suscitet et ferre opem iubeat. De sententia cf. Publ. Q 39 (539). Sen. de benef. II. 1, 3. optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi. illud melius occupare, antequam rogemur, quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat et suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicet munus suum. Sen. de benef. II. 2, 1. molestum verbum est, onerosum, demisso vultu dicendum rogo. huius

facienda est gratia amico et cuicunque, quem amicum sis promerendo facturus. properet licet, sero beneficium dedit qui roganti dedit.

16. Alii aliam in verbis latere sententiam putaverunt. Casp. quidem Orellius versum sic scripsit: Reddit, non perdit, qui suum quoique tribuit; Hauptius Phil. I. p. 666.: Reddit non perdit, quoi quod alienumst perit; Ribbeckius: Reddit non perdit, quoi quid alienum fuit, probante Woelfflino; Meyerus in Act. Mon. 1872. tom. IV. p. 556.: Reddit, non perdit, alienum qui perdidit, coll. Cassiod. Var. 6, 8. sine damno inventa perdit qui propria non perdit. Equidem sententiam de aere alieno esse, suspicor, quo reddito qui persolvit non iacturam, sed lucrum faciat. Persolvit enim, quod in T est, cum Ribbeckio et Woelfflino interpretationem esse consentio (cf. Proleg. p. 48.), sed non verbi reddit, quod egere interpretatione non videtur, sed eius dictionis, quam in codicis Turicensis verbis inesse arbitror: numeratum habet i. e. numerat: qua de loquendi formula vide Ruhnken. dict. ad Ter. Eun. II. 3, 92. p. 111. et Hec. IV. 2, 6. p. 227. ed. Schopen. Qua coniectura admissa ne reddit quidem stare poterit: sententia enim nihil novi praedicaret, si qui aes alienum persolveret, eum reddere, non perdere doceret. His causis eo deductus sum, ut pro reddit reponerem redimit i. e. emendo recipit vel restituit. Est enim redimere de captivis et nexis in libertatem vindicandis vel recuperandis vocabulum proprium cf. Swedberg. ed. Publ. 3 (A 19.). Ernesti. clav. Cic. s. redimere. Itaque haec sententia videtur docere, qui alienum numeret, eum non perdere, sed recipere.

17. Quem versum finximus ex S. Augustini verbis. eius haec est sententia. a quo homine absit religio, eum pessimum quodque libidinis genus possidere. Vitia exsulare dixit Plaut. Pers. IV. 4, 7. perfidia et peculatus ex urbe et avaritia si exsulant.

S 1. Sententiam ex versuum numero movendam esse censet Spengelius ut prosa oratione scriptam cf. praef. p. 6. Sed in hoc quoque versu, ut in multis aliis vidimus, verborum ordo a librariis ad grammaticam construendi rationem detortus est. Vide praef. p. 14. Nec ullam coniunctivi possit causam reperio, sed omnino indicativus potest vel pote postulatur; nos dicimus „als er wirklich kann.“ Cf. Sen. de tranq. anim. VI. 3. necesse est re ipsum aestimare, quia fere plus nobis videmur posse, quam possumus. De sententia comparat Gruterus Liv. 1, 10. sed effuse vastantibus fit obvius cum exercitu Romulus levique certamine docet vanam sine viribus iram esse.

2. Verborum ordo ex grammatica structurae ratione mutatus est. De sententia cf. Plaut. Most. V. 2. 43. si hoc pudet fecisse, sumtum supplicii habeo satis. Ter. Ad. IV. 5, 9. erubuit: salva res est.

3. Corrigere sanum videtur, si quidem est prava arbitrio et potestate sua emendare, ut curva corrigere proverbio dicuntur, qui ea corrigere se posse putant, quae nimis iam inveteraverunt. Vide Forcellini. Lex. v.

4. Sapiens cum id cogitando agat, ut omnia mala patefaciat, remedia doceat, oratione castiget: fieri non potest, quoniam omnes homines vitiis laborare videt, quin nullo discrimine omnes aggrediatur. Comparat Gruterus comici illud Graeci: ὅπλον μέγιστόν ἐστιν ἡ ἀρετὴ βροτοῖς.

5. „Pii ac grati est meminisse, quis hominum optime de te furit meritus.“ Orellius.

6. „Quo melior est quisque, hoc saepius ferre te consuevit sine ullo delectu furentem et inter ipsa beneficia metuendam“ Sen. ad Polyb. de consol. II. 7.

7. Sensus i. e. iudicium cf. Cic. Or. I. 3, 12. quod longissime sit ab imperitorum intellegentia sensuque disiunctum. Ernesti. clav. Cic. v. De sententia cf. Plaut. Trin. II. 2, 88. non aetate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

8. Publ. N 63. Sen. ep. I. 9. 21. ut scias autem hos sensus communes esse, natura dictante, apud poëtam comicum invenies: Non est beatus, esse se qui non putat. ep. XIX. 1 (110) 20.

9. Scripsi requiscendo cf. Publ. S 24 (607) et laborem, ut haec versus sententia prodeat: „Cum sapiens, qua est patientia, nihil agat nec iniuriam ulciscatur: efficit, ut homines mali eo plus iniuriae facere studeant. Dare enim laborem est iniungere vel imponere, requiescere autem a labore cessare, ita ut requies opponatur labori cf. Cic. off. III. 1. Cat. Mai. 23, 82. Sen. de benef. VII. 31, 3. ep. XVI. 1 (96) 5. XX. 6 (123) 4. Summam in sapiente animi constantiam et tranquillitatem esse debere cum veteres omnes philosophi, tum Stoici docuerunt. Itaque Cicero Tusc. IV. 17. ergo hic, quisquis est, inquit, qui moderatione et constantia quietus animo est sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis nec frangatur timore nec sitienter quid expetens ardeat desiderio nec alacritate futili gestiens deliquescat. is est sapiens, quem quaerimus, is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum aut nimis laetabile ad ecferendum videri potest. Hinc credendum, est, cum sapiens illi animi tranquillitati se totum dederit, eum nulla re, ne improborum quidem hominum iniuriis impelli posse, ut ulciscatur, poenas repetat, facinorosos coërceat, tollat. Quo fit, ut isti quibus sapientis patientia parcit, eo plura agant, moliantur, eo plus laboris sibi sumant eoque magis laborent et negotientur. Sententia igitur cum ea convenire videtur, quam saepenumero audivimus: „Wenn die Braven die Hände in den Taschen haben, dann finden die Fäuste der Buben zu thun.“ Cf. Publ. Q 35 (535).

10. Haec Shakespearius Haml. V. 2 (tom. VI. p. 151. ex vers. Schlegeliana):

— — — — Lasst uns einsehn,
Dass Unbesonnenheit uns manchmal dient,
Wenn tiefe Pläne scheitern; und das lehr' uns,
Dass eine Gottheit unsre Zwecke formt,
Wie wir sie auch entwerfen.

11. Et deest monosyllabum cf. Publ. E 5 (151). H 27 (229). T 3 (628). et opus sic collocandum mihi videtur, ne syllaba vocabuli ultima positione, quae vocatur, affecta producatur: positionem enim apud Publilium vim suam retinere credo. Cf. Spengel. praef. p. 9. De sententia haec Bothius: „Non semper hoc fieri dicendum est malimque sane Consilium saepe tunc etc.“ Sed semper fieri Publilius, quod ferme solet usu venire, promtius et vehementius quam accuratius dixit.

12. Menandr. monost. 223. *ἡ γὰρ σιωπὴ μαρτυρεῖ τὸ μὴ θέλειν.*

13. Liv. 21, 29, 7. sed magis iter immensum Alpesque, rem fama utique inexpertis horrendam, metuebat coll. 32, 7. Sen. de const. sap. XIX. 3. omnia leviora accident exspectantibus. ep. XIV. 3 (91) 3. inexspectata plus adgravant. ep. XVIII. 4 (107) 4. Sen. Troad. 516. levius solet timere, qui propius timet. Quint. IV. 5, 13.

14. Fides homini pauperi felicitas est.

15. Interesse inter timere et metuere poëta hoc videtur voluisse, ut timere ignavi, metuere prudentis esset. „Si nullo timore cruciari velis, fac omnia provideas.“ Quod quidem noluit Sen. nat. quaest.

VI. 2, 3. cum scriberet: Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda. Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII.

16. Cf. Publ. M 65 (373). Et nimis adstrictum imperium nimis solvi docet Caec. Balb. p. 32. Mon. XXXIX. 2 (Sent. 86.).

17. Electram, Proserpinae nutricem, cum rapta illa esset, graviter dolentem inducit Claudian. de rapt. Proserp. III. 178. Cf. Ceteros locos a Grutero allatos in Notis postumis.

18. Saepius in his sententiis pronomen ipse, quod ex nostro loquendi usu ad reflexivum addi solet, omittitur cf. A 13. B 21 (64). C 38 (654). H 4 (206). I 5 (234). I 31 (260). I 43 (273). L 15 (306). M 13 (321). N 30 (406). N 45 (421). P 34 (483). Q 37 (537). Q 56 (556). Q 62 (562). S 21 (604). S 31 (614). Additur ipse aliquot his locis N 39 (415). P 15 (464). P 24 (473). Q 45 (545). Q 70 (672). S 32 (615). S 36 (619). Deleto igitur pronomine ipse ante admissi inserui iam: quam ipsam particulam supra reponendam putavi in simili sententia Publ. G 3 (196). Ex qua sententia etiam illud cognoscitur non v. pudet. sed v. poenitet locum esse. Cf. Menandr. monost. 667. ἡ δὲ μετάνοια γίγνετ᾽ ἀνθρώποις κρίσις. Sen de ir. III. 26, 2.

19. Suum Publilio monosyllabum esse nego cf. Publ. M 29 (337). Semper autem frigere nonnihil, ut malit propemodum: „Suum consequitur l. innocentiam“ adnotat Bothius, qui Schwarzii interpretationem hanc Germanicam secutus: „Der Unschuld folgt ihr eignes Licht beständig“ pro innocentia, quod in F est, innocentiam scripsit. Illud constat adverbii semper eam vim esse ut versus aut primam sedem cf. S 1 (584). S 8 (591). S 11 (594). S 13 (596). S 24 (607). S 37 (620 aut ex prioribus unam obtineat, nunquam in versus exitum recedat cf. I 18 (247). I 38 (268). I 44 (274). I 59 (289). M 22 (330). N 1 (377). N 36 (412). Q 11 (511). S 9 (592). Quamobrem olim: Suum usque sequitur l. i. lectum fuisse cumque usque propter litterarum similitudinem intercidisset, semper ante innocentia illatum esse suspicor. Est autem usque in his quae exstant Publilii sententiis nusquam inventum, sed ab optimo quoque poëta Latino usurpatum idem ac sine ulla intermissione, continuo, perseveranter. Virtutis vero vel innocentiae cum ea natura ac potestas sit, ut ipsa per se illustris quasi lucem praemittat, qua ingrediatur (cf. Sen. de vit. beat. XIII. 5. agedum. virtus antecedat: tutum erit omne vestigium. de benef. IV. 17, 4. maximum hoc habemus naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum permittit: etiam qui non sequuntur, illam vident): sequi se ipsa dicitur et urgere gravissimam comitem cf. Sen. de tranq. anim. II. 14. Quemadmodum enim viator suo ipse lumine ita illustratur, ut idem et cernat et cernatur: sic innocens homo capite cincto quasi lumine radiato suam ipse viam nullo duce ac monstrante invenit. Innocenti enim non opus est monitoribus aut praeceptis, ad quae agendi rationem dirigat, sed adeo sibi boni rectique conscius est, ut sponte sua nulloque aut viam monstrante aut lumen praeferente inveniat, qua cum virtute insistat. Hoc illud est quod in animo simplici ac sincero Schillerus, poëta clarissimus, carmine illo notissimo (Werke tom. I. p. 403) praedicat: „Und was kein Verstand der Verständigen sieht, das übet in Einfalt ein kindlich Gemüth.“ Ut de innocentia, ita de ratione, vitae duce sententiam similem hanc edidit Herderus carmine, quod inscribitur „der Mensch und sein Schatte“ (cf. Werke zur schönen Litt. u. Kunst tom. XV. p. 18): „Deines Lebens Sonnenlicht ist Vernunft; die fliehe nicht. Wird sie dir im Rücken stehn, wird dein Schatten vor dir gehn.“

20. Alium secundi pedis anapaestus offendit et Bothium et Spen-

gelium cf. praef. p. 18. Ea de re disputatum est ad Publ. P 6 (455). Parum acuminis in sententia videtur, si ita ulcisci velle, ut quis non ab alio, sed a se poenam repetat, stultum esse dicatur. Quid quod animi etiam considerati est, qui ira incensus alium ulcisci ita velit, ut ipse pereat, dum hostis aut una pereat aut aliquid certe damni ex suo interitu capiat. Ut alia exempla taceam, ex antiquis Saguntinos, ex recentibus Moscovienses memoro. Diversa est ea sententia, quae paullo infra legitur, Publiliana S 28 (611): quae quidem ita expressa est, ut eius stultitia cognoscatur, qui vicinum ita ulcisci velit, ut illius, non suae domo ignem subiciat, quasi vero incendium intra vicinae possessionis terminos finiri debeat. Quare has duas sententias similes quidem, sed tamen ita diversae videntur, ut non alteram ex altera praepostere effictam esse credam. Cf. Spengel. praef. p. 18. Haec autem sententia, de qua quaerimus, nescio an sic emendari possit, ut stultum eius consilium, qui ulcisci voluerit, proprio quodam verbo definiatur, quo pro damno illato ab alio poenam repetere dicatur. Idque mihi talione dici videtur: quod ipsum vocabulum iuxta v. alium positum propter litterarum similitudinem intercidisse arbitror. Vide praef. p. 18. Vocabulum quidem ex antiquissimo Romanorum iure XII. tabularum legibus sancto repetitum cf. Fest. de verb. signif. ed. Lindemann. tom. II. 1, 274. ed. O. Müller. p. 363. „talionis mentionem fieri in XII ait Verrius hoc modo: Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto." Exercebatur sane ius talionis primum in iis iniuriis, quae ad corpus laesum pertinebant; tum vero cum praetorum edictis abrogatum litisque aestimatione commutatum esset, dictiones illae, quibus quis naturali quodam iure iniuriam sibi illatam ulcisci dicebatur, aliquamdiu manserunt. Unde dicebatur talione sive per talionem ulcisci. Cf. Sen. Controv. V. 33. p. 348. ed. Bip. Excerpt. Controv. III. 1. p. 401. 402. ed. Bip. Sen. de ir. II. 32, 1. ep. XI. 2 (81) 7. Plin. NH. VII. 54, 55. Quint. VII. 2, 21. 4, 6. VIII. 5, 12. Mart. epigr. XII. 63. Gell. NA. XX. 1, 14. Walter. Gesch. des Röm. Rechts p. 809. 848. Rein. Röm. Privatr. u. Civilproc. p. 348. 349. Iam vero hoc versus sententia docet, qui ira abreptus alium per talionem ulcisci velit, eum irroganda sibi, quam alii velit, poena stulte agere. Comparant Menandr. monost. 152. ἐχθροὺς ἀμύνου μὴ 'πὶ τῇ σαυτοῦ βλάβῃ. Publ. I 13 (242). Sen. de ir. I. 1, 1. hic totus concitatus et in impetu doloris, armorum, sanguinis, suppliciorum minime humana furens cupiditate, dum alteri noceat, si neglegens, in ipsa irruens tela et ultionis secum ultorem tracturae avidus. Ribbeck. Coroll. p. XCVII.

21. Nec id quod proposuit Orellius, placet, cum sibi primum auxilium rapere intellegat arripere i. e. suae tantum saluti consulere ceteris posthabitis, nec pro primum scribentis primo Bothii coniectura. Est enim primum auxilium praecipuum, optimum, plurimi aestimandum cf. Fabri. ad Sall. Cat. 36, 4. De sententia cf. Publ. P 19 (468).

22. Publ. N 22 (398). S 38 (621). Sen. Oct. 440. nihil in propinquos temere constitui decet. Caec. Balb. p. 37. Par. 2 (Sent. 158).

23. Nemo est quin neglectam versus quadrati diaeresin vitiosam esse videat. Cui rei cum Bothius mederi conaretur, vulnus, sententiae subiectum, quod dicitur, relativae enuntiationi sic intulit, ut pro praedicato esset: quae orationis componendae ratio a Publilio aliena est. Itaque verbo ferendum quasi diviso reposui fers crudum. Est autem vulnus crudum recens et quasi adhuc cruentum cf. Ovid. Trist. III. 11, 19. vulnera cruda retractet, et ep. ex Pont. I. 3, 16. horrent admotas vulnera cruda manus. Plin. ep. V. 16 extr. ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat. Stat. Theb. III. 334. 335. vacua

iacet hostis arena turpe gemens crudosque vetat sentire dolores. Qua admissa coniectura haec versus sententia est: „Non dolet vulnus, quamvis crudum sit, si victoria potitus vulnus geras."

24. De secundi pedis anapaesto cf. Publ. P 6 (455): u vocalis pronuntiatione oblitterari vel delitescere videtur, ut apud Phaedr. III. 19, 5. IV. 21, 4. De sentententia cf. Publ. C 31 (116). S 15 (598).

25. Publ. I 63 (264). Comparat Gruterus Flor. I. 46 (III. 11): nec de fortuna queri possumus; caret solacio clades.

26. Quod in codice F est, abstulert explicandum videtur abstulerunt, ut Q 55 (555) defendert esse defenderunt, S 6 (589) fert esse ferunt explicui. Versum ex mala illa verborum transpositione, quae rationem grammaticam sequitur, depravatum esse censeo. Nam cum verba sic olim legerentur, ut scripsi, haec ad rationem grammaticam transposita primum ita videntur secuta esse: Scit hora nulli, multi quod anni abstulerunt, reddere; tum vero verbo nulli vicinum v. multi ita nocuisse, ut intercideret, atque sententia in hunc modum transformata esse: Scit hora quod multi anni abstulerunt reddere vel cum librariis ne verbi quidem scit apud poëtas vis ac potestas cognita esset. solet h. q. m. a. a. r. Ea vero sententia, quam, ut dixi, ortam esse docui, vix iustam interpretationem admittit. Hora cum proprie sit quarta et vicesima diei particula, etiam latius patet, ut anni tempus aliquod significet cf. Hor. Carm. I. 12, 15. 16. III. 13, 9. 10. Tib. IV. 1, 50. 51. Plin. NH. IX. 35, 54, XII. 3, 7. Itaque a poëtis ita usurpari solet, ut aut breve aut certum aliquod temporis spatium significet. Iam quid, quaeso, quod multi anni abstulerunt, reddere possit hora? an opes et divitias? At eas nec temporis longinquitas, sed brevitas eripere, nec hora, sed inopinatum, ut fere fit, fortunae beneficium momento reddere solet. an res quasdam utiles, quae diu amissae credantur, sed casu quodam in conspectum repente redeant? At eas nec multis annis i. e. longa aetate, sed per oblivionem vel neglegentiam ablatas nec ablatas, sed latentes remotasque recte dicas. Cogitavit Gruterus de iis rebus, quae in memoria haerentes per longum tempus aut intereant aut revertantur: unde etiam alios quosdam duos similis argumenti versus attulit alterum: „Hora saepe reddit una quod decennium abstulit." alterum: „Multa nulli cogitata temporis punctum attulit." Quae interpretatio propterea displicet, quod in nullo versus vocabulo eius sententiae vestigium monstratur: quae explicari posset, si haec verba legerentur: „Solet hóra, quod menti ánni abstulerunt, réddere." Nec vero illud recte intellegitur, quod saepe quicquid perierat adsidua infelicis soli sterilitate, unius anni restituere ubertatem dicit Sen. ep. XI. 2 (81) 1. Nam nec horam dicit Seneca, sed annum, nec Publilius agricolis, sed hominibus praecepta tradit. Restat, ut id, quod multi anni abstulerunt, interpretemur esse animi corporisque vires longa aetate vel senectute diminutas et exstinctas. Eas vero hora reparari solere nemo ne Baiis quidem perfusus credet. Et recte Publilius F 20 (185) frustra senem adolescentiam repetere et Seneca ad Marc. de consol. XXI. 7. mortem sub ipso vitae nomine latere dicit, ut infantem in se pueritia converterit, pueritiam pubertas, iuvenem senex abstulerit. Quamobrem haec, de qua quaerimus, sententia docere non potest, quod longa aetas abstulerit, id hora reddi, sed id nulla hora reddi docere debet. Atque id ipsum eo, quod proposui, mihi videor assecutus esse.

28. Similem, sed paullo diversam sententiam scriptam vidimis apud Publ. S 20 (603). Cf. Sall. Cat. 31, 9. incendium meum ruina restinguam. Sen. de clem. I. 25, 5. 26, 5.

29. Soph. Antig. 618—620. ed. Herm. *τὸ κακὸν δοκεῖν πότ' ἐσθλὸν τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.*

30. Tib. II. 6, 19. Publ. A 57. M 52 (360).

31. Publ. I 28 (257). V 11 (639). Comparat Spengelius praef. p. 8. (17). Caec. Balb. p. 33. Mon. XLVIII. 2. (Sent. 156).

32. Quem improbum noverunt, eum non modo fugiunt omnes, sed si quid acciderit, suspicione premunt.

33. Haec sententia saepius a Publilio decantata est cf. B 39 (82). M 5 (313). N 54 (430). Sen. ep. X. 2 (78) 2.

34. Publ. L 7 (298). Menandr. monost. 338. *μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.* Ribbeck. Coroll. XCVII.

35. Liberare quod scripsi est absolvere cf. Cic. Mil. 18, 47. Schuetz. Lex. Cic. v. liberare. Complures eiusdem aut certe similis argumenti sententiae Publilianae I 28 (257). I 55 (285). N 18 (394). N 45 (421). Q 28 (528). Q 35 (535).

36. Rivales dicuntur aemuli de mulieribus facta translatione nominis a feris bestiis, quae sitientes cum ex eodem rivulo haustum petant in proelium contra se invicem concitantur. Cf. Donat. ad Ter. Eun. V. 8. 42. Publ. R 7 (575).

39. Cic. Off. III. 25. neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens; reddere peccatum sit, non reddere officium.

40. Nomen di ante diligunt in F intercidit: quod corruptelae genus in libris frequentissimum est. Vide praef. p. 18. Haec ad Ter. Andr. V. 6, 9. Ruhnkenius: „His autem verbis summa felicitas describitur." Est enim is quem di diligunt homo felix vel fortunatus, qui eximia fortuna auctus et provectus omnes ceteros longe superat: nos dicimus „Glückskind" vel ut Platenius interpretatus est in hymno, quem ad Leuchtenbergiam, mulierem regiam, de consolatione misit: „Wer der Gottheit süsser Liebling" (cf. Werke tom. II. p. 252. ed. 1848.). Dictionem de Graecis videntur repetivisse comici Latini. Sic enim Menander *ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.* De sententia cf. Anthol. I. p. 83. epigr. 3. *ὅταν στυγῇ τις ἄνδρα, τὸν θεὸς φιλεῖ, οὗτος μεγίστην μωρίαν κατεισάγει,* idemque eodem capite: *ὦ τῆς μεγίστης τοῦ φθόνου πονηρίας· τὸν εὐτυχῆ μισεῖ τις, ὃν θεὸς φιλεῖ.*

41. In Ingolstadiensi scriptura non tam secundi pedis spondeus uno verbo inclusus, quam quod pro usura est in F inveniatur. Nauckii suspicionem movit cf. Mél. Gréco-Rom. in Act. Petrop. 1869. III. p. 197. Quod mihi contra accidit: neque enim spondeum recte stare credo et totum verborum ordinem a librariis perturbatum esse verba ex grammatica construendi ratione collocata ostendunt. De adverbio sat cf. Publ. P 54. S 44 (678). De sententia vide Menandr. monost. 295. *καλόν τι θησαύρισμα κειμένη χάρις.* Publ. O 9 (444). Sen. ep. XI. 2 (81) 18. ingratus est qui beneficium reddit sine usura.

42. Verborum ordo in F turbatus ad Publ. R 14 (582) exemplum restituendus videtur. Cf. Publ. S 41 (624). De sententia vide Sen. Thyest. 485. serum est cavendi tempus in mediis malis. Sen. ep. III. 1 (22) 1. Vetus proverbium est gladiatorum in arena capere consilium. Quint. VI. 4, 8.

43. Probavi Woelfflini emendationem, quam eandem Froehlichii dicit Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 557. v. 112. Cf. Publ. A. 28. „Qui rem suam servat, idem communem omnium salutem constare cupit, cum ne suum quidem salvum nisi republica salva fore intellegat".

45. Inserui unius ante animus, ut haberet omnium, quo referre-

tur. Cf. Publ. C 25 (110). F 6 (171). I 14 (243). M 2 (310). M 18 (326). M 53 (361). M 55 (363). Q 35 (535). T 5 (686). „Qui facile se unius alicuius suspicione prehendi patitur, adeo promptus est ad suspicandum, ut non minus unius illius hominis insidias, quam omnem naturam atque indolem humanam ut perfidam et insidiosam cavendam arbitretur.“ Suspicacem animum dixit Tac. An. I. 13. De sententia cf. Plaut. Trin. I. 2. 41. 42.

46. Scripsi probato, quod singulos, non plures eiusdem generis homines poëta solet appellare cf. A 11. D 20 (142). E 2 (148). E 9 (155). H 22 (224). H 23 (225) al. Quamquam numero plurali non prorsus abstinuit cf. A 36. 45. E 1 (147). E 16 (162). F 10 (175) al.

47. In paucis versibus est quos Turicensis liber sanos ad posteritatem transmisit cf. Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 557. v. 119.

48. De sententia cf. Publ. C 24 (109).

49. Etiam ab exordio versus non tam falso remotum, quam eo male translatum esse puto. Pro autem scripsi muta: unde hoc docet sententia homini malefico poenam longe gravissimam imponere animi conscientiam, quamquam eam nec iudices ulli certa lege definierunt nec ceteri a damnato illo, cum tacitus sustineat, sustineri sentiunt. Ut legem mutum magistratum dicit Cic. Leg. III. 1. De sententia cf. Sent. falso inter Publ. recept. 212.

50. Illa scripturae discrepantia, quae in T et O apparet, suadet neutram recte se habere, sed in utraque interpretationem verae scripturae deprehendi. De dictione pro se cf. Publ. S 51. Caec. Balb. p. 28. Mon. XXVI. 2. (Sent. 171.).

51. Pro se i. e. pro causa sua.

T. 1. Hor. Carm. II. 2, 1. 2. Cassiod. IV. ep. 34. prudentiae mos est in humanos usus terris abolita talenta revocare commerciumque viventium non dicere mortuorum: quia et nobis in fossa pereunt et illis in nulla parte profutura locantur.

2. Homo stultus, dum tacet, pro sapiente habetur: unde illud in proverbium abiit: Si tacuisses, philosophus mansisses. Comparat Gruterus Salam. prov. XVII. 28. Cf. Publ. P 43 (492). Proverb. 120.

3. Gruterus duplicem versum induxit et senarium hunc, quem posuimus, et quadratum versum: „Tam deest, quod habet, avaro, quam misero, quod non habet.“ Nemo hodie est, quin alterum versum per interpretationem ortum esse videat: quamquam avaro non tam miser, quam pauper aut egenus contrarius esse debet. Haec Erasmus: „Avarus non magis utitur suis, quam alienis: utrisque igitur ex aequo caret“. Cf. Pseudo-Sen. de remed. fort. X 3. Fragm. ed. Fr. Haasii. vol. III. p. 451. „multum habet.“ Aut avarus aut prodigus est: si prodigus, non habebit, si avarus, non habet.

4. Pervicax ulciscitur mihi interpretatio eius videtur, qui graviter irascitur interpretari voluerit. Sapiens vero, quod est in O, depravatum est ex sana mens: non enim sapientis est irasci.

7. Caec. Balb. p. 34. Mon. XLVIII. 1. (Sent. 108.).

8. De sententia cf. Publ. L 11 (302).

V. 1. Fatum, quod vocant Graeci τὴν εἱμαρμένην, ordo seriesque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat (Cic. Div. I. 55, 125.) vel sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum (cf. Gell. NA. VII. 2, 1.) peccat, cum tanquam certo rerum ordine laeso prodigiosa quaedam ac pestifera procreantur. De qua v. peccare vi ac potestate cf. Hor. Carm. III. 27, 20. Sen. nat. quaest. VI. 14, 2. ita terris quoque dum positio naturalis est, inconcussae manent. Cum aliquid peccatur, tum

velut aegri corporis motus est. ep. VII. 1 (63) 14. **Excidit** proprie quod quasi de manibus humi delapsum ad irritum redigitur cf. Cic. Cat. I. 6, 16. Pis. 9. ep. ad Brut. I. 10. Ovid. Met. II 601. Prop. III. 1, 63. Sen. ep. XVI. 3 (98) 11. 4 (99) 5. Quint. II. 17, 25. **Excidunt consilia**, cum sic deficiunt, ut priusquam verbis concipiantur, interiisse videantur. Quare hoc versus sententia docet, si qua nova atque insolita contra naturae legem et ordinem fiant, hominum animos ita mente destitui, ut sibi consulere nesciant. De sententia cf. Sen. Oct. 922—926. Regitur fatis mortale genus, nec sibi quicquam spondere potest firmum et stabile, per quae casus volvit varios semper nobis metuenda dies.

4. **Cogitare** quod non persona, sed res dicatur, Bothium movit, ut aliam verbi significationem circumspiceret. Itaque **cogitant** interpretatus est **cogunt** vel **congregant**, *συνάγουσι*, ducta metaphora a nubibus, quas multi dies colligerent coelo, dum effunderetur imber. Quod etsi nonnullis inferioris latinitatis exemplis—nam Phaedri locus abs re alienus videtur—probare studuit, tamen Publilianum esse negaverim. Scripsi itaque quod ad litterarum similitudinem proxime accedit **coquunt**: quo verbo utuntur de fructibus, qui solis fervore coelique temperie ad maturitatem adduci dicuntur cf. Varr. R. R. I. 54. Verg. Georg. II. 522. Mart. epigr. X. 62, 7. Sen. Hippol. 968. Quare haec est versus sententia: Unus tandem dies poenam nocenti producit, cuius maturitatem multi dies, qui antecesserunt, videntur praeparavisse. De sententia cf. Sen. ep. XIV. 3 (91) 6. Quicquid longa series multis laboribus, multa deum indulgentia struxit, id unus dies spargit ac dissipat: longam moram dedit malis appropinquantibus, qui diem dixit: hora momentumque temporis evertendis imperiis sufficit.

5. Xen. Cyrop. VII. 5, 86. *αὐτοί τε γὰρ βελτίονες ἐσόμεθα βουλόμενοι τοῖς παισὶν ὡς βέλτιστα παραδείγματα ἡμᾶς αὐτοὺς παρέχειν.* Plut. quaest. Rom. p. 272. C. *ὅπου γὰρ γέροντές εἰσιν ἀναίσχυντοι, ἐνταῦθ' ἀνάγκη καὶ νέους ἀναιδεστάτους εἶναι.* Cic. off. I. 34. Sen. ep. XIX. 5 (114) 18. vides autem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est.

6. Bothius cum versum ut ineptum aut corruptum omiserit, tamen talem fuisse suspicatur, qualem et Casp. Orellius probavit et scripsit Woefflinus codicis Turicensis scripturam secutus. Scilicet nihil sani in eo est, quod posuit Gruterus, quod Nisardus sic interpretatus est: „Dès que l'on craint, il n' arrive rien qui soit à craindre.“ Hoc sententia vult, sicubi nihil sit, quod timeatur, periculum esse, ne exsistat, quod timeatur: nusquam enim res humanas metu carere.

7. Versum corruptum viri docti varie emendare conati alii poëtam civis boni patriaeque amantissimi, alii mundani civis sententiam expressisse arbitrati sunt. At et illa trita et vulgaris est neminem ubicunque bene sit patria carere posse nec haec nova, quam posteris laudavit Teucer ille Horatianus, quocunque exsules ferret melior fortuna parente, non esse quod desperarent. A qua veteres plerosque, cum patriae caritate nihil sanctius iudicarent, adeo abhorruisse constat, vix ut Publilium eam suis versibus commendare voluisse credam. Nam quod Seneca ad Helviam de consol. VIII. 5. nullum ait inveniri exsilium intra mundum posse alienum homini et IX. 7. omnem locum sapienti viro patriam esse; unde etiam illud profectum est, quod in omnium ore est, patriam esse, ubicunque bene sit (cf. Pseudo-Sen. de mor. 13.): tantum abest ut verum et genuinum antiquitatis sensum voluntatemque exprimat, ut philosophorum quorundam ab communi hominum vita et usu alienorum doctrinam tetricam atque horridam redoleat. Quod mecum reputanti longe alia versus emendandi ratio melior mihi visa est, ut et scriberem **ubi absis**

patria et post patria insererem tua: quod vocabulum facile fieri poterat propter litterarum similitudinem ut intercideret. Qua admissa scriptura duo explicandi causa addere operae pretium est. Quod enim bis legitur ubi, alterum adverbii, alterum coniunctionis locum obtinet. Atque eam vocabuli eiusdem soni, sed diversae potestatis geminationem etiam aliis locis reperias, ut apud Catull. 62. 45. sic virgo dum intacta manet, dum cara suis est, ad quem locum Quint. IX. 3, 17. adnotat: „cum prius dum significet quoad, sequens usque eo;“ aut apud Verg. Aen. II. 183. 184. hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso effigiem statuere, quo loco prius pro significat in locum, posterius in poenam; aut apud Cic. Verr. IV. 45, 102. qui id potes, qui ne ex viro quidem audire potueris? aut apud Liv. XXII. 25, 9. tandem, ut abscesserit inde dictator, ut obsidione liberatos extra vallum egressos fudisse ac fugasse hostes. Restat alterum, de quo dicendum videatur. Ut enim tua, sic cum tuis de rebus intellegas, quas tecum habeas, ita ut tuis pro neutr. plur. accipiendum sit cf. Ovid. Met. IV. 687. nondum memoratis omnibus. Accedit quod ipsum tua, quod sequitur, quo genere tuis dicatur, satis aperte indicat. Exsulis quidem bona nulla erant (cf. Liv. XXV. 3. Quint. VII. 1, 57.): sed morem aliquando fuisse accepimus, ut viatici multum in exsilium asportarent cf. Sen. ad Helv. de consol. XII. 4. me quidem quotiens ad antiqua exempla respexi, paupertatis uti solaciis pudet, quoniam quidem eo temporum luxuria prolapsa est, ut maius viaticum exsulum sit, quam olim patrimonium principum fuit. Itaque haec versus sententia videtur: „Ubicunque sis cum rebus tuis omnibus, si patria careas, istis, cum apud te sint, tamen gratuito fruaris, proinde ac si non sint apud te et deficientium adeo desiderium te torqueat: patriae enim domicilium bonis demum omnibus verae voluptatis sensum ab fructum tribuit.“ Cf. de sententia Publ. E 9 (155).

8. De sententia cf. Soph. Phil. 108. 109. *οὐκ αἰσχρὸν ἡγῇ δῆτα τὰ ψευδῆ λέγειν; — οὐκ, εἰ τὸ σωθῆναί γε τὸ ψεῦδος φέρει.* Diphil. apud Stob. Flor. t. 12, 12. *ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ λεγόμενον οὐθὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές,* Cic. Lig. V. 16. Quint. XII. 1, 38. Mart. Dum. de form. hon. vit. V. 5. (Sen. Fragm. ed. Fr. Haasii. vol. III. p. 474.) quodsi aliquando coarcteris uti mendacio, utere non ad falsi fructum, sed ad veri custodiam.

10. Huius versus potius sententia divinanda, quam verba explicanda sunt; hoc enim videtur docere agriculturam vel pacis artes bello utiliores esse. Illae autem describuntur verbis „vero in sulco,“ quibus vix aliud nisi aratri vomer terram findens significatur. Sed veru quod scripsit Ribbeckius, de vomere dici non memini: itaque pro vero scribendum ferrum videtur, quo vocabulo vomerem dici testes sunt Verg. Georg. I. 50. et Lucret. V. 1295. Hoc autem si constat, ferro necesse est non armaturae aliquam partem, sed aliud metalli genus recte opponi ad usum militarem aptum, quod cum ferro collatum hoc ipso inutilius inveniatur. Quamobrem ne verba quidem gravis galea locum merito obtinent, sed gravi corruptela videntur depravata et obscurata. Equidem hic olim, si versus fuit Publilianus, aurichalcum vel orichalcum lectum fuisse suspicor. Quo de metallo veteres diversa ac mirabilia memoriae prodiderunt. Nam cum Plauto scriptum aurichalcum sit pretiosissimum atque ipso auro carius (cf. Plaut. Curc. I. 3, 46. Mil. III. 1, 68. Pseud. II. 3, 22.) ipsorum veterum alii atque opinor intellegentiores rerum aestimatores iam scriptum orichalcum metalli genus facticium atque ex aere (Kupfer) et Cadmea terra (Galmei) mixturam eam intellexerunt, quae hodie appellatur Messing cf. Plin. 34, 2,

2. 37, 9. 42. Strab. XIII. 1. p. 609. Steph. Byz. Ἄνδειρα. Fest. ap. Paul. Diac. excerpt. v. aurichalcum p. 9. coll. v. Cadmea p. 47. ed. Odofr. Müller. Lenz. Mineralog. d. alt. Griech. u. Röm. p. 109. not. 389. Eius vero metalli elaborandi artem veteres in varios vitae usus optime videntur nosse, ita ut ex eo arma militaria et vasa et cornua tibiasque et nummos fabricarentur: quae quidem affabre facta et polita tantum aurei coloris splendorem prae se ferebant, ut hominum animos oculosque capere et fallere possent cf. Cic. off. III. 23. Hesiod. Scut. Herc. 122. p. 28. 29. ed. Ferd. Rankii. Verg. Aen. XII. 87. Hor. A. P. 202. Suet. Vitell. 5. Stat. Theb. X. 660. Val. Flacc. Argon. III. 60. Atque ex illo errore ipsa falsa nominis videtur scriptura orta, ut id metallum, quod auro vel paris vel etiam maioris pretii esse crederent, non orichalcum, ut debuit, sed aurichalcum quasi ex auro atque aere conflatum scriberent Romani antiqui. Quae cum ita sint, poëta quasi huic hominum stupori obviam iturus, ut militaribus arma rustica belloque agricultura praestet, sic illi orichalco illustri nigrum ferrum multum praestare docet. Vide Tibull. I. 10, 45.

11. De sententia cf. Publ. R 3. (571). S 31 (614).

12. „Refelluntur hoc isti, qui corpori libidines suas imputant." Bothius. Pudicitia in animi mentisque integritate cernitur, non in corporis abstinentia cf. Publ. P 32 (481). Liv. I. 58. ceterum corpus est tantum violatum, animus insons. Sen. excerpt. controv. VI. 8. p. 448. ed. Bip. incesta est etiam sine stupro, quae cupit stuprum. p. 449. ed. Bip. incesti damnari nulla potest, nisi corpus violatum est. Sen. ep. XV. 3 (95) 57. actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas, coll. ep. X. 2 (78) 3. Sen. Hippol. 733. mens impudicum facere, non casus solet. Quint. XII. 1, 36.

13. Sent. falso inter Publ. recept. 234. Sall. Iug. 85, 38. Liv. XX. 39. agentem te ratio, non fortuna velim.

15. Hor. epod. 4, 5. licet superbus ambules pecuniis, fortuna non mutat genus. Plin. ep. IX. 9. non interest, cuius ordinis quis sit, sed quam causam habeat.

16. Dis pro dives satis frequens apud Terentium cf. Heaut. III. 3, 38. Ad. III. 4, 57. IV. 2, 42. V. 1, 7. Phorm. IV. 3. 48. Eadem fere sententia est Phaedr. I. 24, 1. inops potentem dum vult imitari perit.

17. „Si sinas impunitum peccatum, facis, ut iterum libeat peccare." Erasmus. Cf. Publ. P 38 (587). S 9 (592). Alteram statim subiunxit hanc sententiam v. 762. eumque secutus Orellius v. 774: V. f. i. vites novam: „simiae hoc nescio cuius γνωμικοῦ" Bothius.

18. Publ. S 34 (617). Sen. de tranq. anim. II. 7. omni via pergunt et inhonesta se ac difficilia docent coguntque. et ubi sine praemio labor est, torquet illos inritum dedecus nec dolent prava se, sed frustra voluisse.

19. Partem i. e. aliquid victoriae habet cf. Publ. F 15 (180). I 48 (278). P 20 (469). Q 44 (544). S 47 (681). „Ipse alacer viri fortis vultus aliquam opem victoriae ostentat." Cf. Curt. IV. 13, 25. (49. ed. Zumpt.): Haud alias tam alacrem viderant regem: et vultu eius interrito certam spem victoriae augurabantur. Virtutis vulnus propterea displicet, quod quicunque vulnus tulit, quamvis victoria dignus sit, non tamen semper victoriam ab hoste reportat cf. Publ. S 23 (606). Spengelii vero coniectura nimium promittit: non enim iam totum factum, sed dimidium facti qui bene coepit habet. Cf. Hor. Ep. I. 2, 40.

20. Verba non solum „hominis abiecti et improbi in mimo Publi-

liano", sed etiam rerum nimiarum appetentissimo cuique et vaferrimo probata.

21. Sententia de aequa et iniqua imperantis condicione interpretanda est, ita ut si qui imperat sit imperator, victoria et clades, aut si qui imperat dominus sit, dominatio et servitus intellegendae videantur. Ter. Phorm. II. 1. 11. 12. quamobrem omnes, cum secundae res sunt maxume, tum maxume meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant. Iust. 31, 2. Sen. Theb. 597. In servitutem cadere de regno grave est. Publ. H 11 (213). M 31 (339). Minus recte Nisardus: „Qui commande doit envisager le pour et le contre." Id enim non imperantis, sed iudicantis est.

22. Pyrrhichia v. magis mensura num Publilius usus sit dubito cf. M 15 (325). M 40 (348).

23. Nescio an illa scripturae diversitas ex Sen. Controv. III. praef. illata sit, apud quem haec leguntur: „Nunquam enim amplius in foro dixit, homo summae probitatis, qui nec facere iniuriam nec pati sciret." Eandemque corruptelam altero illo Publilii loco mihi deprehendisse videor C 25 (99). Ut in hoc, de quo disputamus, pati, sic in illo facere a librariis, qui pati et facere eleganter opponi meminissent, de suo additum puto. Vide Meyer. p. 38.

24. Hoc versus sententia docet multum referre, utrum sapientiae speciem prae te feras corporis habitu an ipso veritatis studio animum ad eam applicueris. Cf. Ter. Andr. IV. 4. 55. 56. „hilum interesse censes ex animo omnia ut fert natura facias an de industria?" quibus ex Terentii verbis Publilianum compactum esse censet Spengelius praef. p. 17. Hor. ep. I. 19. 14—16. Mart. epigr. VIII. 38. 7. Quint. 3, 12. philosophia enim simulari potest, eloquentia non potest.

25. Comparat Gruterus Cic. Lael. VIII. 28. nihil est enim amabilius virtute etqs.

26. Ut linguam, ubi obmutuerit, cadere dixerunt (cf. Hor. Carm. IV. 1, 36. Stat. Silv. II. 1. 149.) sic linguam liberam dixerunt Ovid. ep. ex Pont. III. 3, 22. et Suet. Tib. 28.

27. Orellius vulgatam scripturam probat atque ita interpretatur: et in otiosa vita praeterea minus curae est quam in regno." Quem secutus est Nisardus sic interpretatus: „Une vie oisive est celle d'un roi avec moins de soucis." Denique Ribbeckius parum rotundam et dilucidam sententiam esse ratus sic interpretatur: „regis vita fruitur otiosus, nisi quod curarum minus habet." Sed oratio videtur parum concinna, quod verba „curae minus" non habent, quo referantur. Quod ego scripsi, hoc velim significare: „Vita otii plena atque vacua curis regia est."

28. „In communi omnium depravatione morum nihil querelae proficiunt." Versum ad Publ. O 13 (448) retulit Woelfflinus. Vide Meyer. Act. Mon. 1872. IV. p. 558.

29. Cic. Cat. II. 13. 28. III. 6. 15. Phil. VIII. 5, 15. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: sic in reipublicae corpore, ut totum salvum sit, quicquid est pestiferum, amputetur. Contraria est sententia Publ. H 22 (224). M 37 (345).

30. „Ut cupiditas nulla re potitur nisi ita ut alios secludat: sic ut alios secludat, nihil tenere amor studet." Cf. Pauli ep. ad Cor. I. 13.

31. De sententia vide Publ. N 50 (425).

33. Praetuli alienum et tuum cf. Publ. A 28. „Ubi aliorum bona emeris, periculum est, ne quando tua veneant." Nescio an haec senten-

tia ad tempora Sullana referenda sit. Vide Mommsen. Roem. Gesch. II. p. 328.

36. Acerbum duabus ex causis reicio. Primum enim legitima desideratur diaeresis cf. Publ. D 23 (145). Deinde acerbum propterea a sententia alienum est, quod eius sensus non cadit in eum, qui facit, sed in eum, qui patitur. Quamobrem poscitur adiectivum, quo turpe vel infame esse significatur hostem opprimere. Ut enim honestum est victori vincere hostem, pulchrum est victori ignoscere hosti: sic infame et detestabile est victori hostem opprimere. Hinc ego pro acerbum scribendum duco probrum i. e. contumelia, nos dicimus „Unehre“ vel Vorwurf.“ Cf. Cic. Phil. II. 38. probri insimulasti feminam pudicissimam. Cic. Flacc. 20. bonos probris omnibus maledictisque vexavit. Penultimam in v. probrum semper producit Ovidius cf. Met. X. 695. Fast. III. 676. Am. III. 14, 44. A. A. III, 39. Her. XVII. 208. Remed. 698. De sententia cf. Publ. S 44 (678).

ADNOTATIONES
IN CAECILII BALBI SENTENTIAS.

1. Ab alio exspecta, alteri quod feceris.

p. 20. Mon. I. 29. Cf. Publ. Syr. A 2. Versum eodem modo scriptum atque Socrati tributum tradit W. Burleius in eo libro, quem de vita et moribus philosophorum scripsit. Cf. Maur. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 51. Vinc. Bellov. sp. d. 4, 132. 67.

2. Theocritus obiurgatus a quibusdam, quod multum cum luxuriosis moraretur, respondit, aegris medicum magis necessarium quam sanis esse.

p. 23. Mon. XII. 5. Intelligo Theocritum Chium. Simile Antisthenis dictum ap. Diog. Laert. VI. 1. 16.“ Woelfflin. Cf. Ev. Matth. IX. 12. *οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ. ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.*

3. Si aliena temere protuleris vitia. tua intempestive audies crimina.

p. 34. Mon. XLVIII. 4. Ri. (Append.) 268: Aliena narrans crimina audibit sua.

4. Age sic alienum, ut tuum non obliviscaris negotium.

p. 41. Par. 45. V. B. sp. h. 3, 58. sp. d. 5. 1. W. B. Socr.

5. Theophrastus dixit: Expedire iam probatos amicos amari, quam amatos probari.

p. 25. Mon. XV. 7. p. 40. Par. 26. „V. B. sp. h. 5, 2. sp. d. 6, 14. W. B.“ Woelfflin.

6. Amici vitam tuam imputa famam. Amici famam tuam imputa gloriam.

p. 24. Mon. XV. „3. W. B. Bias.“ Woelfflin. Cf. Publ. A 56.

7. Amico fides coagulum est amicitiae, sapientia firmamentum, contentio discidium; perfidia, nodosa materies. suis in damnum crescit augmentis.

p. 25. Mon. XV. 29. „W. B. Theoph.“ Woelfflin. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 21.

8. Demetrius Non opto, inquit. ut eos, qui divites sunt. amicos habeam.

p. 40. Par. 31. Aliter sentit Eur. El. 1135. *πένητας οὐδεὶς βούλεται κτᾶσθαι φίλους.* Cf. Stob. Flor. t. 97. 4.

9. Amicum laedere ne ioco quidem oportet.

p. 25. Mon. XV. 17. „W. B. Theophr.“ Woelfflin. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 14.

10. Amicus raro adquiritur, cito amittitur.

p. 42. Par. 62. „V. B. sp. h. 3, 58. sp. d. 6, 14. W. B. Socr.“

Woelfflin. Haupt. Phil. III. p. 376. v. 6.: Amicum tarde acquiris, amittis cito.

11. Menefranes cum illi quidam diceret, ille illius amicus est, cur, inquit, illo divite ille pauper est? Amicus non est, qui fortunae particeps non est.

p. 24. Mon. XV. 5. „Menefranes nomen corruptum est: Menophanes coni. C. L. Roth. W. B. Demosthenes.“ Woelfflin.

12. Plurimi sua amittunt, cum aliena appetunt.

p. 41. Par. 48. W. B. Socr. dum pro cum probante Woelfflino. Ribbeckius e cod. Cusano c: plurimi sua amittunt, cum aliena appetunt. v. 174: Sua múlti amittunt, cúpide cum aliena áppetunt. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 26.: Plerique amittunt sua, aliena dum appetunt. Cf. Stob. Flor. 10, 69. Aerop. 219. Phaedr. I. 4.

13. Amico fides coagulum est amicitiae etqs.

p. 25. Mon. XV. 19. Cf. Caec. Balb. Sent. 7. p. 39. Par. 24. Sent. falso inter Publ. recept. 21.

14. Animo virum pudica, non oculis eligit: pudica spem quaerit, non rem.

p. 26. Mon. XVII. 3. b. „Scrib. impudica speciem cum W. B.“ Woelfflin. Haupt. Phil. III. p. 379. v. 71.

15. Ducem, qui non laborat, ut carus militibus sit, nescire militem armare.

p. 32. Mon. XL. 1. Julio Caesari dictum tribuunt Io. Sar. Policr. 4, 3. et V. B. sp. d. 7, 30. Woelfflin. Sententiae acumen in paronomasia positum videtur, ut armare et amare opponantur, ut saevire et servire Sent. falso inter Publ. recept. 112. indicat et vindicat Sent. falso inter Publ. recept. 124. consilium et convivium Caec. Balb. Sent. 43.

16. Cave ne armarium quam pectus habeas doctum.

p. 34. Mon. XLVIII. 6. „V. B. sp. m. 1, 3. 38. Pythagorar.“ Wo.

17. Honestam artem, quam bene didiceris, sequere.

p. 41. Par. 50. „W. B. Socr. Cic. Tusc. I. 18. 41.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 28.: Honestam sequere quam bene artem didiceris.“

18. Socrates dixit: Audendo virtus crescit, tardando timor.

audiendo p. 21. Mon. VIII. 3. pr. m. „W. B. Socr.“ Wo. Cf. Publ. A 44. Sent. falso inter Publ. recept. 26. Haupt. Phil. III. p. 379. v. 65. Ri. v. 227.

19. Possis vincere audire oportet in eo quod pecunia.

p. 34. Mon. XLVIII. 12. Recte Wo. scribendum: P. vincere; audere oportet, verba autem in eo quo de pecunia cum iis, quae sequntur, coniungenda putat. Sed videtur verbis praemittendum: „Ut in periclo.“

20. De avaritia. 1. Pecunia avaro supplicium est, profuso decus, parricidium proditori.

p. 23. Mon. XII. 1. Profusum W. B. liberalem interpretatur. Cf. Mart. epigr. VIII. 38, 11.

21. Necesse est, ut te ipsum aut pecuniam vilem habeas.

p. 35. Mon. XLVIII. 13. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 29.

22. Avarus egens damnum, et si non lucretur, patitur.

p. 23. Mon. XII. 6. W. B. Socrates. Avarus autem dampnum si non lucretur, patitur. Wo. Haupt. Phil. III. p. 379. v. 68. proposuit: Avarus damnum patitur, si lucrum facit. Caecilii locum sic scribendum puto: „Avarus gemens damnum, etiamsi non lucretur, patitur. Sen. ep. XIX. 6 (115) 16.: quantum damnis ingemiscunt, quae et magna incidunt et vi-

dentur maiora! denique ut illis fortuna nihil detrahat, quicquid non adquiritur, damnum est. Cf. Publ. A 55.

23. Tiberius Coruncanius avidissimum quemque egestosissimum dicebat.

p. 23. Mon. XII. 2. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 31.

24. De barba tangenda Lysander interrogatus, cur maiorem barbam libenter habuisset, respondit: Ut subinde eam tangendo virum me esse meminerim.

p. 26. Mon. XIX. 1. Cf. Cod. Lindenbrog. p. 15 (12).

25. In bello corpora hominum gladiis, in pace voluptatibus vulnerari.

p. 33. Mon. XL. 4. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 32. Sententiam Caesaris, gentium triumphatoris, esse putat Io. Saresb. Policr. 4, 3.

26. Principium amicitiae est bene loqui.

p. 25. Mon. XV. 13.

Principium amicitiae est bene loqui; male dicere exordium inimicitiarum.

p. 41. Par. 61. „V. B. sp. d. 6, 14. W. B. Socr.“ Wo.

27. Socrates dixit: Si bene egeris, ipse tibi personae auctoritatem dabis.

p. 27. Mon. XXII. 3. p. 42. Par. 79. „V. B. sp. m. 3, 5. 2. sp. d. 5, 1. W. B. Socr. . . . a u x i l i u m dabis.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 17.: Si bene ages, ipse auctoritatem tibi dabis.

28. Idem dixit: Inimicos meos praestando beneficium torqueo.

p. 39. Par. 22. Epaminondam sententiae auctorem esse docet Wo.

29. Julius Caesar dixit: Acceptum beneficium aeternae memoriae infigendum.

p. 40. Par. 32.

30. Simonides cum interrogaretur, quid inter homines celerrime consenesceret, Beneficium, inquit.

p. 40. Par. 33. „Idem de Aristotele tradit Diog. Laert. V. 1, 18.“ Wo.

31. Amicum blandum cave, cuius amarum est semper, quod fuerit dulce.

p. 25. Mon. XV. 12. „W. B. Theophr.“ Wo.

32. Blandam enim et servientis et imperantis debere esse.

p. 32. Mon. XXXIX. 3. W. B. Solon: Esse communis sermonis blanditia et servientis et blandientis. Hinc Woelfflinus aut scribendum b l a n d i t i a m cum W. B. aut excidisse vocabulum quoddam, velut v o c e m, c o n d i c i o n e m censet. Scriptoris verba ego sic repono: „Blandum etiam in servientes esse imperantem debere.“

33. Remedium malorum futura spes est: nec innocentem debilitat conscientiam causa, cui in adversis solatium est, non sua meruisse, quae patitur, culpa.

p. 28. Mon. XXV. 2. Pro f u t u r a s p e s scribendum videtur: b o n i f u t u r i s p e s.“

34. Bonus amicus laesus gravius irascitur.

p. 25. Mon. XV. 15. W. B. Theophr. B. amicus gr. ir. V. B. sp. d. 4, 133. ex prov. sap. B. animus l. inultus g. i. Cf. Publ. B 10 (53).

35. Bonus vir, si optimus est, suis se actibus probat: aliis enim non potest esse bonus, qui suis in se moribus fuerit malus.

p. 27. Mon. XXII. 2. W. B. Pythag . . . . suis se a s p e c t i b u s probat etqs. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 44.

36. Cum amicis rationes breves, amicitias longas esse oportet.

p. 25. Mon. XV. 10. p. 41. Par. 56. Sententiam V. B. Socrati, W. B. vel Socrati vel Theophrasto tribuit.

37. Cleobulus dixit. Cavere nos amicorum magis invidiam, quam

inimicorum insidias debere. illud enim apertum, hoc celatum est malum nocendique fraus quo non speratur potentior.

p. 39. Par. 25. Pluralem num. invidias propter eundem numerum insidiis scripsi. Vide Zumpt. Gram. 92.

38. Socrates dixit: Quae facere turpe est, haec ne dicere honestum puta.

p. 18. Mon. I. 2. Ad sententiam illustrandam attulit Woefflinus et Isocr. Paraen. p. 7. ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν, et Demosth. in Conon. §. 17. et Pauli Ep. ad Ephes. V. 12. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 54. Quod facere turpe est, dicere honestum ne puta. Ri. v. 211: Quod facere turpe, honestum non est dicere.

39. Socrates inquirenti cuidam, quomodo posset optime dicere, respondit: Nibil dixeris, nisi quod bene scieris.

p. 33. Mon. XLIII. 2. „W. B. Demosthenes." Wo.

40. Nec te imprudentia decipi nec cupiditate circumveniri permittas.

p. 42. Par. 71. „W. B. Socr." Wo.

41. Xenophon maledicenti sibi cuidam, Tu, inquit, maledicere didicisti: ego conscientia teste didici maledicta contempnere.

p. 31. Mon. XXXV. 6. p. 39. Par. 18. Cod. Lindenbrog. p. 16 (16).

42. Conscientiam quam famam intende: famam enim saepe poteris fallere, conscientiam nunquam.

p. 42. Par. 65. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 56. Adverbia magis (plus) potius melioris latinitatis auctores sequente particula quam non solent omittere. Vide quae ea de re contra disputavit Woefflinus ad Caec. Balb. p. 81. Nisardus: Plus cónscientiaé quam famae atténderis; Haupt. Phil. III. p. 377. v. 37.: Magis quam famam attende conscientiam. Pseudo-Sen. de mor. 59.

43. Oriente sole consilium, occidente convivium cogitato.

p. 41. Par. 40. „Dictum Socrati tribuunt. V. B. et W. B." Wo. Haupt. Phil. III. p. 376. v. 1.: Sole oriente consilium, occidente agita convivium.

44. Cui omnes benedicunt, possidet populi bona.

p. 42. Par. 80. „W. B." Wo. Cf. Publ. C 27. (112). Haupt. Phil. III. p. 378. v. 45.

45. Cuius dictum non habet iurisiurandi pondus, eius iusiurandum quoque vile esse.

p. 32. Mon. XXXVIII. 4. Vide Solonis dictum apud Diog. Laert. I. 2, 12.: καλοκἀγαθίαν ὅρκου πιστοτέραν ἔχε. quod ad verbum W. B. in Latinum transtulit: Probitatem iureiurando certiorem habe.

46. Damnum nisi ex habundantia raro evenit.

p. 19. Mon. I. 17. p. 42. Par. 67. abundantia. „W. B. Socr." Wo. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 74. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 39. non esse ratus, quod in verbis mutandum sit, versum ad Publilianos refert. Ri. v. 217.: Damnúm nisi ex opuléntia raro évenit.

47. Idem, Lucrum ingrate praestanti damnum pudoris esse.

p. 40. Par. 37. Spectare sententia ad Socratem auctorem videtur.

48. Celeritas beneficium gratius facit.

p. 24. Mon. XIV. 5. Cf. Sent falso inter Publ. recept. 127. Dictum W. B. tribuit Bianti. Socrati tribuendum putat Woelfflinus. Ri. v. 238.: Acceptius beneficium reddit celeritas.

49. Plus gaude datis beneficiis, quam acceptis. Illa enim felicitatis, haec necessitatis videtur esse substantia.

p. 23. Mon. XIV. 1. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 55.

50. Idem: Gravius adversarium securitate decipias.

p. 40. Par. 28. „W. B. Theophrast.“ Wo.

51. Aristoteles dixit: Adversus inimicos intra parietes nostros victoria quaerenda est.

p. 38. Par. 10.

52. Desiderio melius vitam quam timore custodiri.

p. 21. Mon. VIII. 2. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 84. Incerti auctoris. Pro desiderio scriptum fuisse suspicor: despiciendo; quod si reposueris, ea sententia exsistet, quam Sen. de tranq. anim. XI. 4. explicuit: Spiritus inter vilia numerandus. Gladiatores, ut ait Cicero, invisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt; favemus, si contemptum prae se ferunt. idem evenire nobis scias. saepe enim causa moriendi est timide mori. Vide Sent. falso inter Publ. recept. 377. Ri. v. 226: Défendendo mélius vitam quám metu custódias.

53. Aristoteles dixit: Difficile esse in re prospera amicos probare, in adversa semper facile.

p. 25. Mon. XV. 6. Cf. Publ. A 42. Sent. falso inter Publ. recept. 87. Ex altera enuntiationis parte hunc versum fecit Ribbeckius: Probáre amicos ínre adversa fáciliust. Cf. Append. v. 241.

54. Difficile est iniuriae convenire cum patientia.

p. 42. Par. 82. „W. B. Socr. iniuriam“ Wo. Cf. Publ. D 23 (145). Haupt. Phil. III. p. 378. v. 47. sic scripsit: Difficile est dolori convenire cum sapientia.

55. Discordia interdum fit carior concordia.

p. 34. Mon. XLVIII. 11 Cf. Publ. D 9 (131).

56. Diu deliberando amicos elige et de electis qui fideles esse potuerunt, iudica.

p. 24. Mon. XV. 1. „W. B. Bias.“ Wo. Publ. D 31.

57. Diu deliberato, cito facito.

p. 18. Mon. I. 5. Cf. Publ. D 10 (132). Sententia a W. B. nunc Socrati nunc Isocrati, in eodem cod. Paris. Catoni tribuitur. M. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 57. aut scribere vult: „Diu deliberata perficias cito aut eundem esse atque v. Publilii D 10 (132). Eadem verba leguntur in Sententiis Catonis, quarum altera pars e cod. Parisino lat. 8069 edita a Quicheratio (cf. Swedberg. Publ. ed. Tafel. p. 56.) altera e cod. Par. lat. 4841. saec. X. vulgata atque explicata est a Woelfflino Phil. IX. p. 681.

58. Quod diu tractaveris, id puta rectissimum.

p. 29. Mon. XXXIII. 2. Cf. Publ. D 32. Sent. falso inter Publ. recept. 92.

59. Quod promiseris, indubitanter facito.

p. 42. Par. 74. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 44.: Hoc indubitanter facito quod promiseris.

60. Bibe et ede, ut bene vivas: non vivas, ut tantum edas et bibas.

p. 18. Mon. I. 11. „Socratis est dictum testibus Plut. de aud. poet. t. II. p. 21 E. Diog. Laert. II. 5, 34. Athen. IV. p. 158 F. Gell. NA. XIX. 2, 7.: unde sua hauserunt V. B. et W. B.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 62. sic: „Bibas ut vivas, non vivas tantum ut bibas.“ Ut hic nimium bibendi studium, ita is qui sententias Catonis collegit, nimiam edendi aviditatem perstringit hac sententia: Cogitato non edendi causa vivere, sed esse vivendi. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 682. (v. 3).

61. Utilius erubescere, quam pallescere.

p. 41. Par. 43. Pallescere ex emendatione M. Hauptii (Phil. III. p. 377. v. 23.) scripsit Woelfflinus secutus Plut. apophth. Reg. et Imp. Cat. min. 6. *τῶν δὲ νέων, ἔφη, χαίρειν τοῖς ἐρυθριῶσι μᾶλλον ἢ τοῖς ὠχρι-*

ῶσι. Unde etiam iuvenem recipiendum putavi. Hauptius quidem versum sic scripsit: Utilius erubescere quam pallescere.

62. De fide Socrates dixit: Viri boni est et non pollicitam fidem servare.

p. 21. Mon. IV. 2. Cf. Publ. E 22. Sent. falso inter Publ. recept. 99. Pollicitam fidem dixit Ovid. Met. XI. 107. Fast. III. 366.

63. Oculos et aures vulgi malos testes esse.

p. 20. Mon. I. 31. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 100. Ri. v. 221: Saepe óculi et aures vúlgi sunt testés mali.

64. Discute, quod audias, et proba, quod credas.

p. 42. Par. 69. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 103. „W. B. Socr." Wo. De significatione v. excutere cf. Cic. Part. 36. Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tanquam explicando excutiendoque verbo. Quint. I. 4. 4. Nec poëtas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus etqs. Plin. ep. VI. 21. Caesar excussis probationibus centurionem exauctoravit atque etiam relegavit. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 41.: Discute quod audias omne, quod credas proba.

66. Crimen sagittae est simile: facile infigitur, difficile expellitur.

p. 34. Mon. XLVIII. 5.

65. Mulier speciosa templum est aedificatum super cloacam.

p. 26. Mon. XVII. 4. „W. B. Socr. M. sp. et stulta etqs." Wo. Versum intactum reliquit M. Hauptius Phil. III. p. 379. 72.

67. Pythagoras dixit: Duo genera habent in oculis feminarum lacrimae: certi doloris unum, insidiarum aliud.

p. 26. Mon. XVII. 5. „W. B. Pythag. D. l. g. sunt in o. mulierum: veri doloris u. i. a." Wo. Scribendum videtur: „Duo genera lacrimarum habent in oculis feminae: certi doloris unum, insidiarum aliud." Nescio an hic versus ad v. Publianum D 8 (130) redeat.

68. Filio modesto nunquam grave est, quod pietas iubet parentis.

p. 41. Par. 58. „W. B. Socr. . . . . . nisi sit impossibile." Wo. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 34.: Filio modesto nunquam quod pater iubet grave est.

69. Idem, Eum firmum regem, qui quae imperat novit vel praeceptis, quid contrarium esse potest, agnoscit.

p. 32. Mon. XXXIX. 4. p. 40. Par. 36. Socrati sententia tribuitur.

70. Hermogenes dixit: Plerosque homines in suis domibus saevissimos tyrannos, in alienis humillimos servos esse.

p. 38. Par. 7. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 112. Ri. v. 274: Domi tyranni saepe servi sunt foris.

71. Chilo Lacedaemonius dixit: Fortuna, ut medicus ignarus, multos caecat.

p. 23. Mon. XIII. 3. Medicorum quosdam Cic. leg. II. 5. inscios imperitosque dicit. Cf. Publ. F 8 (173).

72. De nuptiis Chilo Lacedaemonius dixit: Nuptias sumptuosas facere vita.

p. 27. Mon. XX. „Stob. Flor. t. 3. 79: γάμους εὐτελεῖς ποιοῦ. Wo.

73. Humanitatem ducis in exercitu flumen adversus hostes esse.

p. 32. Mon. XL. 2. Fulmen correxit Wo.

74. Geminat peccatum, quem delicti non pudet.

p. 42. Par. 81. Cf. Publ. G 11. Sent. falso inter Publ. recept. 123 „W. B. Socr." Wo. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 46. Ri. v. 296.

75. De contumeliis ab indignis: Duplicat dolorem sustinentis indignitas inferentis, intolerandumque fit malum, cuius auctorem turpe sit confiteri.

p. 30. Mon. XXXII. 1.

76. Iracundiae infelicitas geminatur.

p. 41. Par. 54. „Malim iracundia, ut legitur apud W. B. Socr. quamquam hic alii scribunt: iracundia infelicitatem geminat.“ Wo. Haupt. Phil III. p. 377. v. 32: Incommoditatem geminat iracundia.

77. Duplicatur dolor, cum ab eo, a quo non merueris, venit.

p. 30. Mon. XXXII. 3.

78. De timore Demogenes dixit: Cum timidis etiam somnia bellum gerere.

p. 21. Mon. VIII. 1. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 125. De Demogenis nomine dubitat Woelfflinus. Ri. v. 225: Bellúm gerunt cum tímidis etiam insómnia.

79. Si enim fortunae auxeris licentiam, minuis gloriam.

p. 23. Mon. XIII. 3. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 376. v. 16: Si Fortunae auges licentiam, hominum minuis gloriam.

80. Graviter irascitur, qui quod dolet deo commendat.

p. 42. Par. 64. „W. B. Socr.“ Wo. Sent. falso inter Publ. recept. 129. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 36: Gravis ultio est, qui diis commendat quod dolet.

81. Bias Prieneus dixit, Molestius esse inter duos amicos, quam duos inimicos iudicare.

p. 39. Pari 23. Diog. Laert. I. 5, 87. *ἴδιον ἔλεγε* (int. Bias) *δικάζειν μεταξὺ ἐχθρῶν ἢ φίλων· τῶν μὲν γὰρ φίλων πάντως ἐχθρὸν ἔσεσθαι τὸν ἕτερον, τῶν δὲ ἐχθρῶν τὸν ἕτερον φίλον.* Sent. falso inter Publ. recept. 130. Ri. v. 171: Amícos inter iúdices moléstius.

82. Epaminondas cuidam, cum ei diceret, ignosce mihi, quod ausus sum te homo novus petere, Nemo, inquit, homo novus est homini, cum natura commendatus est.

p. 31. Mon. XXXVII.

83. Hoc exhibe, quod tibi optaveris exhiberi.

p. 19. Mon. I. 21. p. 42. Par. 73.

Amico ea exhibere decet, quae tibi velis.

p. 25. Mon. XV. 18. „V. B. sp. d. 5, 1. et W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 376. v. 12: Hoc exhibe quod tibi vis exhiberier.

84. Socrates dixit: Alteri saepe ignoscito, tibi nunquam.

p. 18. Mon. I. 4. In Catonis sententiis e cod. Par. lat. 4841. saec. X. descriptis recenset Woelfflinus Phil. IX. p. 681. v. 8. Idem dictum Catonis Censorii fuisse tradit Plut. vit. Cat. Mai. 8. *συγγνώμην ἔφη διδόναι πᾶσι τοῖς ἁμαρτάνουσι πλὴν αὑτοῦ*. a cuius moribus discrepat Cato Uticensis, homo etiam severior, cum dicat apud Sall. Cat. 52. 8: qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. Semper pro saepe invenitur apud Pseudo-Sen. de mor. 111. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 56: Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi.

85. Verbi non proditi immanis mensura.

p. 27. Mon. XXIII. 2.

86. Eum, qui nimis astringat imperium, nimis solvere.

p. 32. Mon. XXXIX. 2. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 342. Minus astringat scripsit Spengelius sententiamque ad Publ. S 16 (599) retulit. Cf. praef. p. 8.

87. Solon dixit, Convivium coagulum amicitiae esse cum bonis: convivium cum malis convivium (!) imputandum.

p. 39. Par. 24.

88. In quem plus potes peccare.

p. 34. Mon. XLVIII. 9.

Idem praecepit: In quem plus potes peccare, desine.

p. 38. Par. 16. „V. B. sp. h. 3. 79. et sp. d. 5. 17. Plato. W. B. Plato praevalere, peccare desine.“ Wo. Cf. Publ. I 48 (277).

89. In tuo quam in alieno labore sarcinam suscipe.

p. 41. Par. 51. „W. B. Socr.“ Wo. Omisit Haupt. Phil. III. p. 377. v. 29.

90. Magnum iniuriae remedium est oblivio.

p. 34. Mon. XLVIII. 8. Aut magnum glossema est aut versus hic fuit: iniúriae remédium est magnum oblívio. Cf. Publ. I 21 (250).

91. Iniustae defensionis confidentiam vita.

p. 42. Par. 70. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 42.

92. Turpis est inopia, quae ex copia nascitur.

p. 41. Par. 44. Cod. Turicensis: mala est inopia quae nascitur ex copia. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 155. Casp. Orell. codd. Basil et. Tur. sent. p. 54. v. 12. Meyer. Act. Monac. 1872. IV. p. 554. Nemo non videt inopiam copiae, non gloriae (W. B. Socr.) aut gulae (Woefflin. ex cod. Par. 8027. Phil. XIII. p. 164.) opponendam esse, ut non omnem inopiam turpem esse ostendatur, sed eam, quae a copia prodige ac per luxuriam deperdita proficiscatur. Venire enim est nasci vel oriri, ut ait Quint. II. 5. 12. ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus. Cf. Verg. Aen. V. 344. gratior et pulchro veniens in corpore virtus coll. 373. Bebrycia veniens Amyci de gente.

93. Idem. Felicitas subiecta est semper invidiae.

p. 22. Mon. X. 4. „W. B. . . . quanta enim felicium hominum sunt gaudia, tanti invidorum gemitus. V. B. sp. h. 3,58. et sp. d. 3,75: Socr. F. semper s. est adversis“ Wo. Sententia sane futilis. Scriptum fuisse suspicor: „Felicibus adversa est semper invidia.“ Haupt. Phil. III. duplicem huic versum expedivit, alterum p. 377. V. 38: Felicitas subiecta adversis semper est, alterum p. 379. V. 67.: Felicitas subiecta invidiae semper est. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 158.

94. 95. De ira Pythagoras dixit iracundo cuidam: quo minus presseris iram, hoc ab ira magis premeris; tunc enim nos incipimus nobis irasci, cum aliis desinamus; finem namque irae initium esse poenitentiae.

p. 21. Mon. VII. 1. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 160. 161. Priorem sententiam sic numeris adstrinxit Ri. V. 224: Hóc magis premére ab ira, quó minus iram présseris; posteriorem Publ. I 43 (273) affinem ita Gruterus: Est finis irae initium poenitentiae. At est nullius fere momenti in his praesertim sententiis vox in versus principio collocari non solet.

96. Iracundus cum irasci desierit, tunc irascitur sibi.

p. 21. Mon. VII, 3. Cf. Publ. I 43 (273).

97. Ipse te coërce, pater.

p. 33. Mon. XLI. 2.

Iratus filio ipse te coërce, pater.

p. 41. Par. 57. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 33: Iratus filio ipse te coërceas.

98. Minimum eget mortalis, qui minimum cupit.

p. 23. Mon. XII. 8. Cf. Publ. I 56 (286).

99. Age sic alienum, ut tuum non obliviscaris negotium.

p. 41. Par. 45. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 376. v. 2. Age sic alienum ut tuum non neglegas negotium.

100. Amico ita prodesto, ne tibi noceas.

p. 41. Par. 46. Cod. O (Veronensis Meyeri p. 66. 25. 3); Socrates Amico ita prodesto ne tibi noceas. „W. B. Socr.“ Wo. Cf. Publ. I 64. Sent. falso inter Publ. recept. 165.

101. Ita amicus esto, ut inimicus esse non timeas.

p. 25. Mon. XV. 11. „W. B. Theophr." Wo. Cf. Publ. I 32 (261).

102. Plato dixit. Eam verissimam iustitiam esse, quae erga inferiores servatur.

p. 38. Par. 14.

103. De cautela Epaminondas interrogatus, cur nec festo quidem die aliis dormientibus requiesceret, dixit: Securitas militum est imperantis labor.

p. 29. Mon. XXX. 1. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 167.

104. Demosthenes dixit: Liberi servique personam veritas separat, servi liberique mendacium miscet.

p. 38. Par. 9. Verba servi liberique perperam invecta sunt; locus sic legendus videtur: Liberi servique personam veritas separat, mendacium miscet.

105. Malis loquere quod gratum sit, facito quod expedit.

p. 19. Mon. 24.

Loquere quod gratum est; facito quod expedit.

p. 42. Par. 75. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 48. Malis loquere quod gratum est, face quod expedit.

106. Lucrum turpe ut dispendium fugito.

p. 18. Mon. I. 3. „W. B. Socr." Wo. Omisit Haupt. Phil. III. p. 378. v. 55. Dispendium i. e. detrimentum, sumptus, damnum cf. Plaut. Men. III. 2, 20. Ter. Hec. V. 2, 29. Eun. V. 4, 7. Lucret. II. 1125. Cf. Diog. Laert. I. 7, 97. Stob. Flor. t. III 79. Publ. D 13 (135). P 30 (479).

107. Democrates, cum magistratus Atheniensium furem quendam ad poenam raperent, Magni, inquit, fures minores puniunt.

p. 31. Mon. XXXIV. 1. Cf. Stob. Flor. t. 13, 30. Idem Diogenem Cynicum dixisse narrat Diog. Laert. VI. 2, 6, 45. *οἱ μεγάλοι κλέπται τὸν μικρὸν ἄγουσι.*

108. Iudex iustus erit nemo, nisi qui de se cogitaverit alterum indicare.

p. 34. Mon. XLVIII. 1. „W. B. Diogenes . . . . quoniam sua sententia (conscientia?) semper reus se ipsum punit." Wo.

109. Praesentibus pro solatio esto. Malis loquere quod gratum sit, facito quod expedit.

p. 19. Mon. I. 23. Cf. Caec. Balb. Sent. V. 105. De emendando loco vide quae disputavi ad Caec. Balb. Sent. V. 144. Ut Cic. Parad. IV. 27. tolerantiam fortunae: ita Quint. II. 20, 10. doloris, V. 10, 33. malorum (cf. Spalding. adnot. crit.) dixit.

110. Malum alienum tuum ne feceris gaudium.

p. 19. Mon. I. 16. p. 41. Par. Or. „W. B. Socr." Wo. Cf. Publ. M. 60. 72. Sent. falso inter Publ. recept. 183. Significatur malum hominis maligni gaudium, quam Graeci vocant ἐπιχαιρεκακίαν: vide Ter. Andr. IV, 1, 1—9. Ov. Trist. V. 8, 33. 34. Swedberg. ad Publ. v. 13. Plura tentans Haupt. Phil. III. p. 376. v. 10. sic scribendum melius censet: Malum alienum tuum ne facias gaudium. Ri. V. 216. Malum ne alienum feceris tuum gaudium.

111. Solati mali est dignitas adversantis.

p. 30. Mon. XXXII. 2.

112. Auctor malus bonam rem turpem facit.

p. 27. Mon. XXII. 5. „W. B. Socr." Haupt. Phil. III. p. 377. v. 19.: Auctor malus bonam rem non bonam facit. Ri. v. 251.: Malus auctor etiam honestam rem turpem facit.

113. Phocion dixit: duo maxime contraria esse consilio, festinationem et iram.

p. 29. Mon. XXVIII. 5. p. 38. Par. 5. 55b. [alia. Maxime contraria esse consilio festinationem et iram.] Sententia a W. B. nunc Bianti, nunc Socrati tribuitur. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 382. Publ. V. 37. Haupt. Phil. III. p. 376. V. 3: Contraria consilio ira et festinatio.

114. Esse enim meliorem indicat mala lingua, quem carpit.

p. 34. Mon. XLV. Io. Saresb. Policr. III. 14. ap. Woelfflin. p. 8, 9. Caec. Balb. Fragm. e cod. Lindenbrog. apud Woelfflin. p. 16, 17. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 189. Ri. V. 265: Mala lingua eum quem carpit meliorem indica.

115. Melius est cavere, quam pavere.

p. 41. Par. 42. „W. B. Socr.“ Wo. Cf. Haupt. Phil. III. p. 378. 63. Nisi forte versus ita est constituendus: Sápientis cavére est casum, férre, si quid áccidat.

116. De patientia Socrates dixit. Patientia miseriarum portus est.

p. 21. Mon. V. 1. Pithoeus ap. Ri. v. 223.: Et miseriarum portus est patientia (sapientia? Ri.). Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 193.

117. Caec. Balb. libr. III. de nug. Philosophorum. Agathocles rex dicere solitus, auro tanquam fictilibus et fictilibus tanquam auro utendum est. Longe enim praestantius est moribus splendescere quam rebus.

p. 14. cod. Lindenbrog. 7. „Cf. I. Saresb. P. 5. 17. Auson. Epigr. VIII.“ Wo.

118. Multo turpius damnatur, cuius delicto ignoscitur.

p. 42. Par. 63. „W. B. Socr. Peccare turpe est; sed multo turpius est, cum delicto ignoscitur.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 35: Peccare turpe est; turpius, cum ignoscitur. Cf. Publ. M 71.

119. De dand'mer Megmas cuidam solito apud se frequenter cenare, petenti mutuam pecuniam Si dedero, inquit, ecce te et pecuniam perdo.

p. 31. Mon. XXXVI. „De danda mercede?“ Wo. „Megmas] Srib. Demas i. e. Demades“. Fortasse scribendum est „de mutuando aere“ aut „de dando mutuo.“

Demades dixit: Amico mutuam me roganti pecuniam si dedero, et ipsum et pecuniam perdo.

p. 39. Par. 19.

120 Morbum et pauperiem celari noli.

p. 20. Mon. I. 26. p. 42. Par 77.

121. Parcitas necessitatum remedium est et medicina damnorum.

p. 22. Mon. XII. 5. „W. B. Democritus.“ Wo. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 207. Ri. v. 229: Est párcitas necéssitatum rémedium.

122. Negat sibi ipse, qui quod difficile est petit.

p. 19. Mon. I. 13. p. 41. Par. 59. „W. B. Socr.“ Wo. Cf. Publ. N 39 (415). Haupt. Phil. III. p. 376. v. 8.

123. Fortis non potest iudicari, nisi et sapiens fuerit.

p. 20. Mon. II. 2. „W. B. Socr. cf. Cic. Tusc. III. 7, 14. at nemo sapiens nisi fortis“. Wo. Haupt. Phil. III. p. 379. v. 64: Fortis non pote iudicari, nisi qui sapiens est simul.

124. Nullus unquam sapientum proditori credendum putabit.

p. 38. Par. 3. „quem Ciceronis locum ex Verrin. I. 15, 28. petitum affert Servius ad Verg. Aen. II. 157.“ Wo.

125. Xistus dixit: Nihil est, quod non toleret, qui perfecte diligit.

p. 24. Mon. XV. 4. Xistum Woelfflinus Sextium philosophum Pythagoricum, Tiberii fere aequalem, esse vult.

126. Nihil amittit, qui nihil habet.

p. 23. Mon. XII. 7. „W. B. Socr.“ Wo.

127. Nihil curare hoc est insanum esse.

p. 18. Mon. I. 10. „W. B. Socr.“ Wo. Omisit Haupt. Phil. III. p. 378. v. 61.

128. Nihil posse hoc est mortuum vivere.

p. 18. Mon. I. 9. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 378, v. 60. Nil posse quidquam mortuum hoc est vivere. Ri. v. 214. Sed solet in versibus quidem Publilianis pron. demonstrativum omitti. Cf. Publ. B 17. (60). E 8 (154). M 21 (329). P 20 (470). P 24 (473). P 33 (482). R 8 (576). S 21 (604). Sent. falso inter Publ. recept. 220.

129. Idem: Nihil enim tam mortiferum ingeniis quam luxuria est.

p. 43. Par. 85. Cf. Cic. Cat. M. 12, 39; nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat (Archytas) a natura datam.

130. Nocens fit, ubi succumbit fides.

p. 21. Mon. IV. 3 Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 225. Ri. v. 222: Nocéns sublimis úbi fit, succumbít fides.

131. Nocere nescit, qui se velle nocere prodiderit.

p. 40. Par. 29. „W. B. Theoph.“ Wo. „Gruterus e Palatinis: Nescit is nocere qui nocere velle prodidit.“ Ri. V. 277. Sent. falso inter Publ. recept. 226. Woelfflin. Phil. XIII. p. 58.

132. De innocentia Plato dixit: Triumphum innocentiae solum esse non peccare ubi liceat posse.

p. 21. Mon. VI. p. 38. Par. 15. P r e t i u m i n n o c e n t i a e significat summum praemium, ad quod adspirare innocentia possit: qua de nominis p r e t i i significatione vide Boetticher. Lex. Tac. p. 373. Democrit. apud Stob. Flor. t. 9, 31. *ἀγαθὸν οὐ τὸ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλὰ τὸ μηδὲ ἐθέλειν.* Menandr. monost. 638. *ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν, ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος οὐ βούλεται.* Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 228. Pseudo-Sen. de mor. 140. Prov. 143. 144. Ri. v. 143.

133. Socrates dixit: Qui multarum habet potestatem rerum, primum purgare conscientiam debet, ut quae delicta corrigit, non admittat vitetque quod vindicat.

p. 40. Par. 34.

134. Nulla tam bona est uxor, in qua non invenias quod queraris.

p. 26. Mon. XVII. 2. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 235. Versus Publiliani N 8 (384) parodia videtur. Haupt. Phil. III. p. 379. v. 69: Nulla tam bona uxor in qua quod querare nil siet.

135. Liber non est, quem superbus inflammat animus.

p. 21. Mon. VII. 2.

136. Idem dixit, Solum se incommodum paupertatis pati, quod non posset egentibus subvenire.

p. 38. Par. 13. „W. B. Aristoteles“. Wo.

137. Unde interrogantibus domesticis, cur plura polliceretur, quam praestare posset, respondit: Non oportet quemquam a sermone principis tristem discedere.

Io. Saresb. Policr. III. 14. apud Woelfflin. p. 11 (40). Cf. Suet. Tit. 8. Eutrop. VII. 21. De sententia cf. Sent. falso inter Publ. recept. 77.

138. Non vivit, cui nihil in mente est, nisi ut vivat.

p. 18. Mon. I. 7. „W. B. Socr.“ Wo. cf. Sent. falso inter Publ. recept. 243. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 59: Non vivit, qui nisi ut vivat nil cogitat. Ri. v. 212: Non vívit, qui nil nísi uti vivat cógitat.

139. Nulli imponas, quod ipse pati non possis.

p. 19. Mon. I. 20. p. 42. Par. 72. „W. B. Socr.“ Wo. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 246. Bothius ap. Ri. v. 218: Nulli tu imponas ípse quod ferre haúd queas. Haupt. Phil. III. p. 376. v. 11: Nulli impones quod ipse ferre non queas. Publ. N 62.

140. Amicitias immortales esse oportet.

p. 25. Mon. XV. 9.

141. Epaminondas dixit Beatam civitatem, quae in pace bellum timet.

p. 39. Par. 21. De hoc Epaminondae dicto conferri iubet Woelfflinus Corn. Nep. Epam. V. 3. paritur pax bello.

142. Omnia consuli. sed non ab omnibus debere.

p. 29. Mon. XXVIII. 4. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 259.

143. Parere scire cum imperante aequalis est gloria.

p. 26. Mon. XVIII. Cf. Publ. P 55. Sent. falso inter Publ. recept. 264.

144. Praesentibus pro solatio esto. exhibe tolerantiam. malis loquere quod gratum sit. facito quod expedit.

p. 19. Mon. I. 22. „Praesentibus] corruptun fuisse videtur librarii oculo ad sequentis versus principium (Praesentem et laudere etqs. cf. Caec. Balb. Sent. 105.) aberrante: fort. Maerentibus. Wo. Totus locus mihi sic legendus videtur: Patientibus pro solacio esto. exhibeto tolerantiam malis. loquere quod gratum sit, facito quod expedit. Raro sane usu h. l. absolute positum patientibus. Patientes dicuntur qui patiuntur dolores sive mala.

145. Phocion optimum oratorem esse dicebat, qui plurima paucis diceret.

p. 33. Mon. XLVIII. „Plut. apophth. reg. et imp. Phocione 2. *ἐκκλησίας δὲ γενομένης πρὸς τὸν εἰπόντα, Σκεπτομένῳ, ὦ Φωκίων, ἔοικας, Ὀρθῶς, ἔφη, τοπάζεις. σκέπτομαι γὰρ, εἴ τι δύναμαι περιελεῖν ὧν μέλλω λέγειν πρὸς Ἀθηναίους.* Plut. Demosth. X. Sall. hist. I. 3.“ Wo.

146. Perfidia. nodosa materies, suis in damnum crescit augmentis.

p. 25. Mon. XV. 19. Cf. Liv. 22. 12. premendoque superiorem, quae pessima ars nimis prosperis multorum successibus crevit, sese extollebat.

147. Clementia perpetuo vincit qui utitur.

p. 34. Mon. XLVIII. 7. Cf. Publ. 51 (500).

148. De amico et inimico Socrates dixit: Pro amico occidi expedit, quam cum inimico vivere.

p. 25. Mon. XV. 20. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 275. Ri. v. 248.: Éxpedit pro amíco occidi quám cum inimico vívere.

149. Poenam a quo merueris frustra petis praesidium.

p. 20. Mon. I. 28. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 50: Poenam a quo meritu's. frustra praesidium petis. Ri. v. 220: Poenam unde mereas, frustra praesidium petas.

150. Quid populum domaret Pythagoras dixit. Populi licentiam aut luxus aut fames domat aut bellum.

p. 34. Mon. XLVII. 1.

151. Praesentem et laudare et laedere minime decet.

p. 19. Mon. I. 25.

Praesentem laudare minime decet.

p. 42. Par. 76. Eadem praebet V. B. sp. d. 4, 167. sed. W. B. Socr. Praesentem laudare et absentis minime famam laedere decet. Sententiam mutilatam sic emendandam existimo: Praesentem decet laudare, absentem laedere minime decet. Pro laedere substitui — nolo enim paronomasiam cogitare — premere, quod verbum significat alicuius famam elevare. Cf. Liv. 22, 12 extr. Quint. XI. 1, 16. Tac. An. XV. 49. Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero. Ri. v. 219: Praeséntem nec laudáre decet nec laédere.

152. Actus praeteriti temporis in famam migrat.

p. 42. Par. 83.

153. Avaros homines pupillos brevis aetatis esse; nihil enim de suo uti licere.

p. 23. Mon. XII. 3. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 286.

154. Pecuniae quaerendae et tuendae modum habere oportet.

p. 41. Par. 53. „W. B. Socr.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 31.

155. Quanti est sine anima corpus, tanti est sine amicis homo.

p. 25. Mon. XV. 8. „W. B. Theophr.“ Wo. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 294. Publ. Q 74.

156. Qui innocentem damnat sua sententia, semper est reus, cum se cottidie puniat.

p. 34. Mon. XLVIII. 2. Cf. Publ. S 31 (614).

157. Doloris ultionem ab inimicis exigit, qui patientiam dolendo custodit.

p. 40. Par. 30.

158. Omnium est communis inimicus, qui est hostis suorum.

p. 37. Par. 2. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 298. Versus ex Cic. Verr. I. 15, 38. adscitus vid. Meyer. p. 45.

159. Iniuriam irrogatam eius infamiam esse qui facit.

p. 31. Mon. XXXIV. 2.

Idem dixit, Iniuriam iniuste irrogatam eius infamiam esse qui facit.

p. 38. Par. 11. Hinc locum sic legendum existimo: Iniuria irrogatam eius infamiam esse qui i a c i t. I a c i t male mutatum in f a c i t, i n i u r i a autem ablativum pro interpretatione adverbii i n i u s t e esse intellego. Verborum igitur haec sententia est: Infamia immerito irrogata vel illata non ad eum spectat, cui irrogata vel illata est, sed ad eum, qui iacit i. e. spargit. Sic i a c e r e contumeliam dixit Cic. Sull. 23. et Tac. An. II. 55. XV. 50., convicia ac probra Tac. Hist. I. 47., iniuriam Cic. Parad. 4., minas Tac. An. VI, 31., sermones Tac. An. IV. 68., significationes Suet. Ner. 37., suspicionem Cic. Flacc. 7.

160. Seneca dixit: Non est unus, quamvis praecipuus sit, imitandus in omnibus, quia nunquam par fit auctori.

p. 42. Par. 84. Cf. Quint. X. 2, 10. Eum vero nemo potest aequare, cuius vestigiis sibi utique insistendum putat. Necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur.

161. Qui metuit contumeliam, raro accipit iniuriam.

p. 34. Mon. XLVIII. 10. Cf. Publ. Q 3 (503). Spengel. praef. ad Publ. Syr. p. 7.

162. Qui non corripit peccantem, peccare imperat.

p. 33. Mon. XLI. 4. Ad p e c c a n t e m addidi n a t u m, quo addito versus quadratus exsistit. Neque enim cuiusque omnibus locis aut temporibus est, quemcunque vidit peccantem, corripere, sed eius, cui certum illud corripiendi officium commissum est, ut patris, ad quem filii custodia morum pertinet. Quare prudenter Sen. Troad. 291. qui non vetat peccare, c u m p o s s i t, iubet. Verbum imperare cum infinitivo coniunctum vide ap. Ter. Andr. V. 2, 1. animo nunc iam otioso esse impero; ap. Sall. Cat. XVI. 2. Iug. XLVII. 2. ed. Fabri.

163. De dolore Socrates dixit: Dolore vincitur, qui dolorem dolendo non patitur.

p. 21. Mon. IX. Omisit Haupt. Phi.III. p. 31 79.v. 66.

164. Si quid dubitas, ne feceris.

p. 40. Par. 38.

Animi iudicio quod negatum, fugito.

p. 40. Par. 39. Utraque sententia videtur coniungenda.

165. Quod habes ita utere, ut alienum non egeas.

p. 41. Par. 47. Scribendum est alieno cum W. B. qui Socrati sententiam tribuit. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 25.: Quod habes, ita utere ut alienum non petas.

166. Occasionem non accipi, sed rapi oportere, si rationem, non eventum applices causae.

p. 29. Mon. XXIX. 2. p. 38. Par. 6. Menefranes dixit: O. n. a., s. r. debere. s. r., n. e. a. c. Nomen Menefranis corruptum: Menophanem suspicatur Woelfflinus. Ri. v. 257.: Occasionem capier, non rapier decet. Erasm. Adag. p. 545. Sent. falso inter Publ. recept. 315.

167. Recta consilia capere possumus, si quae nos laedere potuerunt agnoscamus.

p. 29. Mon. XXVIII. 2.b.

168. Respicere nil consuevit iracundia.

p. 21. Mon. VII. 4. Cf. Publ. R 12 (580).

169. Amico fides coagulum est amicitiae, sapientia firmamentum, contentio discidium etqs.

p. 25. Mon. XV. 19.c. „W. B. Theophr." Wo.

170. Pythagoras dixit: Fortuna innocentem deserit saepe, at bona spes nunquam.

p. 28. Mon. XXV. 3. Cf. Publ. I. 24 (253). Sent. falso inter Publ. recept. 329.

171. Diogenes dixit: Sapienti expedit tacere pro se quam loqui contra se.

p. 28. Mon. XXVI. 2. Pronomen se per librarii errorem accessit: haec enim versus sententia est: Sapienti, si quando ipsius causa agitur, utilius est tacere, quam adversariis respondere.

172. De detractione. Diogenes Cynicus cum illi dixisset quidam, vituperant te cuncti, Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri.

p. 34. Mon. XLV.a. Ne quis offendatur praepositione ab coniuncta cum Gerundivo, eam saepius tum pro Dativo usurpari, si a quo quid fiat magis efferatur docet Seyffertus Gram. § 339. adnot 2.

173. Socrates dixit: Sepultus apud te sit semper sermo, quem solus audieris.

p. 27. Mon. XXIII. 3. p. 42. Par. 78. S. a t. sermo sit semper, q. s. a. „W. B. Socr." Wo. Haupt. Phil. III. p. 376. v. 13.: Sepultus apud te sermo sit concreditus.

174. Amicos sequere quos non pudeat elegisse.

p. 24. Mon. XV. 2. „W. B. Socr." Wo.

175. Euclides dixit: Plerosque hominum stultos serviles cibos et servilem vestem fugere, serviles mores non fugere.

p. 38. Par. 8. „V. B. sp. d. 5, 8. Hermogenes." Wo. Cf. Caec. Balb. p. 38. Par. 7. (Sent. 70).

176. Cave ne ob libidinem severitatem relinquas.

p. 42. Par. 68. „W. B. Socr. Wo. Sententia: Noli libidini sic indulgere, ut severitatem proicias et perdas. Cf. Catull. 64, 59. Hor. Carm. I. 28, 33. „W. B. Socr. C. ne ob l. servitutem admittas (al. ne. l. in s. a.)" Wo. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 40.: Cave ne libido in servitutem te asserat.

177. Victoria sine adversario brevis est laus.

p. 20. Mon. I. 30. „W. B. Socr." Wo. Haupt. Phil. III. p. 378. v. 52: Brevis laus victoria est sine adversario. Cf. Publ. S. 52.

178. Ingloria vita mortis est socia.

p. 18. Mon. I. 8. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 349. Cic. Brut. 1, 2. dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium aut ob-

trectatorem laudum mearum. sed socium potius et consortem gloriosi laboris amiseram. Pithoeus ap. Woelfflin. Sent. falso inter Publ. recept. 349 (113 Wo.) et Ri. v. 213: Est socia mortis homini vita ingloria. Vide ad Caec. Balb. Sent. 95.

179. Stultum est, ut velit quis aliis imperare, cum sibi ipse imperare non possit.

p. 40. Par. 35. „W. B. Socr. Stultum est autem ut velit quis imperare aliis, cum sibi imperare non possit.“ Wo. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 20. Sent. falso inter Publ. recept. 350.

180. Diogenes dixit: Superat conscientia, quicquid mali confinxerit lingua.

p. 39. Par. 17.

181. Salon cum aliis loquentibus taceret, interrogatus a Periandro. utrum propter inopiam verborum an quod stultus esset, taceret, respondit: [In vino] nemo stultus tacere potest.

p. 28. Mon. XXVI. 4. Cf. Stob. Flor. t. 34, 15. *ἀλλ' οὐδεὶς ἄν, εἶπε, μωρὸς ἐν συμποσίῳ* (*ἐν οἴνῳ* Plut. de garrul. p. 503. de Biante) *σιωπᾶν δύναιτο.* Horum locorum auctoritas suadet, ut verba in vino apud Caecilium Balbum intercidisse credamus.

182. De taciturnitate Xenocrates, cum inter malos taceret, interrogatus, cur hoc faceret, respondit: Quia locutum me aliquando poenituit, tacuisse nunquam.

p. 28. Mon. XXVI. 1. p. 38. Par. 4. Xenocrates dixit*** quia l. m. a. poenituit. t. n. Val. Max. VII. 2 extern. 6. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 360.

183. Cupiditati ipsa etiam tarda est celeritas.

p. 19. Mon. I. 15. „W. B. Socr.“ Wo. Cf. Publ. E 3 (149). Sent. falso inter Publ. recept. 365. Pithoeus: Cupiditati tarda est ipsa celeritas. Ri. v. 215.: Est ipsa cupiditati tarda celeritas. Vide ad Caec. Balb. Sent. 95.

184. Cato senex dixit. Maximum maioribus nostris telum fidem fuisse, ex quo plures pace susceptae, quam bello gentes fuerint devictae.

p. 21. Mon. IV. 2. „Cod. Liudenbrog. Caec. Balb. Fragm. 4. p. 13. W. B. Cato: Docuit remp. virtutibus magis quam armis esse tuendam.“ Wo. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 366.

185. Quae fortuna concesserit, temperet iustitia: Quod iustitia invenerit, temperet patientia.

p. 23. Mon. XIII. 2. „W. B. Socr.“ Wo. Sententiam ita expressit Hauptius Phil. III. p. 376.: Quae concesserit fortuna, temperet moderatio.

186. Epaminondas dixit: Diem perisse hoc est nihil praestitisse.

p. 24. Mon. XIV. 4. „W. B. Bias.“ Wo. Cf. Suet. Tit. 8. Eutrop. VII. 21.

187. Si sollicitus fueris, iudicium praevenies alienum.

p. 29. Mon. XXVIII. 3.

188. Speusippus laudanti se cuidam dixit: Adulator, desine utrosque fallere: nihil proficis, cum te intellegam.

p. 39. Par. 20. Legendum est utrumque.

189. Gravius labor est. ubi nullus est effectus.

p. 41. Par. 42. Recte W. B. Gravior est l. u. n. e. est. Haupt. Phil. III. p. 377. v. 30.: Gravissimus. ubi nullus effectus, labor.

190. Si pacem vis, belli mentionem ne feceris.

p. 41. Par. 41. „W. B. Socr.“ Wo.

191. De maliloquio Zenon dixit: Malum hominem blande loquentem innocentum laqueum esse.

p. 27. Mon. XXIV. 1. „W. B. Zeno . . . Cf. Diog. L. VI. 2, 51. *τὸν πρὸς χάριν λόγον ἔφη* (int. *Διογένης*) *μελιτίνην ἀγχόνην εἶναι.*“ Wo.

192. Compendiosa eos via ad gloriam pervenire, qui darent operam, ut quales videri vellent, tales essent.

p. 19. Mon. I. 12. „Cic. off. II. 12, 43. Quamquam praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset. Val. Max. VII. 2 extern. 1. Cf. Heindorf. ad Plat. Gorg. 174. (p. 527. b.). Xen. Mem. I. 7, 1. II. 6, 39. Cyrop. I. 6, 22.“ Wo. Aesch. Sept. 574. Plut. Arist. 3. Philem. ap. Stob. Flor. t. 9, 22.

193. Velox consilium sequitur poenitentia.

p. 41. Par. 55. „W. B. Socr.“ Wo. Cf. Publ. V 37. Sent. falso inter Publ. recept 382.

194. Verbosa lingua malitiae indicium est.

p. 34. Mon. XLVIII. 3. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 384. V e r b o s a non tantum res, sed etiam persona dicitur cf. Catull. 97, 2. Nihil causae est, cur vocabulum loco movendum videatur. Pithoeus: Lingua est maliloquax mentis indicium malae. Vide Ribbeck. Coroll. p. C.

195. Idem dicebat veritatem brevem esse, mendacium longum.

p. 29. Mon. XXVI. 6. Theocrito tribui videtur, sed Sen. ep. V. 9 (49) 12. cum dicat: ut ait ille tragicus, veritatis simplex oratio est, Eurip. Phoen. v. 472. *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ* significavit. Cf. Stob. Flor. t. 11, 12.

196. Idem dixit: Ex inimico vindictam, si te inimicum senserit, perdidisti.

p. 40. Par. 27. „W. B. Theophr.“ Wo.

197. Viri boni est nescire pati vel facere iniuriam.

p. 27. Mon. XXII. 4. p. 38. Par. 12. (W. B. Viri boni est scire pati nec scire facere iniuriam). Unde Haupt. Phil. III. p. 377. v. 18. Publilianum illum versum, ut opinor, recte reposuit: Viri boni est nescire facere iniuriam. Cf. Publ. V 23 (651). Verba p a t i v e l per glossema irrepserunt.

198. Vulgi imperitiam ad res iustas sola constringit necessitas.

p. 34. Mon. XLVII. 2. „W. B. Diogenes.“ Wo. De sententia vid. Wander. Deutsch. Sprichwörter-Lex. tom. I. p. 266. „Wenn de Bûer nich maut (môt), reget (röhrt) he wêer (nich) Hand noch Faut (Fôt).“

ADNOTATIONES
AD PSEUDO-SENECAE DE MORIBUS SENTENTIAS.

1. Omne peccatum actio est, actio autem omnis voluntaria est tam honesta quam turpis: ergo voluntarium est omne peccatum. Tollite excusationem: nemo peccat invitus.

Cf. Prov. 19—22. Sent. falso inter Publ. recept. 132. „Sen. ep. VII. 4 (66) 16: Omne honestum voluntarium est." Wo.

2. Educatio et disciplina mores faciunt, et ad id vivit unusquisque, quod didicit. Itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. Bene loquare, bene facias.

Fr. Haasius: et unusquisque, sapit [et vivit] quod didicit . . . [Bene docet loqui qui bene docet facere]. Pro instruxit proposuerat intrusit Woelfflinus. Phil. VIII. p. 185. Vulgo: loquere.

3. Nihil interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur, animus vero non videtur.

vero uncinis inclusit Ha. Cf. Lact. Iust. Div. III. 15.—3a. Prov. 10. Ri. v. 10.: Nil ínter est quo fácias, quod fecisse péssimumst. — 3 b. Prov. 11. Ri. v. 11: Cernúntur facta, némini animus cérnitur.

4. Nulla (enim) laus est non facere, quod facere non possis.

Nulla autem Ha. Cf. Lact. Inst. Div. VI. 23.

5. Quid est homini inimicissimum? alter homo.

[alter] Ha. Cf. Auson. Sept. Sap. Sent. I. 2. Stob. Flor. t. 2, 43. Prov. 67. Ri. v. 67: Homo hómini longe est ómnium inimicíssimum.

6. Libenter feras, quod necesse est: dolor patientia vincitur.

Libenter fac. Cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 185. Cod. Par. lat. 4841. saec. X. Prov. 139. Ri. v. 139.: Fer quód necessest: víncitur patiéntia. Auson. Sept. Sap. Sent. IV. 4.

7. Specta, quod te nunquam poeniteat.

Exspecta libri, expetas Ha. Cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 185. Publ. C 26 (111). G 3 (196). I 41 (271).

8. Non quam multis placeas, sed qualibus stude.

Martin. Dumiensis form. vit. hon. II. 11. Ha. (p. 5, 23. ed. Weidener. Programm. Magdeburg. a. 1872.): „nec quam multis, sed qualibus placeas cogita." Prov. 12. Ri. v. 12: Ne tu quam multis, sed quibus placeas vide. Sent. falso inter Publ. recept. 239.

9. In hoc (tamen) incumbe, ut libentius audias quam loquaris.

tantum incumbe Ha. Prov. 119. Ri. v. 119.: Tu quam loquaris audias libentius. Pseudo-Sen. de mor. 104. Publ. N 36 (412).

10. Multos vitam differentes mors incerta praevenit: (itaque) omnis dies velut ultimus iudicandus est.

itaque uncinis liberatum scripsit Ha. Sen. ep. I. 12, 8. Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen et consummet atque expleat vitam. — 10.a Prov. 26. Ri. v. 26: Omnes vitam différentes mórs incerta praévenit. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 257. — 10. b Prov. 27. Ri. v. 27: Omnís dies velut últimus putándus est. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 261.

11. Tristitiam, si potes, ne admiseris, si minus, ne ostenderis.

non admiseris — non ostenderis Ha. „Periander ap. Stob. Flor. t. 3, 79 extr. *δυστυχῶν κρύπτε.*“ Wo. Prov. 121. Ri. v. 121: Tristitiam, si potis, ne admittas; si minus, ne ostenderis.

12. Amicos secreto admone, palam lauda.

Amicum [in] secreto Ha. Auson. Sept. Sap. Sent. V. 4. „Castigatio acerba, ideo clam fieri debet: laus grata, ideo publice adhibenda est.“ Fabricius e manuscripto apud Zell. p. 53. v. 44. et Kremsier. p. 30. v. 318. Prov. 103. Bentl. v. 239. Ri. v. 103: Secréto amicos ádmone, laudá palam. Cf. Caec. Balb. Sent. 151. Sent. falso inter Publ. recept. 15. Secreto monere Sall. Iug. 8, 2.

13. Verba rebus, non personis aestimanda sunt.

„Sen. ep. I. 12, 11: Perseverabo Epicurum tibi ingerere, ut isti, qui in verba iurant, nec quid dicatur aestimant, sed a quo, sciant, quae optima sunt esse communia.“ Wo. Prov. 140. Ri. v. 140: Pro rébus verba, haud pró personis áccipe. Cf. Martin. Dum. Form. vit. hon. II. 11. Ha. p. 5, 22. 23. Weidener.: Non te moveat dicentis auctoritas nec quis, sed quid dicat intendito etqs.

14. Oratorem te puta, si tibi ante omnes, quod oportet, persuaseris.

[ipsi] ante Ha. Eadem sententia in cod. Par. 4841. scripta legitur in sententiis Catonis alterius, de quibus disputavit Woelfflinus Phil. IX. p. 682. v. 11, Prov. 28.

15. Ut licentiosa mancipia animi imperio coërce linguam, ventrem, libidinem.

Cf. Pseudo-Sen. de mor. 117. Sent. cod. Par. 4841. Cat. alt. v. 16. Woelfflin. Phil. IX. p. 382. Publ. A 52.

16. Quod tacitum velis esse, nemini dixeris. Si tibi ipsi non imperasti, quomodo ab aliis silentium speras?

Sent. cod. Par. Cat. alt. v. 20. Woelfflin. Phil. IX. p. 683. Prov. 75. 76. Sent. falso inter Publ. recept. 312. Ri. v. 75: Quod vis taceri cave ne cuiquam dixeris. Cf. Publ. Q 12 (512).

17. Ridiculum est aliquem odio nocentis innocentiam suam perdere.

[suam] Ha. Non suam. sed alienam innocentiam intellego. Laudat Gruterus Antiphon. ap. Stob. p. 527.: *εἰ δέοι τι ἁμαρτεῖν τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι· τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δὲ ἀδίκως ἀποκτεῖναι ἀσέβημα* (i. e. religio). Religiosum est quod homini ita facere non liceat, ut si id faciat contra deorum voluntatem facere videatur. Cf. Gall. Aelius ap. Fest. Fragm. ed. O. Mueller. p. 278. Erasmus quidem scripturam vulgatam ita interpretatur: „Stultum est sic odisse peccatum, ut ipse pecces. Veluti si quis ob impudicam uxorem veneno tollat adulterum: et sic puniat adulterium, ut ipse fiat veneficus.“ Sed Medeam aliquam scriptor videtur significare, quae Iasonis odio efferata ab suis ipsius liberis poenas repetat. Cf. Mos. Genes. I. 18, 13. Prov. 85. Sent. falso inter Publ. recept. 323. Ri. v. 85: Ridiculum est odio nocentis innocentem perdere.

18. Monstro similis est avaritia senilis. Quid enim stultius est, quam via deficiente viaticum augere?

Quid enim stultius est, quod dici solet, quam Ha. Cf. Cic. Cat. Mai. 18, 66. potest enim quicquam esse absurdius, quam quo minus viae restat, eo plus viatici quaerere? Godofredus: Monstro similis est avaritia u n i c a. Sent. falso inter Publ. recept. 197.

19. Omnes infantes terra nudos excipit: non te pudet sordidius vivere quam nasci?

Addit Ha.: [al. fortius nasci quam vivere]. Sent. falso inter Publ. recept. 285. Ri. v. 181: Sordidius multo vivimus quam nascimur. Cf. Sen. ep. II. 8 (20) 13: Nemo nascitur dives. quisquis exit in lucem, iussus est lacte et panno esse contentus: ab his initiis nos regna non capiunt.

20. Quid dulcius quam habere (amicum) cum quo audeas ut tecum omnia sic loqui?

Addit Ha. [servandus ergo est omni diligentia raro inventus amicus. est enim alter ego]. Sententiam scriptam videmus apud Cic. Lael. 6, 22: quid dulcius quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? — Prov. 79—81. Ri. v. 79: Amícum multi cúpiunt, pauci se éxhibent.

21. Magnarum virium est neglegere laedentem.

§. 22. Ha. Comparat Woelfflinus Sen. de ir. II. 32, 3. Cf. Prov. 61. 62. Ri. v. 61: Neglégere laedentem ést indicium vírium.

22. Quid sis interest, non quid habearis.

§. 21. Ha. Prov. 63. Ri. v. 63: Quid ipse sis, non quid habearis inter est. Sent. falso inter Publ. recept. 174.

23. Nondum felix es, si non te turba deriserit.

es felix . . . si nondum t. t. dimiserit Ha. Tetrametrum trochaicum, qualis verbis sic collocatis: Nondum felix es, si nondum turba te deriserit (dimiserit) exsisteret, non agnoscit Woelfflinus. Prov. 1. Sent. falso inter Publ. recept. 234. Ri. v. 1: Nóndum felix és, si nondum túrba tederíserit. Vide Woelfflin. Phil. IX. p. 185.

24. Si vis beatus esse, cogita hoc primum: Contemne contemni!

* contemnere contemni ab eisdem * Ha. Libri optimi: c o n t e m n e r e, unde Wo. proposuit: contemne te contemni. Prov. 97. V. contemnere, quod scriptores orationis prosae noluerunt (cf. Seyffert. Gram. § 287.) poëtae cum infinitivo coniunxerunt cf. Sen. Theb. 197. contempsit mori, qui concupiscit.

25. Priusquam promittas, deliberes, et cum promiseris, facias.

Sall. Cat. 1, 6. nam et priusquam incipias, consulto et ubi consulueris, mature facto opus est. Prov. 39. Ri. v. 39. Delíberandum est ánte quam promíseris.

26. Id agas, ut ne quis merito tuo te oderit. Etsi nullos inimicos tibi faciat iniuria, multos facit invidia.

[ut] ne . . . multos [tamen] Ha. 26.a. Prov. 64. Ri. v. 64: Id agás, ut ne quis mérito tuo ted oderit. Sent. falso inter Publ. recept. 48. — 26b. Prov. 2. Ri. v. 2: Múlti inimici invídia fiunt, étsi nulli iniúria.

27. Solitudinem quaerit, qui vult cum innocentibus vivere.

q u a e r a t Ha. Prov. 99. Ri. v. 99.: Sólitudinem ádeat qui vult ínnocenter vívere.

28. Optimus ergo animus pulcherrimus dei cultus est.

et pulcherrimus Ha. Prov. 4. Ri. v. 4: Honéstus animus deórum cultor óptimust. Cf. Menandr. monost. 246. *θυσία μεγίστη τῷ θεῷ τό γ'εὐσεβεῖν.*

29. Abstinebis alieno sanguine, abstinebis alieno matrimonio.

[ab] alieno matrimonio Ha.

30. Praestabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, amicis fidem, omnibus aequitatem.

[amicis fidem] Ha. cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 185. Prov. 43. 44. Ri. v. 43: Patrí pietatem, amícis praestabís fidem.

31. Devitabis crudelitatem et ministram crudelitatis iram.

Prov. 83. Ri. v. 83: Crudélitatis máter iracúndiast.

32. Non vives aliter in foro, aliter in solitudine.

Non vives aliter in solitudine [et] aliter in foro Ha. Prov. 5. Buecheler. ap. Ri. v. 5: Nón vivas in sólitudine áliter, aliter ín foro.

33. Nihil petes quod negaturus fuisti; nihil negabis, quod petiturus fuisti.

Nihil petas Ha. Prov. 6. 7. Ri. v. 7: Néc petes quod tú negabis, néc negabis quód petes.

34. Pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis.

Prov. 45. Ri. v. 45: Pacém cum hominibus, béllum cum vitiis habe. Sent. falso inter Publ. recept. 69.

35. Hoc habet omnis adfectus, ut in quod ipse insanit, in idem etiam ceteros putet furere.

[in idem] Ha. Concil. Turon. (a. 567.) II. can. 14: sic ut ait Seneca pessimum in eo vitium esse qui in id quo insanit ceteros putat furere. Cf. Fr. Haasii praefat. ad. Sen. op. vol. III. p. XX. et Woelfflin. ad. Pseudo-Sen. de mor. 35. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 299. Plaut. Men. V. 2, 90. Hei mihi, insanire me aiunt, ultro cum ipsi insaniunt. Cic. Verr. IV. 18, 39. usque eo commotus est, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur.

36. Maximum in eo vitium est, qui non melioribus vult placere, sed pluribus.

Pseudo-Sen. de mor. 8 Prov. 12. Sent. falso inter Publ. recept. 239.

37. Si vis omnibus esse notus, prius effice ut neminem noveris.

Vis o. e. notus? Ha. Prov. 141. Sent. falso inter Publ. recept. 227. Ri. v. 131: Omnibus vis ésse notus? ípse noris néminem.

38. Bonum est non laudari, sed esse laudabilem.

non laudari velle, sed praestantius est laudabilem esse. [al. Bonum est non laudari et esse laudabilem]. Ha. Lege: nolle laudari. Prov. 65. Ri. v. 65: Quam mágnum est non laudárier laudábilem! Sent. falso inter Publ. recept. 289.

39. Morieris: stultum est timere, quod vitare non possis.

Prov. 100. Ri. v. 100. Sen. de remed. fort. II. 3. Sent. falso inter Publ. recept. 352.

40. Male de te opinantur homines, sed mali. Malis displicere est laudari.

malis autem Ha. Prov. 29. Ri. v. 29: Malís te displicére quam laudábilest!

41. Male de te loquuntur homines: bene enim loqui nesciunt. Faciunt non quod mereor ego, sed quod solent ipsi.

bene autem Ha. Sen. de remed. fort. VII. 2.

42. Homines de te male loquuntur: si merito, quod loquuntur non molestum est, sed quod non mentiuntur; sin immerito, innocentia mea nunc maxime gaudeo. Apparet enim illos obiecturos vera, si possent.

si merito, non q. l. molestum Fuit. Ha. si immerito Ha.

43. Non eris in patria: patria est ubicunque bene est. Illud enim, per quod bene est, non in loco, sed in homine est.

Non es Ha. „Cf. Sen. de remed. Fort. VIII. 2. Cic. Tusc. V. 37, 108.

Arist. Plut. 1151. πατρίς ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ." Wo. Sent. falso inter Publ. recept. 375. Dissimilis sententia Publilii est V 7 (635).

44. Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.

nisi magno animo despicias Ha. Eandem sententiam ap. Martin. Dum. de form. hon. vit. III. 1. exhibitam seclusit codd. suorum auctoritate nisus Weidener. „Cf. Lact. Inst. VI. 1. Sen. ep. I. 8, 5." Wo. Prov. 8. Ri. v. 8: Nil mágnum in rebust nísi despiciens mágna homo.

45. Quae sunt maximae divitiae? non desiderare divitias.

magnae Ha. Cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 185. Sen. ep. II. 2 (14) 17: Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. Prov. 68. Ri.. v. 68: Quis plúrimum habet? is qui omnium minimúm cupit.

46. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit.

is delevit Ha. Cf. Publ. I 55 (286). „Sen. ep. XVIII. 5 (108) 11, XX. 2 (119) 6. Auson. Sept. Sap. Sent. I. 3. Caec. Balb. p. 23. Mon. XII. 8 (Sent. 98). Stob. Flor. t. 17, 31." Wo. Prov. 69. Pseudo-Sen. de mor. 45. Prov. 68. Ri. v. 68.

47. Quid est beneficium dare? deum imitari.

dare beneficium [deo]? Ha. Cf. Sen. de benef. III. 15, 4. Prov. 70. Ri. v. 70: Benefícium dignis dâre id est imitarí deum.

48. Honestius est cum iudicaveris amare, quam cum amaveris iudicare.

Sent. falso inter Publ. recept. 11.

49. Dissensio ab alio incipiat, a te autem reconciliatio.

Aristipp. ap. Stob. Flor. t. 84, 19. μέμνησο ὅτι τῆς μὲν διαστάσεως σὺ ἦρξω, τῆς δὲ διαλύσεως ἐγώ. Prov. 101. Ri. v. 101: Dissensio ab alio, a te rursum incipiat conciliatio. Sent. falso inter Publ. recept. 104.

50. Succurre paupertati amicorum, immo succurre cuivis.

immo occurre Ha. Prov. 102. Ri. v. 103: Succúrre amico paúperi immo occúrrito.

51. Amicos secundae res optime parant, adversae autem certissime probant.

autem om. Ha. Cf. Auson. Sept. Sap. Sent. II. 6. 7. Sent. falso inter Publ. recept. 263. Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 6 (Sent. 53). Sent. falso inter Publ. recept. 87.

52. Peiora sunt tecta odia quam aperta. Itaque te minus loquax inimicus offendit quam tacitus: huius enim ira se denudat, illius quaerit ad nocendum occasionem.

Verba: huius enim etqs. apud Ha. deficiunt. Prov. 50. Ri. v. 50. Minús quam tacitus laédit inimicús loquax.

53. Mira ratio est, quae non vult praedicari, quod gaudet intellegi.

Sententiam sic intellego miram rationem eam esse, quae non velit id praedicari, quod gaudeat intellegi. Riv. v. 183: Nolí tacere quód velis intéllegi.

54. Agnosci amat, qui quod agit ostendit.

Ri. v. 184: Agnósci se amat qui ódit sese osténdere.

55. Eleemosyna non tam accipientibus prodest quam dantibus;

quam dantibus prodest Ha. Sent. falso inter Publ. recept 274. Cf. Publ. 30. Caec. Balb. p. 23. Mon. XIV. 1 (Sent. 49).

56. (et) spes praemii solacium fit laboris.

et Ha. Sent. falso inter Publ. recept. 256.

57. Quae est maxima egestas? avaritia.

Cf. Publ. I 7 (236).

58. Pecuniae imperare oportet, non servire.

Cf. Publ. B 30 (73). Prov. 46. Ri. v. 46: Pecuniae imperáre, haud servire áddecet.

59. Nullum magis conscium peccatorum tuorum timueris quam temetipsum; alios enim potes effugere, te nunquam.

magis ante timueris transpositum edidit Ha., idem alium c. p. e. te autem nunquam scripsit. „Cf. Plut. apophth. Cat. mai. 9. *μάλιστα ἐνόμιζε δεῖν ἕκαστον αὑτὸν αἰδεῖσθαι· μηδένα γὰρ ἑαυτοῦ μηδέποτε χωρὶς εἶναι.* Pseudo-Sen. de mor. 108. Auson. Sept. Sap. Sent. VII. 1. Caec. Balb. p. 42. Par. 65 (Sent. 42). Isocr. ad Demon. 9.“ Wo.

60. Quis est pauper? qui sibi (dives) videtur.

qui sibi videtur Ha. Lege: qui sibi videtur indiges. V. indiges exstat in Pacuvii versu apud Cic. Or. II. 46, 193. Prov. 71. Ri. v. 71: Is démumst pauper, paúperem qui sé putat. Cf. Publ. I 56 (286). Sent. falso inter Publ. recept. 231. Sen. de remed. fort. X. 1.

61. Qui a multis timetur, multos timet.

Sen. ep. XVIII. 2 (105) 4: adice nunc, quod qui timetur timet. Prov. 86. Publ. M 30 (338). Sent. falso inter Publ. recept. 205.

62. Infelicitatem erige, felicitatem submitte.

submitte felicitatem Ha. Cleobul. ap. Stob. Flor. t. 3, 79. α: *Εὐποροῦντα μὴ ὑπερήφανον εἶναι, ἀποροῦντα μὴ ταπεινοῦσθαι.* Sent. falso inter Publ. recept. 150. Ri. v. 186: Felícem te submítte, infelicem érige.

63. Felicitas infelici innocentia est.

Vera felicitas innocentia est Ha. „Sententia in codd. mutila.“ Wo. Sent. falso inter Publ. recept. 109. 212. Ri. v. 187.

64. Nequitia ipsa est poena sui.

sui poena est Ha. Prov. 13. Ri. v. 13: Nequitia summa semper sibi poena est sui. Sent. falso inter Publ. recept. 355. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 63. Sent. falso inter Publ. recept. 109. 212.

65. Mala conscientia saepe tuta est, secura nunquam.

Cf. Sen. ep. XVI. 2 (97) 13: Ita est, tuta scelera esse possunt, secura non possunt. XVIII. 2 (105) 8: Tutum aliqua res in mala conscientia praestet, nulla securum. V. 1 (42) 2. 2 (43) 5. Sen. Hippol. 163. Prov. 14. Ri. v. 14: Nunquám secura est práva consciéntia. Sent. falso inter Publ. recept. 337. 355. Woefflin. Phil. XI. p. 191.

66. Libidinis initia continebis, si exitum cogitaveris.

continebit qui . . . . cogitabit Ha. Conferri iubet Woefflin. Mart. Dum. de form. hon. vit. II. p. 5. 3. 4. Weidener: cuiuscunque facti causam require: cum initia inveneris, exitus cogitabis.

67. Beneficii accepti nunquam oportet oblivisci, dati protinus.

Sent. falso inter Publ. recept. 250. Ri. v. 188: Accépti nunquam, cíto dati oblivíscere. „Cf. Sen. de benef. II. 2, 11: qui dedit beneficium taceat, narret qui accepit. Auson. Sept. Sap. Sent. VI. 4. 5. Caec. Balb. p. 40. Par. 32 (Sent. 29). Menandr. Monost. 749: *χάριν λαβὼν μέμνησο καὶ δοὺς ἐπιλαθοῦ.*“ Wo.

68. Inhonesta victoria est suos vincere.

Sent. falso inter Publ. recept. 153. Ri. v. 189: Amícos vincere ínhonesta est victória.

69. Satis est poenarum potuisse puniri.

Ri. v. 190: Poenám meruisse sátis est poenarúm probo. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 336.

70.|71. } Inimicitias tarde suscipe, moderate exerce, fideliter depone.

§. 70. I. t. s. [amicitias] exerce moderate Ha.

§. 71. Simultatis depone. Ha.

Cf. Woefflin. Phil. VIII. p. 185.

72. 73. Imago animi sermo est: qualis vita talis oratio.

Similes et Romanorum et Graecorum sententias congessit Woefflinus, Sen. ep. XIX. 5 (114) 1: hoc quod audire vulgo soles, quod apud Graecos in proverbium cessit: talis hominibus fuit oratio qualis vita. IX. 4 (75) 4: Haec, sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus: concordet sermo cum vita. II. 8 (20) 2. Schol. Hermog. V. 534. Walz. *ὁ Σωκράτης εἰώθει λέγειν, οἷος ὁ βίος, τοιοῦτος ὁ λόγος.* Cic. Tusc. V. 16, 47. Solon. ap. Diog. Laert. I. 58. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 144. Ri. v. 156: Sermo ánimi imagost: út vir, sic orátio.

74. Magna res est vocis et silentii temperamentum.

tempora nosse Ha. Cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 186. Prov. 118. Bothius v. 1010 (v. 839 Gruter. Ri. v. 118): Semper vocis et silenti temperamentum tene.

75. Qui aequo animo malis immiscetur, est malus.

malus est Ha. Sent. falso inter Publ. recept. 185. Ri. v. 154: Malis aequo animo qui interest, ipse est malus. Cf. Xen. Mem. I. 2, 20. *ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι Συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.*

76. Neminem cito laudaveris, neminem cito accusaveris: semper puta te coram diis testimonium dicere.

laudaveris [cito] Ha. Prov. 15. Ri. v. 15: Néminem cito áccusaris néc cito laudáveris.

77. Vitium est omnia credere, vitium est nihil credere.

vitium nihil credere Ha. Cf. Sen. ep. I. 3, 4. utrumque enim vitium est et omnibus credere et nulli.

78. Utendum est divitiis, non abutendum.

Ri. v. 158: Utére divitiis módice, non abútere.

78a. Sic vive, ut nec a superioribus contemnaris nec ab inferioribus timearis.

Om. Ha. Cf. Auson. Sept. Sap. Sent. VI. 1. Ri. v. 155: Nec té contemni néc timeri fác sinas.

79. Nullum putaveris locum sine teste.

Prov. 16. Ri. v. 16: Nullúmi putars téste destituí locum. Sent. falso inter Publ. recept. 348.

80. Excusationem vitiis suis quaerere est omnia deo delegare.

Excusationem quaerere vitium. [*sed omnia delinque ad dominum*] Ha. Cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 186. Sent. falso inter Publ. recept. 132. Ri. v. 157: Vitium éxcusare humânum incusare ést deum.

80a. Datam vitam quotiescunque dubitaveris, an sit eripienda ** quoniam data eripi potest, erepta reddi non potest.

Fortasse sententia sic scribenda est: Da vitam, quotiescunque dubitaveris, an sit eripienda, quoniam data eripi potest, erepta reddi non potest. Omisit Ha. Ri. v. 191: Éripi data víta potis est, réddi erepta nón potis.

81. Fortior est qui cupiditatem vincit, quam qui hostem subicit.

Affert Woelfflinus Lact. Inst. I. 9: Non enim fortior iudicandus est, qui leonem, quam qui violentam, in se ipso inclusam feram superat iracundiam: [aut qui rapacissimas volucres deicit, quam qui cupiditates avidissimas coërcet etqs.] Prov. Salom 16, 32. *ὁ κρατῶν ὀργῆς κρείσσων τοῦ καταλαμβανομένου πόλιν.* Prov. 49. Ri. v. 49: Fórtior qui cúpiditates ést quam qui hostes súbicit.

82. Est difficilimum se ipsum vincere.

Ri. v. 192: Se víncere ipsum lónge est difficíllimum.

83. Inique irascitur, qui suis irascitur sine dolore.

Sine dolore om. Ha. Ri. v. 193: Inícust suis qui síne dolore iráscitur.

84. Amare sic incipe, tanquam non liceat tibi desinere.

tibi om. Ha. Ri. v. 194: Amáre incipias síc quasi nunquam désinas.

85. Magnarum rerum etiamsi successus non adfuerit, honestus est ipse conatus.

non fuerit Ha. Cf. Ov. Met. II. 328.

86. Nobilitas animi generositas sensus.

est g. s. Ha.

87. Nobilitas hominis generosus animus.

N. corporis g. a. Ha. Ri. v. 195: Nobilitas vera est íngeni generósitas.

88. Honestior est, qui senectutem ad otium retulit, quam qui in senectutem venit et tunc incipiat laborare.

quem senectus ad o. r. q. quem in otio invenit. * et t. i. laborare. Ha. Ri. v. 196: Otium in senécta honestumst, nón laboris ínitium.

89. Turpe spectaculum praebet aeger animus.

animus aeger Ha. Prov. 122. Ri. v. 122: Turpe animus aeger homini dat spectaculum. Versum sustulerunt Bothius et Zellius, receperunt et Gruterus cum ita scribit: Animus aeger turbae praebet spectaculum, et Swedbergius Publ. v. 43. et Nisardus ille quidem sic interpretatus: „un esprit malade se donne en spectacle à la multitude". Sed ut non tanti est turbae i. e. inconditae et effusae hominum multitudini spectaculum praebere, ita multo gravius est omnibus inspectantibus animum tristitia tam afflictum profligatumque prae se ferre, ut turpe fias spectaculum. Quamobrem cum sententia suadet, ut turpe scribatur, tum etiam illud, quod p et b haud raro confunduntur. Quo in genere numerandus est Ovid. Met. VI. 199—201. qui versus videntur sic scribendi:

Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum
Latonae turpem, quo quantum distat ab orba?
Ite sacris propere a tetricis . . . . . .

Sic enim Ulp. Dig. 47, 8, 4: Turbam ex quo numero admittimus? Si duo rixam commiserint, utique non accipiemus in turba id factum, quia duo turba non proprie dicuntur. Nec vero proprie nec per irrisionem Apollo et Diana Latonae liberi gemini turba dici potuerunt.

90. Nunquam tristis facies sit tibi in commodo alterius.

Ri. v. 196: Turpis tristitia in alterius commodost.

91. Homo sum: quomodo devitabo secundarum rerum invidiam?

Cf. Caec. Balb. p. 22. Mon. X. 4. (Sent. 93).

92. Si felicitatem iactaveris, multis dives eris.

cum multis Ha.

93. Quomodo optime potentiam tuebor? † impotentia occasionis.

Nulla lacunae nota apud Ha. Proposuit Wo. ut potentia pro impotentia scribatur. Impotens occasio est nec modo nec ratione sui temperans, sed casu regnans qua si prudenter usus fueris, potentiam tueberis. Hor. Carm. III. 29, 49. 50. Cf. Caec. Balb. p. 29. Mon. XXIX. 2. p. 38. Par. 6. (Sent. 166). Sen. ad Polyb. de consol. XVI. 2: Fortuna impotens, quales ex humanis malis tibi ipsa ludos facis! —

94. Locum tenet innocentiae proximum confessio: ubi confessio, ibi remissio.

Prov. 52. Ri. v. 52: Qui cónfitetur, ínnocenti próximust.

95. 96. Severitas in vitio est, quia proximus iniustitiae locus severitas.

§. 95. Severitas in vitio est Ha.

§. 97. Proximus iustitiae modus severitas Ha.

Ri. v. 198: Nimís severus ést iniusto próximus.

97. Bonus iudex est, qui potest dispensare non tam quid damnandum sit, sed quatenus.

§. 96. Boni iudicis est dispensare non tantum Ha. Adverbium qua est in quantum vel quatenus. Ov. Met. VIII. 352. qua potuit, precibus deus adnuit. Liv. 39, 48 extr. Quint IV. 1, 17. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 338. De v. cernere vide Pacuv. ap. Non. IV. 69. Cic. leg. III. 3. Tusc. V. 8, 22. Tac. An. XV. 14.

98. Quietissimam vitam agerent homines in terris, si duo haec verba e natura rerum tollerentur: meum et tuum.

haec duo Ha. [omnium] rerum Ha. tollerent Ha. Prov. 73. Ri. v. 73: Meum ét tuum tollas: quánto vives diútius! De sententia compara Sen. ep. XIV. 2 (90) 36—38. aetatis aureae descriptionem. „Aristid. II. p. 331. *τὸ γὰρ οὐ τὸ σὸν τοῦτο ἀλλ' ἐμὸν ἀρχὴ πάσης φιλονεικίας.*“ Wo.

99. Qui paupertatem timet, quam timendus est!

timet, timendus est. Ha. timidus est Wo. cum comparat Lact. Inst. VI. 17: Nemo dubitat, quin timidi sit animi metuere egestatem. Prov. 74. Ri. quidem in ed. I. v. 406. ita: Quam tímidus est is, paúpertatem qui timet! et in ed. II. append. v. 74. ita: Qui paúpertatem nón timet, timéndus est. Cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 462.

100. Vires tuas amici tui magis sentiant beneficiis quam iniuriis.

Prov. 141: V. t. a. beneficiis, inimici iniuriis sentiant. Atque hanc veram veterum hominum sententiam fuisse intellegitur ex Xen. Mem. II. 3, 14. *πλεῖστον δοκεῖ ἀνὴρ ἐπαίνου ἄξιος εἶναι, ὃς ἂν φθάνῃ τοὺς μὲν πολεμίους κακῶς ποιῶν, τοὺς δὲ φίλους εὐεργετῶν.* Wo. Ri. v. 141: Béne factis noscáre amico, séd inimico iniúriis.

101. Pecunia non satiat avaritiam, sed irritat, et ideo semper indiget.

et om. Ha. Prov. 48. Ri. v. 48: Avárum irritat, nón satiat pecúnia.

102. Pecunia si tibi est. † eius usura moribus.

Woelfflini codices Sangallenses Ga Gb et Parisini S V: cuius usura morbus, V. morbi. pecunia * scit cum eius moribus convenire. [al. pecunia si tibi est: cui ius usura morbi.] Ha. Loco lux affunditur ex Pseudo-Plat. Axioch. p. 367 (tom. VIII. p. 199. ed. Tauchn.): *εἶτα λαθὸν ὑπεισῆλθε τὸ γῆρας, εἰς ὃ πᾶν συρρεῖ τὸ τῆς φύσεως ἐπίκηρον καὶ δυσαλθές. κἂν μήτις θᾶττον ὡς χρέος ἀποδιδῷ τὸ ζῆν, ὡς ὀβολοστάτις ἡ φύσις ἐπιστᾶσα ἐνεχυράζει τοῦ μὲν ὄψιν, τοῦ δὲ ἀκοήν· πολλάκις δὲ ἄμφω· κἂν ἐπιμείνῃ τις παρέλυσεν, ἐλωβήσατο, παρήρθρωσεν. ἄλλοι πολύγηρῳ ἀκμάζουσι καὶ δὶς παῖδες οἱ γέροντες γίγνονται.* Ri. v. 199: Pecúnia utere: éius usura mórbus est.

103. Mihi crede: non potes esse dives et felix.

dives esse Ha. Ri. v. 200: Beatus esse et felix vix quisquam potest. Auson. Sept. Sap. Sent. IV. 2.

104. Auribus frequentius quam lingua utere.

Prov. 119. Ri. v. 119: Tu quám loquaris aúdias libéntius. Pseudo-Sen. de mor. 9. Sent. falso inter Publ. recept. 173: Stob. Flor. t. 36, 19. Publ. N 36 (412).

105. Quidquid dicturus ès, antequam aliis, tibi dicito.

aliis [dixeris] dicito tibi Ha. Ri. v. 201: Quidquíd dicturus áliis, prius dicas tibi.

106. Nihil interest inter iratum et insanum nisi unus dies.

* alter semper irascitur, alter semper insanit. Ha. „Plut. Cat. Mai. apophth. 16. *τὸν ὀργιζόμενον ἐνόμιζε τοῦ μαινομένου χρόνῳ διαφέρειν.* Philemon. ap. Stob. Flor. t. 20, 4. Sen. de ir. I. 1, 2.“ Wo. Cf. Append. ad Swedberg. Publ. Syr. ed. Tafel. fragm. ex cod. Par. ed. Quicherat. p. 56. Woelfflin. Phil. VIII. p. 186. IX. p. 681.

107. Facillime bonis frueris, si ea vitaveris, quae vituperaveris.

Ri. v. 202: Bonís frueris, dúm vites, quae vituperes.

108. Cum alios timueris, tum te ipsum maxime verere: nam sine aliis saepe esse potes, sine te nunquam.

ali[en]os t. ipsum verere. n. saepe s. a. e. p., s. t. n. Ha. Ri. v. 203: Aliós effugere saépe, te nunquám potes. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 59. Woelfflin. Phil. VIII. p. 186. IX. p. 681.

109. Si bene te instruxeris, pudeat te deteriora facere.

p. deteriora f. Ha. deteriorem fieri coni. Schenkelius.

110. Quod persuaseris. erit diuturnum; quod coëgeris, erit in occasione.

cf. Woefflin. Phil. IX. p. 681.

111. Alteri semper ignoscito, tibi ipsi nunquam.

Bentl. v. 143: Ignóscito saepe álteri, nunquám tibi. Ri. v. 204. Caec. Balb. p. 18. Men. I. 4 (Sent. 84). Sent. falso inter Publ. recept. 142. Cf. Append. ad Swedberg. Publ. Syr. ed. Tafel. p. 56. Woelfflin. Phil. IX. p. 680. 681.

112. Tantum ad virtutem adicies, quantum ex voluptate detraxeris.

Vitiis diminutis virtutem augeas. Demonax ap. Or. opusc. sent. 2, 145. *τοσοῦτον εἰς ἀρετὴν προσθήσεις, ὅσον ἂν ὑφέλῃς τῶν ἡδονῶν.* Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 682.

113. Stultum est somno delectari et mortem horrere, cum somnus adsiduus sit mortis imitatio.

et quasi mortem moliri Ha. mortem oriri S. mortem horrere coni. Woelfflinus. Cf. Phil. VIII. p. 186. Versum ego ipsum sic legendum existimo: Stultum est somno delectari et quasi morte mori, c. s. a. s. m. i. Quasi morte mori i. e. mortis metu quasi exanimari.

114. Bonis nocet qui malis parcit.

Sent. falso inter Publ. recept. 38. Ri. v. 205: Bonís nocet si quís malis pepércerit. Auson. Sept. Sap. Sent. III. 5. Pythag. ap. Stob. Flor. t. 46. 112. *οἱ μὴ κολάζοντες τοὺς κακοὺς βούλονται ἀδικεῖσθαι τοὺς ἀγαθούς.* Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

114a. Si fatum est. quid times, quod certum est?

Om. Ha. Ri. v. 206: Fatúmst: quid ergo cáveas quod certúm manet?

115. Multi cum aliis maledicunt, sibi ipsi convicium faciunt.

ipsis convicia Ha. Prov. 53. Ri. v. 53: Aliis qui male dicunt, ipsi faciunt sibi convicium. Sent. falso inter Publ. recept. 177. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 682.

116. Nihil turpius est quam quod obicitur in obiciente cognosci.

„Fortasse agnosci" Wo. quam qui obicit alteri [quod] sibi obiciendum. Ha. Prov. 54. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 682.

117. Ut licentiosa mancipia animi imperio rege linguam ventrem libidinem: quae opprimere si non potes, paululum remitte.

[ut l. m. a. i. r. l. libidinem, ventrem] cupiditatem [que] comprime: si non potes, paululum remitte. Ha. Pseudo-Sen. de mor. 15. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 682. 683.

118. Saepe ea, quae sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore.

Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

119. Qui propter amorem pecuniae et libidinem moritur, ostendit se nunquam sui causa vixisse.

Sent. falso inter Publ. recept. 300. Ri. v. 153: Avárus non sibi vívit, sed libídini. Cf. Publ. Q 37 (537).

119a. Dignus tibi sit, coram quo peccare pudeat te.

Om. Ha. Is, cui pudor est, dignus sit, coram quo te peccare pudeat. De sententia vide Sen. ep. I. 11, 9: magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistit.

119b. Adolescens si [te] feminis adornaveris, iniuriam facere cogitas, si viris adornaveris, accipere.

Om. Ha.

119c. Non est quod insolenter felicitatem fatearis, † quod non fuisset tibi insperatum.

Om. Ha. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

120. Turpia ne dixeris; paulatim enim pudor rerum per verba dediscitur.

discutitur Ha. Ri. v. 123: Per ímpudica dicta pudor amíttitur.

121. Sic habita, ut potius laudetur dominus quam domus.

Comparari iubet Woelfflinus. Cic. off. I. 39, 139: nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. Martin. Dum. form. hon. vit. IV. 5. (p. 7, 1. Weidener.): Si continentiae studes, habita non amoena, sed salubriter nec dominum notum velis a domo, sed domum a domino." Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

122. Consuetudinaria res est innocentia: invita ab eo recedit, cum quo diu fuit.

invita . . . fuit om. Ha. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

123. Non damnatio, sed causa hominem turpem facit.

124. Merito enim damnati poena est damnatio, immerito calamitas.

M. damnari poena d. est, damnatio immerita damnantis est calamitas. Ha. Ri. v. 207: Meréntis poena est, ímmerentis cálamitas.

125. Si aliquid cogitaveris, cito apparebit conversantibus.

Si mali quid Halmius.

126. Videri vis ab hominibus an non? Nunquam bonae honestatis longa simulatio est.

ab omnibus * nunquam b. h. simulatio longa est. Ha. Demophilus ap. Or. opusc. sent. 1, 40: ἴσθι ὡς οὐδεμία προσποίησις πολλῷ χρόνῳ λανθάνει. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 356.

127. Quod de alienis mentibus tractas, ex tua iudices.

mentibus om. Ha.

128. Multi sunt obligandi, pauci sunt offendendi: nam memoria beneficiorum fragilis est, iniuriarum tenax.

fragilis pro facilis, quod libri habent, scripsit Woelfflinus ex Vinc. B. 4. 54. 135. et cod. Sorb. Cf. Phil. VIII. p. 186. Prov. 84. Ri. v. 84: Memória iniuriárumst imprimís tenax. „Xen. Anab. V. 8, 26. ἥδιον των ἀγαθῶν μᾶλλον ἢ τῶν κακῶν μεμνῆσθαι. Liv. VIII. 2, 7. Sen. de benef. I. 1, 8." Wo. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

129. Obiurgationi semper aliquid blandi admisce: facilius enim penetrant verba quae molli vadunt via quam [quae] aspera: nemo enim se mutat, qui mutari se desperet.

desperat Ha. Prov. 30. Ri. v. 30: Obiúrigatióni blandum admísceas. Cf. Ribbeck. Coroll. p. XCVII. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

130. Quoties scribis aliquid [quod] editurus es, scito morum tuorum te hominibus chirographum dare.

Quotiens scribes Ha. Chirographum intellege testimonium tua ipsius manu scriptum cf. Iuv. XIII. 137. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

131. Qui in servos irascitur et crudelis est, satis ostendit potestatem adversus alios sibi defuisse, non voluntatem.

adversus alienos [fuisse, sui] defuisse Ha. Ri. v. 77: Servís crudelis idem est aliis, sí potest. Cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 186. IX. p. 684.

132. Qui nescit tacere, nescit et loqui.

Prov. 120. Ri. v. 120: Tacére qui nescíbit, nescibít loqui. Sent. falso ínter Publ. recept. 133. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683.

132[a]. Non quicquid improbi audire meruerint, id probi debent dicere.
Om. Ha.

132[b]. Longaevitas bonis optabilis est.
Om. Ha. Cf. Ter. Hec. IV. 2, 20.

133. Bonus fruitur bona conscientia.
§. 134. Ha.

134. [A] malis hominibus tutissimum est cito effugere..
§. 135. [In] m. h. t. e. c. fugere Ha.

135. Nulla pusilla domus. quae amicos multos capit.
§. 136. multos amicos Ha. Cod. Par. 4841, ap. Woelfflin. Phil. IX. p. 684. v. 62: Nulla pusilla est domus, quae multos capit amicos. Nam ut illam fortuna anguste amicitia ampliavit. Lege: angustet. a. ampliabit. Comparat Woelfflin. Phaedr. III. 9, 6. 7.

136. Facilius est pauperi contemptum effugere quam diviti invidiam.
§. 133. Ha. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 684.

137. Scire uti felicitate maxima felicitas est.
S. u. paupertate m. f. Ha. Ex iis sententiis est, quae proxime ad legitimos quadrati versus numeros accedunt. Ri. v. 208.

138. Arcum intentio frangit, animum remissio.
Acuit intentio [nimia], frangit a. r. Ha. Publ. Syr. cod. Basil. v. 25. apud Casp. Orellium p. 38. Sent. falso inter Publ. recept. 25. Godofredus ap. Ri. v. 209: Remíssio animum frángit, arcum inténtio. Plut. an seni s. g. r. 16. *τόξον μὲν γάρ, ὥς φασιν, ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται, ψυχὴ δὲ ἀνιεμένη.* Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 684.

139. Nunquam scelus scelere vindicandum est.
vincendum est Ha. Prov. 18. Ri. v. 18: Nunquam hómini scelere víndicandum ullúm scelus. Sent. falso inter Publ. recept. 240.

140. Bonus est vir, qui eo produxit affectu animum, ut non tantum non velit peccare, sed non possit.
[adfectu] a. u. n. t. peccare non velit, sed etiam n. p. Ha. Caec. Balb. p. 21. Mon. VI. p. 38. Par. 15. (Sent. 132). Prov. 143. Ri. v. 143. Poterat etiam hic versus esse: Quí peccare nón potest, non quí non vult, est vír bonus.

140[a]. Satius est liberis superstitem esse quam libertati.
Om. Ha. Cic. Tusc. V. 23, 66. qui se non hunc mathematicum malit, quam illum tyrannum. Ri. v. 210: Líberis quam líbertati esse óptes te supérstitem.

141. Regnantibus multo peius est periculum quam his, qui iudicantur: hi enim singulos timent, illi universos.
Ni fallor, hic locus aliquid labis contraxit. Non enim dubium est, quin hi. qui iudicantur, sint rei, quorum res in iudicio dirimitur. Atqui his opponi non possunt r e g n a n t e s, sed reis opponantur necesse est iudices. Quamobrem locum ita scribendum arbitror: „Rem iudicantibus multo peius est periculum quam his, qui iudicantur.“ Cuius rei causa haec subicitur, quod reis singuli iudices, iudicibus universi homines timendi sint. Iam postquam verba R e m i u d i c a n t i b u s in corruptelam abierunt R e g n a n t i b u s, nec quae sequuntur verba h i s q u i i u d i c a n t u r cum antecedentibus congruebant et in Prov. 87. 88. haec ipsa, quae genuina habenda sunt. immutata sunt in s e r v i e n t i b u s, qui si non recte, certe gratuito — nam servientibus contrarii non sunt reges, sed domini sunt — regnantibus opponerentur. Neque igitur mirum fuit, qui id scripsit, eum de versu illo Laberiano cogitavisse, quem tradidit Macrobius Sat. II. 7. (ed. Bip. I. p. 351): Necesse est multos timeat, quem multi timent. Cf. Publ. M 30 (338). At hoc non erat opus. Sententia enim

hoc docet iudicis litem cernentis periculum maius esse, quam quod reus timeat: illum enim debere universorum, hunc singulorum hominum iudicium timere. Cum Proverbiorum scriptura consentit Sententiarum Catonis alterius Cod. Par. 4841. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 683. v. 39. Ri. v. 87: Rex úniversos, síngulos servús timet.

142. Numquid fortis fortem se gloriabitur, quem corporis aegritudo efficit infirmum? Numquid dives (in) opibus suis gloriabitur, cuius opem fur vel tyrannus abrupit? Numquid nobilitas gloriabitur effecta nonnunquam indignis et miserabilibus serviens?

Pro effecta coni. Woelfflinus effectu, Fr. Haasius interpunctione deleta cum sequentibus coniunxit. Nescio an melius scribatur praefecturis i. e. imperiis. „Haec sententia ab interpolatore addita videtur.“ Wo.

143. Diabolus aliquando se gloriabatur interfectorem esse tuae misericordiae, nunc ingemiscit socios tuae beatitudinis.

„Debetur interpolatori christiano.“ Wo. intergemiscit Ha. Cf. Woelfflin. Phil. VIII. p. 186.

144. Fugienda sunt omnibus modis et abscindenda igni ac ferro totoque artificio separanda languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a mente, a civitate seditio, a domo discordia, a cunctis rebus intemperantia.

Om. Wo. Paragraphi quae sequuntur 144. 145. 145a. 145b. apud Haasium scriptae in cod. Par. lat. 4841. saec. X. a Woelfflino collato (cf. Phil. VIII. p. 184—187.) ad Pythagorae praecepta referuntur.

145. Dixit quidam amicorum omnia esse communia et amicum se ipsum esse alterum.

145a. Duorum temporum maxime habendam curam et eorum, quae acturi sumus, et eorum, quae gessimus.

115b. Post deum veritatem colendam, quae sola homines diis proximos facit.

ADNOTATIONES
AD PROVERBIA.

1. Nondum felix es, si nondum te turba deridet.
Pseudo-Sen. de mor. 23. Sent. falso inter Publ. recept. 244. Ri. v. 1.
2. Nam etsi nullos inimicos tibi faciat iniuria, multos tamen facit invidia.
Pseudo-Sen. de mor. 26^{b}. Ri. v. 2.
3. Non aspicias quam plenas quis deo manus, sed quam puras admoveat.
Sent. falso inter Publ. recept. 287. Vinc. Bellov. sp. d. 4, 31. Ri. v. 3.
4. Non enim aliter, nisi optimus animus, pulcherrimus dei cultus est.
Pseudo-Sen. de mor. 28. Ri. v. 4.
5. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro.
Pseudo-Sen. de mor. 32. Ri. v. 5.
{6. Nihil petas, quod negaturus es.
}7. Nihil negabis, quod petiturus es.
Pseudo-Sen. de mor. 33. Ri. v. 6.
8. Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.
Pseudo-Sen. de mor. 44. Ri. v. 8.
9. Nihil prodest didicisse, bene facere si cesses.
Sent. falso inter Publ. recept. 371. Vinc. Bellov. sp. d. 4, 85. Ri. v. 9.
10. Nihil interest quo animo facias quod fecisse vitiosum est.
Pseudo-Sen. de mor. 3. Ri. v. 10.
11. Nam facta cernuntur, animus non cernitur.
Pseudo-Sen. de mor. 3. Ri. v. 11.
12. Non quam multis placeas, sed qualibus stude.
Pseudo-Sen. de mor. 8. Sent. falso inter Publ. recept. 239. Ri. v. 12. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 36.
13. Nequitia ipsa poena sui est.
Pseudo-Sen. de mor. 64. Sent. falso inter Publ. recept. 355. Ri. v. 13. Sent. falso inter Publ. recept. 109. 212.
14. Nam mala conscientia saepe tuta est, secura nunquam.
Sen. ep. XVI. 2 (97) 13. XVIII. 2 (105) 8. Pseudo-Sen. de mor. 65. Sent. falso inter Publ. recept. 337. Sen. Hippol. 163. Ri. v. 14.

15. Neminem cito accusaveris. neminem cito laudaveris.
Pseudo-Sen. de mor. 76. Sent. falso inter Publ. recept. 296. Ri. v. 15.
16. Nullum putaveris esse locum sine teste.
Pseudo-Sen. de mor. 79. Sent. falso inter Publ. recept. 348. Ri. v. 16.
17. Nulla pusilla domus. quae multos recipit amicos.
Pseudo-Sen. de mor. 135 (136 Ha). Ri. v. 17.
18. Nunquam enim scelus scelere vindicandum est.
Pseudo-Sen. de mor. 139. Ri. v. 18.
19. Omne peccatum actio est.
20. Omnis autem actio voluntaria est tam honesta. quam turpis.
21. Omne ergo peccatum voluntarium est.
22. Omitte excusationem. nemo peccat invitus.
Pseudo-Sen. de mor. 1. Ri. v. 19.
23. Odia multorum sub vultu. multorum sub osculo latent.
24. Omnia tamen pandentur. non dico si cecideris. sed si titubaveris.
Vinc. Bellov. sp. d. 4, 135. Ri. v. 23.
25. Omnis affectus hoc habet, ut in quod ipse insanit. ceteros furere putet.
Pseudo-Sen. de mor. 35. Ri. v. 25.
26. Omnes enim vitam differentes mors incerta praevenit.
Pseudo-Sen. de mor. 10a. Sent. falso inter Publ. recept. 257. Ri. v. 26.
27. Omnis itaque dies velut ultimus ordinandus est.
Pseudo-Sen. de mor. 10b. Sent. falso inter Publ. recept. 261. Ri. v. 27.
28. Oratorem te puta, si tibi ipsi quod oportet persuaseris.
Pseudo-Sen. de mor. 14. Ri. v. 28.
29. Opinantur de te homines male: displicere enim malis laudabile est.
Pseudo-Sen. de mor. 40. Sent. falso inter Publ. recept. 39. Ri. v. 29.
30. Obiurgationi semper blanditiae aliquid admisce.
Pseudo-Sen. de mor. 129. Ri. v. 30.
31. Odium oportet peccandi. non metum facias.
Vinc. Bellov. sp. d. 4. 106. Ri. v. 31. Odio oportet út peccandi, nón metu faciás bonum.
32. Optimum est semper ignoscere, tanquam si ipse cotidie pecces.
Plin. ep. VIII. 22. 2. Atque ego optimum et emendatissimum existimo. qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse cotidie peccet; ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Vinc. Bell. sp. d. 4, 68. Ri. v. 32: Ignóscito aliis quási pecces cotídie.
33. Optimum est maiorum vestigia sequi, si recte praecesserint.
Vinc. Bell. sp. d. 5. 37. Ri. v. 33.
34. Omnis doctor in vitae ratione peccans turpior est.
35. Ob hoc quod in officio. cuius magister esse vult. labitur.
Vinc. Bell. sp. d. 5. 56. Ri. v. 34. Doctór si in eo quod dócuit peccat. túrpiust. Sent. falso inter Publ. recept. 93.
36. Peccandi duo sunt genera. aliud ex proposito. aliud ex neglegentia.
37. Plerique metu peccare cessant, non innocentia.
38. Profecto tales timidi. non innocentes dicendi.
Vinc. Bell. sp. d. 4. 106. Ri. v. 36: Peccánt consilio. péccant neglegéntia. v. 37: Metú non peccant múlti. haut innocéntia.
39. Priusquam promittas deliberes, ut cum promiseris facias.
Pseudo-Sen. de mor. 25. Ri. v. 39.
40. Prius si negaveris. fecisse postea fallere est.
Cf. Bentl. Publ. Syr. v. 225. Ri. v. 40: Prius sí negaris, póst fecisse est fállere.

41. Propter causam multa amico dabis, multae causae etiam contra amicum.
Sent. falso inter Publ. recept. 171. Ri. v. 41: „Vel praeter causam dabis amico praemium.“ et v. 42: Quo melior fueris, tanto religiosior.
42. Pro eo religiosior eris, quo melior.
Locum sic scribendum existimo: Praeter causam multa amico dabis, multa causae etiam contra amicum: Pro eo religiosior eris, quo melior.
43. Praestabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem.
44. Praestabis amicis fidem, omnibus aequitatem.
Pseudo-Sen. de mor. 30. Ri. v. 43.
45. Pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis.
Pseudo-Sen. de mor. 34. Ri. v. 45. Sent. falso inter Publ. recept. 69.
46. Pecuniae imperare oportet, non servire.
Pseudo-Sen. de mor. 58. Ri. v. 46. Sent. falso inter Publ. recept. 146.
47. Pecunia si uti scias, ancilla est, si nescias, domina.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 144. Ri. v. 47: Pecúnia uti sí scias, ancíllulast. Cf. Publ. Q 66 (566).
48. Pecunia non satiat avaritiam, sed irritat.
Pseudo-Sen. de mor. 101. Ri. v. 48. Sent. falso inter Publ. recept. 163.
49. Putandus est recte fortior qui cupiditates quam qui hostes subicit.
Pseudo-Sen. de mor. 81. Ri. v. 49. Sent. falso inter Publ. recept. 113. Cf. Publ. B 21 (64). E 8 (154). I 22 (251).
50. Peiora sunt tecta odia quam aperta.
51. Propterea te loquax inimicus minus quam taciturnus offendit.
Pseudo-Sen. de mor. 52. Ri. v. 50.
52. Proximum ab innocentia tenet locum verecunda peccati confessio.
Pseudo-Sen. de mor. 94. Ri. v. 52.
53. Plerique cum stultis maledicunt, ipsi sibi convicium faciunt.
Pseudo-Sen. de mor. 115. Ri. v. 53. Sent. falso inter Publ. recept. 177.
54. Perturpe est enim, quod obicitur in obiciente cognosci.
Pseudo-Sen. de mor. 116.
55. Pulcherrimum est omnia praestare nihil exigentem.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 50. Ri. v. 55: Pulchrúmst n. e. p. o.
56. Principium discordiae est aliquid ex communi suum facere.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 135. 144. Ri. v. 56: Commúne proprium fácere lítis ínitiumst.
57. Plerique famam, conscientiam pauci verentur.
Plin. ep. III. 20, 8. Multi famam, conscientiam pauci verentur. Sent. falso inter Publ. recept. 273. Cf. Sen. de vit. beat. XX. 4. de benef. VI. 42, 2. Caec. Balb. p. 42. Par. 65 (Sent. 42). Sent. falso inter Publ. recept. 56. Ri. v. 290: Magís quam famam atténde consciéntiam.
58. Quidam quosdam occidit, inimicos, non quia meruerant, sed quia habebat.
Verba proverbii sunt corruptissima: Quidam quosdam occidit (PR. occidunt F) inimicos, non quia habebat (PR. habebant F), sed quia (Quia F) meruerat (Pa R. mererat Pb. meruerant F). Quae sic scribenda existimo: „Quidam quosdam occidit inimicos, non quos habebat, sed priusquam eruerat.“ Unde haec sententia exsistit esse qui inimicos se occidere iactet, cum eos, quos occidat, nec comprehensos teneat nec eruerit, idem illud significans, quod nobilissimo proverbio in Norimbergenses iactatur: „Es hängen die von Nürnberg

keinen, sie haben ihn denn." Vide Wander. Deutsch. Sprichwörter-Lex. tom III. p. 1070. V. eruere esse investigare vel e latebra protrahere docet Cic. Fam. V. 10. qua in epistola Vatinius, de Dionysio tuo, inquit, adhuc nihil extrico: et eo minus, quod me frigus Dalmaticum quod illinc eiecit, etiam hic refrigeravit. sed tamen non desistam, quin illum (servum fugitivum) aliquando eruam. Liv. epit. CII. ea coniuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Ri. v. 58: Immeritum nullum occide, ne inimicum quidem.

{59. Quam iniquum est nocuisse, quia oderis laedere.
{60. Quantum iniquius odisse, quia laeseris.
Verba sic videntur scribenda: „Quam iniquum est voluisse, quia oderis, laedere; quanto autem iniquius odisse, quia laeseris! Cf. Tac. Agr. 42: Proprium humani ingenii est odisse, quem laeseris. Ri. v. 59: Quam inícum odissest sí quem immerito laéseris.

{61. Quam magnarum virium est neglegere laedentem!
{62. Qui enim vindicat, sentit.
Pseudo-Sen. de mor. 21. Ri. v. 61.

63. Quid sis interest, non quid habearis.
Pseudo-Sen de mor. 22. Sent. falso inter Publ. recept. 174. Ri. v. 63.

64. Quamvis agas, ut ne quis merito tuo te oderit, erunt tamen semper qui oderint.
Pseudo-Sen. de mor. 26. Sent. falso inter Publ. recept. 48. Ri. v. 64.

65. Quam magnum est non laudari et esse laudabilem.
Lege: nolle laudari et e. l. Pseudo-Sen. de mor. 38. Sent. falso inter Publ. recept. 289. Ri. v. 65.

66. Qui succurrere perituro potest, cum non succurrit, occidit.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 67. Ri. v. 66: Occídit qui non sérvat periturum úbi potest.

67. Quid est homini inimicissimum? alter homo.
Pseudo-Sen. de mor. 5. Ri. v. 67.

68. Quae sunt maximae divitiae? non desiderare divitias.
Pseudo-Sen. de mor. 45. Ri. v. 68.

69. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit.
Pseudo-Sen. de mor. 46. Ri. v. 68.

70. Quid est dare beneficium? imitari deum.
Pseudo-Sen. de mor. 47. Ri. v. 70.

71. Quis est pauper? qui sibi videtur dives.
Lege: q. s. v. indiges. Pseudo-Sen. de mor. 60. Sent. falso inter Publ. recept. 231. Ri. v. 71.

72. Quidam inimici graves sunt amici leves.
Lege: Quondam inimici graves sunt amici leves. Sententia: Quondam (i. e. interdum cf. Verg. Aen. II. 367) fit, ut qui leves fuerunt amici, iidem ex amicis facti inimici sint graves. Ri. v. 72: Quidam leves amici inimici sunt graves.

73. Quietissime viverent homines, si duo verba tollerentur: meum et tuum.
Pseudo-Sen. de mor. 98. Ri. v. 73.

74. Qui paupertatem timet, quam timidus est!
timendus PRC. Pseudo-Sen. de mor. 99. Ri v. 74.

{75. Quod tacitum esse vis, nemini dixeris,
{76. quia non poteris ab alio exigere silentium, si tibi ipse non praestas.
Pseudo-Sen. de mor. 16. Sent. falso inter Publ. recept. 312. Ri. v. 75. Cf. Publ. Q 12 (512).

77. Qui servis crudelis est, ostendit in alios non voluntatem sibi deesse, sed potestatem.
Pseudo-Sen. de mor. 131. Ri v. 77.

78. Qui ob hoc iniuriam facit, quia potest, cito desinit, quia fecit.
Pronuntiandum est malfacere cf. Luc. Mueller. de re metr. p. 334. Publ. M 28 (336). Docere haec sententia videtur eum qui ob nimiam potestatem male faciat, tandem aliquando, cum abusus potestate sua male fecerit, supplicio affectum male facere desiturum.

79. Quid dulcius quam habere, cum quo omnia audeas;
80. quem sic credas, ut te; cui sic loquaris quasi tecum.
81. Quanti tales amicos habere voluerunt, et ipsi tales esse non possunt.
Pleraque parum latine scripta sunt, ut coniectura sanare vix operae pretium sit. Pseudo-Sen. de mor. 20. Ri. v. 79.

82. Repelli se homines facilius quam decipi ferunt.
Codd. decipi. C. despici. Ri. v. 82: Repelli multi malunt se quam despici.

83. Respue crudelitatem et matrem crudelitatis iram.
Pseudo-Sen. de mor. 31. Ri. v. 83.

84. Re vera memoria beneficiorum fragilis est, iniuriarum tenax.
Pseudo-Sen. de mor. 128. Ri. v. 84. Adi. pertinax cum Genetivo iunctum vide apud Val. Max. VI. 3. 3.

85. Ridiculum est odio nocentis innocentiam perdere.
Scribendum puto religiosum. Pseudo-Sen. de mor. 17. Sent. falso inter Publ. recept. 323. Ri. v. 85.

86. Res vera est, qui a multis timetur, multos timet.
Pseudo-Sen. de mor. 61. Sent. falso inter Publ. recept. 205. Cf. Publ. M 30 (338).

87. Regibus peius est multo quam servientibus:
88. re vera, quia illi singulos, isti universos timent.
Vide quae disputavimus ad Pseudo-Sen. de mor. 141. Cf. Ri. v. 87.

89. Res ipsa ut praestare possimus efficiet, si polliceri properamus honesta.
Sententia: „Quicunque rem honestam polliciti sunt, eos ipsa rei honestas sic adiuvat, ut fidem servare possint." De v. expedire cf. Sall. Cat. XX. 10. cetera res expediet. Ri. v. 89: Praestabis facile, honesta si promiseris.

90. Rem maximam promittit tibi sapientia, ut te reducat tibi.
Vinc. Bell. sp. d. 9. 41. Ri. v. 90: Lucrúmst sapientiae, út te reddcát tibi.

91. Recta ingenia debilitat verecundia, prava confirmat audacia.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 133. Ri. v. 91: Réctis obstat púdor ingeniis, práva iuvat audácia.

92. Res optima est non sceleratos exstirpare, sed scelera.
Vinc. Bell. sp. d. 4. 66. 136. Ri. v. 92: Prius quám scelesti scélera ipsa exstirpánda sunt.

93. Recte parem et inferiorem laudas, quia pertinet ad gloriam tuam.
Plin ep. VI. 17, 4: Denique sive plus sive minus sive idem praestas, lauda vel inferiorem vel superiorem vel parem. Superiorem, qui nisi laudandus ille est, non potes ipse laudari; inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri, quem praecedis vel exaequas. Vinl. Bell. sp. d. 5, 69. Ri. v. 93: Parém laudare pértinet ad gloriam.

94. Res magnae clementiae est indulgendo corrigere peccata quam vindicando.

Vinc. Bell. sp. d. 4. 68. Ri. v. 94: Peccáta potius córrigas quam víndices.

95. Sunt quorum corpus innoxium est, et in mille facinorum furias mens otiosa discurrit.

Vinc. Bell. sp. d. 4. 107. Locus sic scribendus videtur: „Sunt quorum corpus innoxium sit, sed in mille facinorum furias mens vitiosa discurrat.“ Quorum verborum, si quid video, haec sententia est: „Sunt quorum corpus quidem sanum sit, sed mens insana, ita ut multis et gravissimis facinoribus velut furiosi se obligent.“ Sententiae fundamentum illud Iuvenalis X, 356: Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Adi. saucius i. e. vulneratus interdum ad animum transfertur sensu aliquo ac motu vehementiore offensum et laesum, ut est apud Lucret. IV, 1048, Lachmann: idque petit corpus, mens unde est saucia amore, et apud Cic. Att. I, 17: Atque illud a me iam ante intellegebatur, quod te quoque ipsum discedentem a nobis suspicari videbam, subesse nescio quid opinionis incommodae sauciumque eius animum insedisse quasdam odiosas suspiciones etqs. et apud Verg. Aen. IV, 1. Ri. v. 95: Mens ótiosa in míille furias incidit.

96. Si in clientelam felicis hominis potentisque perveneris, aut veritas aut amicitia perdenda est.

Vinc. Bell. sp. d. 5. 7. Ri. v. 96: Poténtiorum amíco amicitia ést perdenda aut véritas.

97. Si vis beatus esse, cogita hoc primum: contemne contemni.

Pseudo-Sen. de mor. 24. Ri. v. 97: Prímum contemní contemne, sí beatus ésse vis.

98. Si multis placuerit vita tua, tibi placere non potest.

Ri. v. 98: Múltis si tua víta placuit, tíbi placere nón potest.

99. Solitudinem quaerat, qui vult cum innocentibus vivere.

Pseudo-Sen. de mor. 27. Ri. v. 99.

100. Stultum est timere, quod vitari non potest.

Pseudo-Sen. de mor. 39. Sen. de remed. fort. II. 3. Sent. falso inter Publ. recept. 352. Ri. v. 100: Stultum ést timere, quód vitari nón potest.

101. Semper dissensio ab alio incipiat, a te reconciliatio.

Pseudo-Sen. de mor. 49. Sent. falso inter Publ. recept. 104. Ri. v. 101.

102. Succurre paupertati amicorum, immo potius occurre.

Pseudo-Sen. de mor. 50. Ri. v. 102.

103. Secreto admone amicos, palam lauda.

Pseudo-Sen. de mor. 12. Sent. falso inter Publ. recept. 15. Ri. v. 103. Castigatio acerba, ideo clam fieri debet: laus grata, ideo publice adhibenda est.“ Fabr. e manuscripto ap. Orell. p. 79. v. 44. Zell. p. 53. v. 44. Kremsier. p. 30. v. 318. Auson. Sept. Sap. Sent. 5. 4.

104. Si bene te institueris, pudeat fieri deteriorem.

Pseudo-Sen. de mor. 109. Ri. v. 104.

105. Si quis irascitur, ab alio poenas petit, a se exigit.

Vinc. Bell. sp. d. 4. 133. Sent. falso inter Publ. recept. 2. Ri. v. 105. Éxpetit poenás iratus áb alio, a se ipso éxigit.

106. Severissime enim nos adversum peccantes ingerimus, et ipsi eadem committimus.

Ri. v. 106: Sevére castigámus, quae commíttimus.

107. Sicut formosa pictura est, cuius nulla pars errat,
108. Sic et formosus homo, in quo nulla peccatis foeda est.
Ri. v. 107: Hómo formonsust út pictura. cuíus pars nulla foéda sit.
109. Si invitus pares, servus es; si volens, minister.
Ri. v. 109: Si invítus pares, sérvo's, minister, sí volens. Cf. Publ. Q 64 (564).
110. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat.
Plin. ep. I. 17, 3. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 354. Ri. v. 110: Virtútes habet abúnde qui alienás amat.
111. Si non invideris, maior eris: nam qui invidet, minor est.
Plin. ep. VI. 17, 4: Disertior ipse es? tanto magis ne invideris. Nam qui invidet, minor est. Ri. v. 111: Si nón invideas, máior, minor es, si ínvides.
112. Scis, quid sit invidia? dolor animi est ex alienis commodis.
113. Scito enim et illud, quod nulli invidet vir bonitate praeditus.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 130. Ri. v. 112: Invídia dolor est éx alienis cómmodis; et v. 113: Nulli ínvidet vir quí bonitate praéditust.
114. Sunt multi qui plurima verbis, non re contemnunt;
115. sed ipsa, quae spernunt, clam furantur.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 171. Ri. v. 114: Multí furantur clám quae spernunt própalam.
116. Timidus cautum se vocat, sordidus parcum.
Sen. ep. V. 4 (45) 7: Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. temeritas sub titulo fortitudinis latet. moderatio vocatur ignavia. pro cauto timidus accipitur. Vinc. Bell. sp. d. 5, 19. Sent. falso inter Publ. recept. 46. Ri. v. 116: Timidús vocat se cáutum, parcum sórdidus.
117. Tutissima res est nihil timere praeter deum.
Vinc. Bell. 4, 32. 74. Sent. falso inter Publ. recept. 279. Ri. v. 117: Tutíssimumst timére nil praetér deum.
118. Tene semper vocis et silentii temperamentum;
Pseudo-Sen. de mor. 74. Ri. v. 118.
119. tamen et in hoc incumbe, ut libentius audias quam loquaris.
Pseudo-Sen. de mor. 9. Sent. falso inter Publ. recept. 173. Ri. v. 119. Cf. Pseudo-Sen. de mor. 104. Publ. N 36 (412).
120. Tacere qui nescit, nescit loqui.
Pseudo-Sen. de mor. 132. Sent. falso inter Publ. recept. 133. Ri. v. 120.
121. Tristitiam, si potes, ne admiseris.
Pseudo-Sen. de mor. 11. Ri. v. 121.
122. Turpe praebet spectaculum aeger animus.
Pseudo-Sen. de mor. 89. Ri. v. 122.
123. Turpia ne dixeris: paulatim enim pudor rerum per verba discutitur.
Pseudo-Sen. de mor. 120. Ri. v. 123.
124. Transibit sermo in effectum, si honesta loquamur.
Vinc. Bell. sp. d. 4, 170. Ri. v. 124: Dictís honestis ánimi honestatem éduces.
125. Tolerabilor est, qui mori iubet, quam qui male vivere.
Menandr. monost. 296: κρεῖττον τὸ μὴ ζῆν ἐστιν ἢ ζῆν ἀθλίως. cf. Philem. 209. Ri. v. 125: Tolerabilior qui mori me iubet quam qui male vivere.
126. Tolerabilior poena, non posse vivere quam nescire.
Ri. v. 126: Tólerabilior poéna haud posse quám nescire vívere.
127. Talem diligentiam exhibe in amicitiis comparandis, ne incipias amare, quem deinceps possis odisse.

Vinc. Bell. sp. d. 6. 14. Ri. v. 127: Ne amáre incipias quem ódisse olim póssies.

128. Tu primum exhibe te bonum, et sic quaere alterum similem tui.
Vinc. Bell. sp. d. 6, 14. Ri. v. 128: Bonus ésto et sic quaere álterum similém tui.

129. Turpius nihil est quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris.
Cic. Lael. 21, 77: nihil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. Ri. v. 129: Túrpest bellum gérere, quocum víxti familiáriter.

130. Vix quisquam in bonum nisi ex malo transit.
Vinc. Bell. sp. d. 5. 15. Ri. v. 130: Vix quísquam transit ín bonum nisi si éx malo.

131. Vis omnibus esse notus? prius effice, ut neminem noveris.
Pseudo-Sen. de mor. 37. Sent. falso inter Publ. recept. 227. Ri. v. 131.

132. Vis habere honorem? dabo tibi magnum imperium: impera tibi.
Sen. ep. XIX. 4 (113) 30: imperare sibi maximum imperium est. Vinc. Bell. sp. d. 4. 125. Sent. falso inter Publ. recept. 346. Ri. v. 132: Impérium magnumst ímperare ipsúm sibi. Cf. Sen. controv. II. 9. ed. Bip. 142.

{133. Vide si adhuc malus es, et similibus parce.
{134. Verum si esse desisti, quare aliis locum emendationis abscidas?
Ri. v. 133: Si málus es, parce símili; sin desísti, sine aliós item.

135. Vitium fuit prius adsententio, nunc mos est.
Sent. falso inter Publ. recept. 122. Ri. v. 135: Vitium fuit, nunc mos est adsentatio.

136. Verum non dicimus, ne audiamus.
Ri. v. 136: Verúm non loquimur, nam aúdire ipsi nólumus.

137. Utilis educatio et disciplina mores facit,
E d u c e r e pro educare veteribus Latinis haud insolitum cf. Bentl. ad Ter. Eun. I. 2, 37. Ruhnken. Dict. ad Ter. Andr. I. 5, 39. ed. Schopen. p. 37. Lambinus quidem educare ad corpus, educere ad ingenium pertinere putaverat. Vide Gruter ad Plaut. Curc. IV. 2, 32.

138. unde bona consuetudo excutere debet, quod instruxit.
Pseudo-Sen. de mor. 2. Ri. v. 138: Bona dísciplina excútiat quod prava índidit.

139. Viriliter feras quae necesse est; dolor enim patientia vincitur.
Pseudo-Sen. de mor. 6. Ri. v. 139: Fer quód necessest: víncitur patiéntia. Cf. Publ. C 12 (96). F 11 (176).

140. Verba rebus, non personis accipienda sunt.
Pseudo-Sen. de mor. 13. Ri. v. 140.

141. Vires tuas amici beneficiis, inimici iniuriis sentiant.
Pseudo-Sen. de mor. 100. Ri. v. 141.

142. Vita omnis brevis est; ideo immortalitas est mors honesta.
Ex sententiis Catonis alterius est in cod. Par. lat. 4841. Cf. Woelfflin. Phil. IX. p. 682. Ri. v. 142: Vita hómini brevis, in mórte est immortálitas.

{143. Vir est bonus, qui in tantum produxit animum suum,
{144. ut non modo nolit peccare, sed etiam non possit.
Pseudo-Sen. de mor. 140. Ri. v. 143. Cf. Caec. Balb. p. 21. Mon. VI. p. 38. Par. 15. (Sent. 132). Sent. falso inter Publ. recept. 228. Qui peccare non potest, non qui non vult, est vir bonus.

{145. Ut aliquid auri extrahamus, terras pervertimus;
{146. ut summum bonum occupemus, scrutari pectus piget.

Vinc. Bell. sp. d. 5, 61. Ri. v. 145: Terrám scrutamur: péctus scrutari piget.

147. Virtutem cuius progressum videris, ne exitum eius desperes.
Ri. v. 147: Vírtutem ubi progréssam videas, né desperes éxitum.

148. Zelum de deo tantum habeas; non contra homines.

149. Zelari autem hominibus vitiosum est.
Prov. 148. 149. om. CF, habent EPRβ. „Zelare, quod et deponentialiter usurpant zelari . . . non nisi Vulgati, Tertulliani aliorumque scriptorum ecclesiasticorum putamus esse." Nolten. Lex. lat. ling. antibarb. s. zelus. Tom. I. p. 1260.

ADNOTATIONES
AD SENTENTIAS FALSO INTER PUBLILIANOS RECEPTAS.

---

1. Sen. Ep. IV. 1 (30) 17. V. 9 (49) 11. de remed. fort. III. 2. Sen. Theb. 151—153. Prop. II. 21, 48. Cic. Tusc. I. 43. 104. coll. Diog.Laert. II. 3, 11. Tantundem alii de locorum intervallo, alii de temporis spatio intellexerunt.

2. Prov. 105. „Iratus, qui se ulciscitur, in se statuit iudicium.“ Fabricius e manuscripto ap. Zell. p. 78. v. 317. et Kremsier. p. 47. v. 612.

3. Sen. de provid. IV. 12. 13. coll. Ep. XX. 4 (121) 5. 7.

4. Sen. de clem. I. 4, 2.

5. Sen. de ir. I. 12. 6.

6. Sen. de provid. IV. 7. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 330.

7. Sen. de provid. IV. 13.

8. Sen. de provid. IV. 12.

9. Sen. Fragm. (de matrimonio) XIII. 84. ed. Fr. Haasi. (Sen. vol. III. p. 434.). Sen. de const. sap. VII. 4. Quint. VII. 3. 10.

10. Sen. de clem. II. 5, 4.

11. Cic. Lael. 27. 100. Pseudo-Sen. de mor. 48. Sen. ep. I. 3. 2.

12. Porphyr. ad Hor. Serm. I. 3, 29: „secundum illud quod praecipitur per proverbium: a. m. n. n. o. Cf. Publ. A 58. Ri. 178.

13. Cf. Hieron. apud Swedberg. Publ. v. 24. Vocabulo amicitia Publilius videtur abstinuisse. Vide ad Sent. falso inter Publ. recept. 17. 20. Ri. 321.

14. Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 17 (Sent. 9.). Theophrasto sententiam tribuit Gualterus Burleius. Ri. 246.

15. Pseudo-Sen. de mor. 12. Prov. 103.

16. Sen. ep. XVI. 4 (99) 3. Ri. v. 288.

17. Caec. Balb. p. 24. Mon. XV. 5.

18. Sen. ep. IV. 6 (35) 1. „Et haec comice et argute Syrus.“ Swedberg. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 138.

19. Sen. de benef. VI. 29, 2. De interpretatione comparat Swedbergius Sen. de benef. VI. 30, 3. et 33. 3. Adde Sen. ep. II. 7 (19) 10: „Sine amico visceratio leonis ac lupi vita est.“

20. Sen. ep. V. 6 (47) 18. de benef. IV. 19, 1. Sen. Med. 415: Amor timere neminem verus potest.“ Cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 462.

21. Caec. Balb. p. 25. Mon. XV. 19. p. 39. Par. 24. De v. coagulum vid. Gell. NA. XII. 1, 21. Cf. Caec. Balb. Sent. 13. Sent. falso inter Publ. recept. 326. Ri. v. 249.

22. Ex Graeco (Euripide) Sen ep. XIX. 6 (115) 14. convertit. „In vita vulgi magis spectantur opes, quam mores.“ Cf. Zell. p. 50. v. 12. et Kremsier. p. 27. v. 285.

23. Sen. Thyest. 450.

24. Sen. de clem. I. 5. 5. II. 5. 4. „Nihil aeque hominem quam magnus animus decet.“

25. Pseudo-Sen. de mor. 138. Cod. Bas. v. 25. „Arcus frangitur, si nimium tendas, animi vires augentur exercitatione, otio franguntur.“ Erasmus. ap. Kremsier. p. 6. v. 35. Plut. an seni sit ger. resp. 16. *τόξον μὲν γάρ, ὥς φασιν, ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται, ψυχὴ δὲ ἀνιεμένη.* Phaedr. III. 14. 10, 11. Martin. Dum. form. hon. vit. II. 10. Ri. v. 209.

26. Publ. A 44. Cf. Caec. Balb. p. 21. Mon. VIII. 3 (Sent. 18). Sententia Socrati tribuitur. Ri. v. 227.

27. Antisth. ap. Diog. Laert. VI. 1, 1 *βασιλικὸν — καλῶς ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν.*

28. Sen. de clem. I. 20. 1.

29. Caec. Balb. p. 35. Mon. XLVIII. 13. (Sent. 21).

30. Publ. A 57. Cf. Sen. ep. XV. 2 (94) 43. Meyer. libr. quem inscripsit „die Sammlungen der Spruchverse des Publilius Syrus“ (Leipz. 1877) p. 38. Sent. falso inter Publ. recept. 163.

31. Caec. Balb. p. 23. Mon. XII. 2: „Ti. Coruncanius avidissimum quemque egestosissimum dicebat.“ Adi. egestuosus vel egestosus vocabulum sequioris aevi est. Cf. Du Fresne Gloss. s. v.

32. Caec. Balb. p. 33. Mon. XL. 4. Buechelerus ita: Bellum homines gladiis, pax deliciis vulnerat. Ri. v. 263.

33. Sen. de clem. I. 5, 2. ep. II. 2 (14) 12.

34. „Petenti benigne respondere beneficii aliquid habet.“ Cf. Publ. M 25 (333). P 20 (469). Panthaleonis sententia: Bonum est reddere bona verba et inimicis“ sic numeris adstringi potest: Bonitátis verba et réddere inimicís bonum est.

35. Cf. Publ. I 6 (235). Sent. falso inter Publ. recept. 127.

36. Prov. 70. Pseudo-Sen. de mor. 47. Sententiae tanquam fons cum sit Sen. de benef. III. 15, 4. versus etiam sic fingi potuit: Quí reposcit foéneratur, quí dat beneficium, ést deus; vel: Foénerator ést, qui repetit, quí dat beneficiúm, deus. Ri. v. 70.

37. Cf. Ri. v. 159.

38. Pseudo-Sen. de mor. 114. „Fit iniuria bonis, cum impunitas datur malis; pauciores enim boni futuri sunt, si liceat impune malos esse.“ Erasmus. Cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 462.

39. Pseudo-Sen. de mor. 40. Prov. 29. Sen. de remed. fort. VII. 1. (Sen. vol. III. p. 450. ed Fr. Haasii.). Ri. v. 205.

40. Sen. ep. X. 3 (79) 11.

41. Sen. ep. IV. 5 (34) 3.

42. Erasmi Adag. p. 627. ex Pind. Ol. VI. 100. 101.

43. Versus Plauti Pseud. I. 5. 37.

44. Caec. Balb. p. 27. Mon. XXII. 2.

45. Sen. de provid. IV. 6.

46. Prov. 116. Cf. Sen. de clem. I. 3, 1. ep. V. 4 (45) 7. XII. 3 (85) 15. XX. 3 (120) 8. 20. Quint. III. 7. 25. IV. 2, 77. V. 13, 25. 26. VIII. 3, 7. 58. 4, 12. 6. 35. 36. IX. 3. 27. 65. X. 2, 16. Liv. 22, 12

extr. „Suis quisque vitiis blanditur eaque extenuat mutatis nominibus.“ Erasmus.

47. Caec. Balb. p. 39. Par. 25 (Sent. 37). Plura dat hac de sententia O. Ribbeckius in Append. v. 276. Cf. Cleobul. ap. Diog. Laert. I. 91. *φυλάσσεσθαι τῶν μὲν φίλων τὸν ψόγον* (*φθόνον* Nauck.) *τῶν δὲ ἐχθρῶν τὴν ἐπιβουλήν*. Stob. Flor. 48, 23. Aesch. Agam. 832. 833. ed. Dind. Plat. Phileb. p. 48. c. Xen. Mem. III. 9, 8. Publ. I 17. (246).

48. Pseudo-Sen. de mor. 26. Prov. 64. „Odíum effugere non possumus; ne quis nos merito oderit, id cavere possumus.“ Erasmus. Ri. v. 63.

49. Caec. Balb. p. 18. Mon. I. 2. Ri. v. 211.

50. Erasm. Adag. 752. ex Hom. H. IX. 375. 376.

51. „Boni viri non facile magnas colligunt divitias.“ Fabric. ap. Zell. p. 68. v. 198. et Kremsier. p. 46, v. 489. „Menandr. Colac. fragm. VI. et monost. 668.“ Ri.

52. Sen. de clem. II. 3. 1. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 302.

53. Sen. de clem. I. 7, 2.

54. Comparat Woelfflinus ex Sent. Turic. v. 661. (cf. Publ. D 27).

55. Erasmi Adag. p. 380. De sententia compara Cic. Cat. II. 10, 21 extr.

56. Caec. Balb. p. 42. Par. 65. Cf. Prov. 57. Sent. falso inter Publ. recept. 273.

57. Caec. Balb. p. 41. Par. 40 (Sent. 43).

58. Sen. de clem. I. 22. 2.

59. „Saepe detrahit de laude praeclarissimi viri humilis et inerudita oratio.“ Fabr. e manuscripto quodam, in quo multorum collectae erant sententiae. Trochaicus. Cf. Zell. p. 52. v. 41. et Kremsier. p. 30. v. 315.

60. Nunc de alea, nunc de sagittandi arte interpretatur Erasmus Ad. p. 340.

61. „Qui sibi gratiam calumniis comparat, ea non futura est diuturna.“ Fabr. e manuscripto ap. Zell. p. 56. v. 79. et Kremsier. p. 34. v. 358. Ri. v. 308.

62. Sententia: „Ne eum, qui saevire vehementer ac crudeliter desierit, clementem dixeris.“

63. Sen. ep. I. 2, 6. „Nulla re eget, qui bene consulit praesentia.“ Fabric. e manuscripto ap. Zell. p. 53. v. 43. et Kremsier. p. 30. v. 317.

64. Corn. Nep. vit. Att. XI. 6. Cic Parad. V. 1, 34.

65. Sen. de const. sap. VII. 4.

66. „Peritis in sua arte credendum.“ Erasm. Adag. p. 433. Cf. Cic. Tusc. I. 18, 41.

67. Cf. Sent. falso inter Publ. recept. 214. Laudat. Woelfflin. Gell. N XVI. 14. 2.

68. Ex Graeco Apostolii: *ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν*. Cf. Orell. Supplem. p. 32. v. 32. „Proverbium in eos, qui dum peregrina sectantur, ne sua quidem tuentur.“ Erasmi Ad. p. 487.

69. Pseudo-Sen. de mor. 34. Prov. 45. „Vitia oderis, non hominem: amicos ames, vitia reprehendas.“ Fabr. e manuscripto ap. Zell. p. 53. V. 45. et Kremsier. p. 30. v. 319. Ri. v. 45.

70. Sen. de ir. II. 34, 1. III. 28, 2.

71. Sen. de provid. V. 8. Cf. Sen. Thyest. 883—885. Sen. Nat. Quaest. II. 59. 11. 12. VI. 2, 9.

72. Sententia: „Hoc custodiendum est, ne quid dicas. quod non dicendum est; nam quid cogites, non item custodiendum est.“ Ri. v. 322.

73. Sen. de ir. I. 16. 7. Improbum i. e. rem improbam, scelus.

74. Caec. Balb. p. 19. Mon. I. 17. p. 42. Par. 67. Ex abundanti i.

e. ex re abundanti cf. Sen. de brev. vit. III. 4. Quint. IV. 5. 15. V. 6, 2. VIII. 3, 88. Sententia: „Abundantia vel divitiae maxime sunt insidiis ac damnis expositae" (Iuven. X. 22. Orelli. ad Publ. v. 161.) vel: „Quo quis ditior est, eo divitiarum iacturae propior." Swedberg. ad Publ. v. 150. p. 46. Tribui versum Publilio cf. D 29.

75. Lucilii versus ap. Sen. ep. I. 8, 10. Cf. Bentl. v. 87. Huic versus formae Gruterus alteram hanc addidit: Auferri et illud, quod dari potuit potest. Swedberg. Publ. v. 60. et 151. Orelli. v. 64. et 174. Both. v. 62. et 174. Sententia similis Publ. M. 44. (352). Sen. ep. VI. 7 (59) 18.

76. „Pauci laudem debitam virtuti tribuunt suis maioribus, quia propriae excellentiae nimis sunt studiosi." Fabr. e manuscripto ap. Zell. p. 54. v. 61. et Kremsier. p. 32. v. 338.

77. Sen. de clem. I. 3, 3: „Nullum tamen clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet." Dedit pro principe Godofredus praelatum: quod nomen ad Cyprianum, qui a. 258. p. Chr. episcopus Carthaginiensis erat, referendum videtur. Cf Du Fresne. Gloss.

78. Sen. ep. III. 8 (29) 9. de tranq. anim. XI. 4.

79. Dicitur de his, quae ipso genere sunt vitiosa. Proverbium Graecum: *„τῶν πιθήκων εὐμορφότατος δύσμορφός ἐστιν"* Erasm. Ad. p. 255. Cf. Erasmi. Ad. p. 26. Pind. Pyth. II. 72.

80. Sen. de ir. II. 25. 1.

81. Sen de benef. IV. 36, 3. Cf. Woelfflin. Phil. XXII. p. 463.

